


THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM

PONTIFICUM, PRÆSERTIM

VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ, ETC.

TOMUS III.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA ET DE CONTRACTIBUS.

DUBLINII:

EX TYP. RICHARDI COYNE,

IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

TRACTATUS

DE

JURE ET JUSTITIA

N. 1. DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS GENERATIM.

S. Thom. 1. 2. *quæst.* 61.

I. *Inter virtutes morales eminent quatuor.* II. *Dictæ cardinales.* III. *Oppositæ vulneribus peccati originalis* IV. *Continent alias ut partes.* V. *Subjectivas.* VI. *Integrales.* VII. *Vel potentiales.*

I. VIRTUTES omnes morales reducuntur ad quatuor cardinales, prudentiam scilicet, justitiam, fortitudinem & temperantiam, quas expressit Sapiens c. 8. V. 7. "Sobrie-" tatem... & prudentiam docet, & justitiam & virtutem:" ubi "sobrietas" ponitur pro temperantia, "virtus" pro fortitudine.

II. Virtutes illæ vocantur cardinales, quia in illis velut cardinibus omnis honestæ vitæ ratio vertitur. Art. 2. probat S. Thom. esse tantùm quatuor virtutes cardinales, & art. 4. probat esse distinctas ab invicem; quia prudentia cæteris lumen præferens, est in eligendis, temperantia in utendis, fortitudo in tolerandis, & justitia in distribuendis.

III. Virtutes cardinales opponuntur quatuor vulneribus peccati originalis; prudentia medetur ignorantiæ in intellectu, justitia malitiæ in voluntate, fortitudo infirmitati in appetitu irascibili, & temperantia concupiscentiæ in appetitu concupiscibili. Hinc simul earumdem virtutum objectum innotescit.

Quo sensu omnes virtutes morales reducuntur ad unam ex cardinalibus?

IV. R. Uno ex his tribus modis; vel quia sunt partes subjectivæ virtutis, vel partes integrales, vel partes potentiales.

V. Partes subjectivæ virtutis dicuntur illæ, in quas virtus dividitur tanquam in species.

VI. Integrales dicuntur illæ, quæ virtutem adjuvant, ut faciliùs operetur, etsi non sint omnino necessariæ.

VII. Potentiales vocantur, quæ in aliquo cum virtute conveniunt, sed in alio à perfecta illius ratione deficiunt.

N. 2. DE PRUDENTIA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 47.

I. *Prudentia.* II. *Objectum materiale.* III. *Et formale.* IV. *Ejus actus.* V. *In quibus inveniatur.* VI. *Ejus partes integrales.* VII. *Subjectivæ.* VIII. *Et potentiales.*

QUID est prudentia?

I. R. Est recta ratio agendorum, sive est habitus intellectûs practici, dictans quid consideratis hìc & nunc circumstantiis, tanquam honestum sit agendum, aut tanquam turpe fugiendum.

Quodnam est objectum prudentiæ?

II. R. Materiale sunt actiones humanæ faciendæ aut omittendæ in quacumque materia morali.

III. Formale est veritas & rectitudo practica.

Prudentia ergo respicit primò & essentialiter suum objectum sub ratione veri practici, secundariò & consequenter sub ratione boni: hinc prudentiæ non potest subesse falsum practicum, sed bene speculativum, ut in casu Jacob accedentis ad Liam. Genes. cap. 29.

Similiter prudentia agere non potest cum formidine practica de opposito: qualis omnino videtur esse in eligente ex probabilibus probabilem minùs tutam, relictâ oppositâ tutiore.

Sapientiæ cap. 9. dicitur: "Incertæ providentiæ nostræ:" ergo, &c.

R. Hoc dicitur propter incertitudinem eventûs: quia quantùmcumque prudenter agere conemur, non ideò semper obtinemus finem intentum propter mala latentia.

Quinam sunt actus prudentiæ?

IV. R. Sunt præcipuè tres: primus inquirere de mediis, secundus judicare de inventis, tertius inventa & judicata applicare ad actum.

In quibus est prudentia?

V. R. Prudentia infusa est in solis & omnibus justis, quantùm ad ea, quæ sunt de necessitate salutis.

Vera prudentia, sed imperfecta, est communis bonis & malis.

Prudentia acquisita perfecta non est in peccatoribus, nec semper in omnibus justis.

Prudentia autem malitiosa & falsa est in solis peccatoribus.

Prudentia infusa utpote virtus moralis annexa charitati, amissâ charitate amittitur, quemadmodum etiam amittitur perfectio ipsius acquisitæ.

Quare prudentia dicitur auriga virtutum?

R. Quia aliis virtutibus præscribit medium inter excessum & defectum, consideratis in individuo circumstantiis. Dependet tamen etiam ab aliis virtutibus, ne ipsa per affectus inordinatos corrumpatur.

Licèt prudentia in intellectu subjectetur, & eatenùs sit virtus intellectualis, inter morales tamen collòeatur ratione materiæ & finis, cùm sic sit morum directiva.

Assigna partes prudentiæ.

VI. R. Apud S. Thomam partes integrales sunt: attentio ad præterita, sive memoria, intelligentia præsentium, providentia futurorum, solertia, docilitas, ratio, circumspectio, cautio, & solicitudo.

VII. Partes subjectivæ sunt: privata, regnativa, œconomica, politica, militaris, &c.

VIII. Potentiales sunt: eubulia, habitus bene consultandi: synesis, habitus bene judicandi: gnome, habitus solerter practicandi, & per epikeïam à lege excipiendi.

Axiomata prudentiæ sunt: ne innitaris prudentiæ tuæ, consilium a sapiente perquire, respice finem, nosce te ipsum, &c. Vide Danes tit. 134.

N. 3. DE VITIIS PRUDENTIÆ OPPOSITIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 53. 54. *&* 55.

I. *Vitia prudentiæ opposita per defectum.* II. *Et per excessum.* III. *Eorum origo.*

LICET omne vitium opponatur prudentiæ, "Quatenùs "errant, quioperantur malum," quædam tamen vitia ei specialiter adversantur.

Quænam vitia specialiter prudentiæ opponuntur?

I. R. Per defectum opponuntur imprudentia & negligentia: ad imprudentiam pertinent inconsideratio & inconstantia.

II. Per excessum opponuntur 1°. prudentia carnis ingeniosè excogitans ea, quæ serviunt peccato; 2°. astutia, quæ dum committitur verbis, vocatur "dolus," si factis, "fraus;" 3°. nimia solicitudo temporalium aut futurorum, quæ reprobatur à Christo, Matth. cap. 6.

III. Vitia per defectum prudentiæ opposita oriuntur potissimùm ex luxuria, quæ maximè corrumpit æstimationem prudentiæ. Opposita per excessum nascuntur ex avaritia, vel ex nimis parva confidentia de benignitate divina.

DE VIRTUTE JUSTITIÆ.

N. 4. DE DEFINITIONE JUSTITIÆ.

S. Th. 2. 2. *quæst.* 58.

I. *Varia acceptio justitiæ.* II. *Justitia propriè dicta.* III. *Ejus objectum.* IV. *Dividitur in generalem & particularem.* V. *In commutativam & distributivam.* VI. *Harum differentia.* VII. *Differt ab aliis virtutibus.*

I. NOMEN "Justitia" variè accipitur: in primis sumitur pro complexo omnium virtutum, ut Matth. cap. 5. V. 6. "Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam;" significat etiam gratiam sanctificantem, quâ homo justus dicitur; item justitiam increatam sive ipsum Deum, ac opera bona, notanter misericordiæ, ut Matth. cap. 6, V. 1. nos verò hic agimus de justitia, quæ est secunda virtus inter cardinales.

Quid est justitia virtus cardinalis?

II. R. Definitur ab Ulpiano: "Perpetua & constans "voluntas jus suum cuique tribuendi."

Dicitur "voluntas," quæ vox non ponitur pro potentia volendi, sed actus ponitur pro habitu. Simul etiam notatur, quòd actus justitiæ debeat esse voluntarius.

Dicitur "perpetua," ex parte objecti, hoc est omni tempore & in omni negotio; non autem ex parte actûs, quasi ille perpetuò duraret.

Et "constans," quæ particula se tenet ex parte voluntatis, indicans firmitatem ejus propositi, quasi diceretur, firma & constans voluntas justitiam conservandi.

Sequitur, "jus suum cuique tribuendi," per quæ verba significatur, quòd justitia debeat esse ad alterum suppositum, ut fit in humanis, vel saltem ad diversam naturam, ut fit in Christo satisfaciente, de quo in "Tract. de Incar-"natione." Particulæ autem "jus suem" denotant id, quod alteri ad æqualitatem est debitum.

Ex dictis patet, definitionem justitiæ reduci posse ad hanc formam: virtus inclinans constanter voluntatem ad perpetuò reddendum unicuique jus suum.

Quodnam est objectum justitiæ?

III. R. Objectum materiale sunt res vel actiones, quibus satisfit juri alterius.

Quomodo dividitur justitia?

IV. R. In generalem & particularem. Generalis vocatur etiam legalis & publica, & est virtus, quæ hominem *ritè* ordinat & dirigit ad bouum commune sive generale.

Particularis dicitur illa, quæ hominem dibitè dirigit ad unumquemque particularem.

V. Justitia particularis subdividitur in commutativam & distributivam, sub quibus etiam continetur vindicativa: est autem commutativa sola propriè dicta justitia ante definita.

Quomodo differunt justitia commutativa & distributiva?

VI. R. 1°. Quòd justitia commutativa reddat alteri jus suum secundùm proportionem arithmeticam: justitia verò distributiva bona & onera communia distribuat secundùm proportionem geometricam.

In quo illæ duæ proportiones distinguuntur?

R. Proportio arithmetica respicit æqualitatem rei ad rem, non respiciendo qualitatem personæ, nisi per accidens, & secundùm quod per hoc res ipsa diversificatur. Proportio geometrica considerat merita, qualitates, &c. personarum secundùm se, & qualis est proportio meritorum aut qualitatum, talem constituit ordinem præferentiæ personarum & proportionem rerum distribuendarum.

2°. Justitia commutativa differt à distributivâ in eo, quòd ex violata justitia commutativa oriatur obligatio restitutionis, non ex violatione solius justitiæ distributivæ.

3°. Justitia distributiva esse solet in distributionibus, nec fundatur in stricto jure alterius, estque communiter inter superiores & subditos : sed commutativa solet esse in commutatione rerum, & respicit in altero strictum jus, estque communiter inter privatos aut quasi privatos.

Nota 1°. Quòd justitia distributiva supponat tamen aliquod jus, sed non strictum, quod quidam habent, ut singulis, vel uni eorum aliquid detur, v. g. officium, beneficium, &c.

Nota 2°. Quòd sæpe etiam violetur justitia commutativa, dum violatur distributiva, quando scilicet intervenit aliquod particulare jus ; v. g. si gubernator det officium indigno, peccat respectu digni prætermissi contra justitiam distributivam, & respectu Reipublicæ contra commutativam, teneturque de damnis, quæ obvenerunt ratione defectûs indigni ; si autem det officium digno, prætermisso digniore, peccat solùm contra distributivam : ratio est, quod insit virtualis contractus, ut gubernator non det nisi dignis.

Idem dicendum de Pastore, qui accepit summam pecuniæ distribuendam pauperibus suæ parochiæ conformiter ad qualitates moraliter expensas & attendi debitas.

Quomodo justitia differt à virtutibus aliis moralibus ?

VII. R. 1°. Quòd justitia sit ad alterum, aliæ virtutes sint ex æquo ad bonum proprium operantis, & ad bonum alienum.

2°. Quòd justitia directè versetur circa res & actiones externas, indirectè tantùm circa passiones : aliæ autem virtutes morales circa passiones.

3°. Quòd medium justitiæ sit medium rei ; medium omnium aliarum virtutum moralium medium rationis. Vide Num. 5. " de Virtutibus in genere."

N. 5. DE SUBJECTO JUSTITIÆ.

I. *Justitia est in voluntate.* II. *Tria requisitia ad justitiam strictè dictam.* III. *Est inter patrem & filium.* IV. *Virum & uxorem.* V. *Deum & hominem.* VI. *Ejus partes potentiales.* VII. *Subjectivæ.* VIII. *Et integrales.*

I. SUBJECTUM proximum justitiæ, ut ex ante dictis patet, est voluntas ; quia non per cognitionem justi quis justus est, sed per affectum & effectum faciendi, quod justum est.

An potest esse vera justitia inter patrem & filium ?

II. R. Prænotandum ex Num. præc, quòd ad justitiam strictè dictam requirantur hæ tres conditiones : prima, ut sit ad alterum ; secunda, ut in altero sit strictum jus ; & tertia, ut isti juri reddatur æquivalens.

Dicendum itaque, quòd sub qualitate, quâ filius est aliquid patris, sic inter eos non sit justitia strictè dicta, sed pietas mutua de justitia multùm participans.

III. Sub alia autem qualitate quâ filius est suppositum distinctum, & homo diversus à patre, sic inter eos potest esse justitia strictè dicta : unde Authores inferunt, quòd filius committat duplex peccatum, si furetur à patre, si detrahat patri, scilicet contra pietatem & contra justitiam. Vide Sylv. 2. 2. quæst 57. art. 4.

IV. Sic à fortiori datur vera justitia inter virum & uxorem ; quia, licèt sint una caro quoad principium generationis, sunt tamen distincta supposita.

V. Datur etiam vera justitia inter Deum & hominem, ut dictum est Num. 36. " de Merito."

Quænam sunt partes justitiæ ?

VI. R. Potentiales sunt octo ; Religio, Pietas & Observantia, quæ deficiunt à justitia, quia non sufficiunt, ut reddant æquale juri alterius : Veracitas, Gratitudo, Vindicatio, Affabilitas & Liberalitas, quæ sunt ad alterum, sed in altero non est strictum jus.

VII. Quasi partes subjectivæ sunt apud S. Thomam quæst. 61. art. 1. justitia commutativa, distributiva, & legalis.

VIII. Pro parte integrali assignat Daelman scientiam utriusque juris.

N. 6. DE JURE.

S. Thom. 2. 2. quæst. 57.

I. *Varia juris acceptio.* II. *Jus proprie sumptum est legitima potestas ad rem, functionem, aut quasi-functionem.*

I PRÆNOTANDUM, quòd jus variè accipiatur :

1°. Pro scientia juris : hinc dicitur aliquis studere juri. 2°. Pro loco, in quo jus dicitur : sic dicitur aliquis comparere in jure. 3°. Pro sententia. 4°. Pro lege : hoc modo sumptum dividitur in naturale & positivum ; deinde

jus positivum subdividitur in divinum & humanum: humanum subdividitur in civile & Ecclesiasticum, ut videre est in Tract. "de Legibus." 5°. Sumitur pro eo, quod alteri strictè est debitum, sive pro justitiæ objecto.

6°. Accipitur potissimùm pro jure, prout est in altero, cui debet satisfieri ad æqualitatem; de jure sic sumpto hic agitur.

Quid ergo est jus?

II. R. Est legitima potestas ad rem, functionem, aut quasi-functionem.

Dicitur "legitima," id est, legitimè fundata, vel in lege naturali aut positiva; vel in consuetudine aut contrahentium voluntate: ex his etiam jus oritur.

Dicitur "potestas," sive facultas, quæ vel est activa ad aliquid agendum vel retinendum, vel passiva ad aliquid accipiendum, v. g. pensionem, servitium, &c.

Dicitur "ad rem, functionem, aut quasi-functionem;" quia jus non tantùm se extendit ad res, quæ existunt realiter, ut ager, arbor, &c. sed etiam ad illa, quæ fiunt functione aut quasi-functione; sic Pastor habet jus ad administranda Sacramenta, baptizatus habet jus illa suscipiendi.

Sub functione intellige etiam non functionem; cùm etiam aliquis possit habere jus ad aliquid non faciendum, seu omittendum.

N. 7. DE DIVISIONE JURIS.

I. *Jus dividitur.* II. *In jus in re.* III. *Et jus ad rem.* IV. *Quomodo inter se differunt.*

QUOMODO dividitur jus?

I. R. Præter divisionem initio Num. præced. positam, jus famosè dividitur in jus in re, & jus ad rem.

II. Jus in re est jus perfectum, quod facit alicui rem ipsam obligatam & devinctam ad quemcumque devenerit: tale jus habetur per donationem, emptionem post traditionem rei, in beneficium post confirmationem aut institutionem,

III. Jus ad rem est, dum quis needum rem ipsam sibi devinctam habet, sed solam personam pro re: unde illud minùs perfectum & firmum est. Tale jus acquiritur per promissionem, donationem, &c. ante traditionem rei: item per præsentationem aut electionem, ante institutionem aut confirmationem.

Quomodo inter se differunt jus in re & jus ad rem ?

IV. R. 1°. In eo, quòd jus in re det actionem personalem & realem, jus ad rem solam actionem personalem : unde & faciliùs amittitur.

2°. Ad jus in re requiruntur tria : scilicet existentia rei, legitimus titulus, et traditio, quibusdam casibus in jure exceptis, de quibus Lessius lib. 2. cap 3. dubio 3. Moribus nostris pro jure in re immobili requiritur inhæredatio solemnis, flandricè "goedenisse :" ut quis habeat jus ad rem, sufficit solus titulus.

Defectu primæ conditionis, beneficiatus non habet jus in re fructuum sequentis anni : defectu secundæ, fures & usurarii bonorum, quæ furto aut usuris possident : defectu tertiæ, emptor rei ante traditionem ejusdem, etiam soluto pretio, jure scilicet communi.

A Juristis dividitur jus secundum objecta in personale, quod est ad personam, & reale, quod est ad rem à persona distinctam.

Potest etiam jus reale dividi in plures species, quales sunt dominium, ususfructus, usus, servitus, pignus, &c. *quibus* affinis est possessio, de quibus in sequentibus.

N. 8. DE DOMINIO.

I. *Dominium.* II. *Jurisdictionis.* III. *Et proprietatis.* IV. *Explicatur.* V. *Et dividitur.* VI. *In altum.* VII. *Et bassum.* VIII. *Perfectum & imperfectum.* IX. *Imperfectum est directum vel utile.*

QUID est Dominium ?

I. R. Generaliter sumptum definitur : legitima potestas propriâ authoritate disponendi de quibusdam rebus aut personis.

Dominium sic generaliter sumptum dividitur in dominium jurisdictionis & proprietatis.

II. Dominium jurisdictionis est jus propriâ authoritate gubernandi subditos : hoc ulteriùs dividitur in Ecclesiasticum & sæculare.

III. Dominium proprietatis (de quo hìc agitur) vulgo definitur : jus disponendi de re aliqua tanquam suâ ad proprium commodum, in quemlibet casum à lege non prohibitum.

IV. Dicitur " Jus" scilicet in re, quia omne dominium est jus in re.

"Disponendi" id est, vendendi, donandi, commutandi, &c. "De re aliqua," corporali sive incorporali "tanquam "suâ," ut excludatur simplex jus ad rem, item nuda possessio, item potestas procuratoris, aut curatoris, qui disponunt de re, sed non tanquam suâ.

Additur "in commodum proprium," ut distinguatur à dominio jurisdictionis, ubi Dominus disponit ad commodum commune & subditorum.

Finaliter additur "in quemlibet casum à lege non pro-"hibitum:" quo significatur, quòd jus disponendi aliquando per leges restringatur, sic ut dispositio vel sit invalida vel illicita tantùm.

Quomodo dividitur dominium proprietatis?

V. R. 1°. In dominium altum & bassum.

VI. Dominium altum est, quod habet Princeps vel Respublica in bona privatorum in ordine ad bonum commune: quidam negant, esse dominium propriè dictum. Certum est quòd saltem locum non habeat, nisi quando id exigit boni communis necessitas.

VII. Dominium bassum est, quod habet privatus in bona propria.

VIII. Dividitur dominium bassum in perfectum seu plenum, & imperfectum seu non plenum.

Perfectum est, dum habet quis proprietatem rei cum suis emolumentis & fructibus.

IX. Imperfectum est, dum vel habetur proprietes rei sinè ejus emolumentis, vel habentur emolumenta sinè rei proprietate: si prius, dicitur dominium "directum:" tale habet dominus in agrum, quem dat alteri in emphyteusim: si posterius, dicitur dominium "utile," quale habet emphyteuta, qui agrum in emphyteusim accepit.

Nec inutile est dominium directum sinè utili; nam præter pensiones ab emphyteutis & tributa ac homagia a vassallis exhibenda, leges statuerunt, ut certis casibus fiat "consolidatio," id est nova conjunctio dominii directi & utilis, quæ ad jurisperitos spectant.

N. 9. DE SUBJECTO DOMINII.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 1.

I. *Fundamentum dominii est ratio.* II. *Error Wicleff.* III. *Dominium Dei.* IV. *Christi.* V. *Angelorum.* VI. *Ac hominum.*

I. DOCET S. Thom. quòd fundamentum dominii sit ratio, sive natura intellectualis; quia per hanc habet quis

potestatem disponendi de rebus suis: id significatur Gen. cap. 1. V. 26. "Faciamus hominem ad imaginem nostram, "& præsit piscibus maris, &c."

II. Hinc damnatus est in Conc. Constantiensi articulus 15. Wicleff, qui fundamentum dominii statuebat in charitate, adeo ut juxta ipsum homo per peccatum mortale amitteret dominium & jurisdictionem.

Fundamentum dominii etiam non consistit in fide; nam Christus dicit Lucæ, cap. 22. V. 25. "Reges gentium "dominantur eorum."

Sequitur ex dictis, quòd subjectum dominii sint Deus, Angelus & homo: bruta verò & omnia irrationalia sunt incapacia dominii.

An infantes ante usum rationis & amentes sunt capaces domini?

R. Affirmativè; id de infantibus apertè testatur Apost. ad Gal. cap. 4. nec obstat quòd non possint disponere de rebus suis defectu usûs rationis: quia, licèt non possint disponere "actualiter," possunt tamen "radicaliter" ratione potentiæ intellectûs & voluntatis, quod sufficit; alias dicendum foret, quòd dormiens vel ebrius amitteret dominium.

Quale dominium habet Deus?

III. R. Deus est Dominus omnium suarum actionum "ad intra & ad extra;" item est Dominus omnium rerum universalis & absolutus, ut dicitur Psalmo 23. V. 1. "Domini est terra & plenitudo ejus."

Dominium hoc est perfectissimum, cùm ei competat per essentiam: unde dicitur solus Dominus, nec illud à se potest abdicare: convenit tribus Personis Divinis; unde etiam Christus, quà Deus, est Dominus totius universi.

An Christus, quà homo, in terris habuit aliquod temporale dominium?

IV. R. Joannes XXII. Extravagante CUM INTER NONNULLOS, "de verborum significatione," declarat esse hæreticum dicere quòd Christus nihil unquam habuerit proprii; & probatur assertio ex cap. 13. Joannis: nec contrarium asseruit Nicolaus III. capit EXIIT; quia ibidem tantùm docet, quòd Christus aliquando nil proprii habuerit, quæ duo simul optimè consistunt.

Non videtur tamen, quòd Christus, quà homo, habuerit jus ad temporale regnum Judæorum; sed tantùm ad spirituale: cùm ipse Joan. cap. 18. V. 36. responderit Pilato: "Reg-

"num meum non est de hoc mundo." Potuit tamen de omnibus temporalibus disponere inquantùm erat Deus.

V. Angeli habent dominium suarum actionum, suæ famæ, &c. non habent tamen dominium in res sublunares, & multò minùs id habent dæmones; qui tamen dicuntur principes hujus mundi, eò quòd genus humanum peccato infecerint, peccatores captivos detineant, &c.

VI. Homines habent dominium suorum actuum, famæ & aliarum rerum sublunarium. De dominio Summi Pontificis dictum est in Tractatu "de Virtutibus."

N. 10. DE DOMINIO UXORUM ET FILIORUM SUB PATRIA POTESTATE.

I. *Vir administrat bona uxoris.* II. *Bona filiorum quadruplicia.* III. *Castrensia.* IV. *Quasi-castrensia.* V. *Adventitia.* VI. *Profectitia.*

QUALE est dominium uxorum?

I. R. Generaliter omnis administratio spectat ad jus & dominium mariti, juxta leges & consuetudines Belgii, licet uxor per se loquendo paraphernalium, (hoc est, quæ uxor aliunde, quàm per dotem accepit,) dominium directum & utile habeat, adeòque de illis disponere posset, nisi leges & consuetudines obstarent.

Igitur graviter peccat uxor, quæ bona notabilia expendit inscio & invito marito, nisi forte administratio ad ipsam devoluta esset, v. g. ratione prodigalitatis vel amentiæ viri; potest tamen uxor dare eleëmosynas moderatas, ut dictum est N. 145. "de Charitate," & expendere quædam, ut avertat damna familiæ, velut Abigaïl 1. Reg. c. 25.

Cæterùm curet Confessarius, ut inter conjuges non nominetur "meum & tuum," sed magis, ut in charitate uxor viro subsit, ut justum est.

Quale est dominium filiorum-familias, qui sunt sub patris potestate constituti?

II. R. Prænotandum, bona seu peculia filiorum-familias esse quadruplicia, scilicet castrensia, quasi-castrensia, adventitia & profectitia.

III. Castrensia sunt, quæ filiis obveniunt ex militia sæculari vel ejus occasione.

IV. Quasi-castrensia sunt, quæ filiis obveniunt ex militia sacra, v. g. ex beneficio, vel ex militia togata, v. g. ex officio Advocati, Judicis, &c. aut alio non mechanico.

Bonorum castrensium & quasi-castrensium filii-familias habent dominium directum, simul & utile, seu plenum ex dispositione legum : unde possunt sine consensu patris de illis arbitratu suo disponere per contractus, donationes, imò per testamentum, si compleverint annum decimum quartum.

V. Adventitia sunt, quæ neque ex ullo militæ genere, neque à patre aut patris intuitu filio obveniunt, sed aliunde, v. g. ex successione materna, liberali donatione, inventione thesauri, &c. horum bonorum filii-familias habent dominium directum, pater autem usumfructum & administrationem.

VI. Profectitia sunt, quæ filio obveniunt vel à patre vel intuitu patris principaliter, v. g. ab amico patris vel cui pater benefecerat : horum bonorum nec directum nec utile dominium habet filius, sed totum est patris.

Dantur tamen aliqui casus, in quibus filius-familias bonorum adventitiorum obtinet dominium utile : 1°. Si pater condonaverit usumfructum, neque potest hæc remissio revocari ut inofficiosa, nec deduci ab hæreditate filii.

2°. Si aliquid detur filio eâ lege, ut pater usumfructum non habeat.

3°. Si filio solus usufructus relictus sit.

4°. Si quid relictum, patre contradicente.

5°. Si filius unà cum patre succedat in hæreditate fratris aut sororis.

6°. Si pater fiat hæreticus. Mortuâ matre ante patrem, inquit Lessius, bona materna sunt adventitia filio respectu patris ; non tamen si pater præmoriatur, ejus bona sunt adventitia filio respectu matris ; quia hoc jus oritur ex patria potestate, quam non habent matres in filios jure scilicet Romano, quia potestatem quamdam patriæ similem leges Belgii concedunt matribus viduis respectu minorennium, modò secundis nuptiis abstineant, de quibus consulenda sunt jura municipalia, quia tot sunt ferè diversa jura, quot municipia.

An & quale dominium habeant servi, supervacaneum est inquirere, cùm patria nostra servos non ferat, sed libertate donet.

N. 11. DE DOMINIO RELIGIOSORUM.

I. *Religiosi solemniter professi in communi,* II. *Sed non in particulari habent dominium.* III. *Quid ipsis non liceat.* IV. *Quid liceat factis Pastoribus, &c.* V. *Quid sentiendum de peculio Religiosorum.* VI. *Undenam in ipsis oriatur incapacitas dominii.*

AN & quale dominium habent Religiosi?

I. R. 1°. Religiosi, etiam solemniter professi, in communi, seu ipsa communitas Religiosorum capax est dominii rerum temporalium, exceptis Franciscani Strictioris Observantiæ, ut constat ex Trid. Sess. 25. cap. 3. "de "Regularibus."

II. 2°. Religiosi solemniter professi in particulari sunt incapaces dominii cujuscumque, usûsfructûs, possessionis & cujusvis juris, quod inducit proprietatem rei temporalis sive mobilis sive immobilis, ut constat ex capitulo CUM AD MONASTERIA "de statu Monachorum:" & Trident. Sess. 25. "de Regularibus," cap. 2.

Dictum est "solemniter professi;" quia Religiosi, v. g. suppressæ Societatis Jesu, qui emiserant vota simplicia post biennium probationis, dominium in particulari habere poterant, ut constat ex Bulla Gregorii XIII. ASCENDENTE DOMINO: peccabant tamen, dum sibi usurpabant usum rei suæ sine Superioris consensu tacito aut expresso.

Religiosi, etiam solemniter professi, capaces sunt in particulari plurium jurium spiritualium, ut observat S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 7. ad 4.

III. Ex dictis conclude, quòd peccent Religiosi per omnem actum, qui proprietatem rei supponit: ac 1°. si rem recipiant, detineant, aut alienent sinè expresso aut saltem tacito consensu Superioris; quo casu etiam alienatio est irrita & restitutioni obnoxia.

2°. Si animo proprietatis possideant, nolentes permittere Superioris arbitrio, obmurmurentve velut affecti injuriâ, si quid detinent, adimatur, &c. hi omnes inter proprietarios votique sui violatores meritò reputantur.

Quid licet Religiosis factis Pastoribus, aut Beneficiatis?

IV. R. Religiosi solemniter professi, etiam facti Episcopi, manent voto paupertatis obstricti, adeoque dominii incapaces: habent ergo tales non dominium proventuum, sed solam administrationem, quæ factis Episcopis eò usque concessa est, ut de rebus sibi concreditis per testamentum possint disponere, ac si Domini forent.

Quid judicandum de concessione peculii vel censûs vitalitii, sub beneplacito Superiorum retinendi vel administrandi ?

V. R. Juxta Steyaert & alios hoc per se non repugnat professioni Religionis; attamen peculium illud varia adfert incommoda, præcipuè si notabilius fuit; quia inde nascitur quasi disparitas inter fratres, æmulatio, despectus aliorum, &c. ac facilè animus proprietarius subrepit.

Nota, Concilium Trid. Sess. 25. cap. 2. "de Regularibus" statuisse, ne Superiores alicui Regulari bona stabilia ad usum concedant.

Quæstio superest, undenam incapacitas dominii in Religiosis solemniter professis oriatur ?

VI. R. Daelman, Braunman, &c. volunt, quòd hoc oriatur ex ipsa natura voti solemnis, prout sustinent, quòd ex natura voti solemnis oriatur, quòd dirimat subsequens matrimonium. Fundant se in cap. CUM AD MONASTERIA ante citato.

Lessius, Herincx, De Cocq, &c. sustinent, quòd illa incapacitas oriatur ex ipsa ordinatione Ecclesiæ, statuentis ut professio solemnis hunc effectum haberet.

N. 12. DE DOMINIO CLERICORUM SÆCULARIUM.

S. Thom. quæst. 185. *art.* 6 *&* 7.

I. *Patrimonialium,* II. *Quasi-patrimonialium.* III. *Clerici sunt absoluti Domini.* IV. *Sunt etiam Domini, non fundi.* V. *Sed proventuum Ecclesiasticorum.* VI. *Sustentationis congruæ.* VII. *Item superfluorum.* VIII. *Sed hæc eroganda sunt in pias causas.*

TRIA bonorum temporalium genera distinguuntur in Clericis sæcularibus, scilicet patrimonialia, quasi-patrimonialia & Ecclesiastica.

I. Patrimonialia vocantur, quæ habet Clericus hæreditate, donatione, contractu, &c. sinè respectu ad clericatum.

II. Quasi-patrimonialia sunt, quæ Clericus arte vel industriâ aliove id genus modo cum sæcularibus communi, sua facit, ut docendo Philosophiam, Theologiam, Musicam, &c.

Quomodo vocari debent, quæ Clericus acquirit ratione Ministerii clericalis, v. g. concionando, confessiones excipiendo, Missas celebrando, &c. ?

R. Lessius, Wiggers, De Cocq & Daelman, ea habent quasi-patrimonialia, & ea, quæ ante diximus quasi-patrimonialia, annumerant ipsi patrimonialibus.

Steyaert è contra & Pauwels vocant ea Sacra seu Ecclesiastica.

III. Patrimonialium Clerici sunt veri & absoluti Domini, sicut & quasi-patrimonialium primo loco descriptorum, nisi quòd propter sanctiorem statum magis modestè debeant de iis disponere.

De bonis autem, quæ ex ministerio clericali acquiruntur, divisæ sunt Anthorum sententiæ. Pars magna cum Daelman reducens ea ad quasi-patrimonialia, sustinent quòd Clerici illorum habeant absolutum dominium ac liberam dispositionem, sicut patrimonialium ; quia hujusmodi honoraria nunc absolutè dantur sinè ulla restrictione ad certum usum.

Steyaert cum aliis reducens ea ad bona Ecclesiastica, contendit, ea paris esse conditionis cum Ecclesiasticis, cùm utraque sint vota fidelium, & imitari videantur oblationes primorum temporum. Vide ipsum in appendice ad Wiggers.

Quænam bona ex omnium sententia sunt dicenda Ecclesiastica ?

R. Illa, quæ titulo beneficii aut dignitatis Ecclesiasticæ, v. g. Decanatûs, acquiruntur; unde & beneficialia vocantur.

An Clerici habent dominium bonorum Ecclesiasticorum?

IV. R. Clerici non habent dominium prædiorum seu fundorum beneficialium, sed usumfructum & administrationem.

V. Sunt tamen hodiedum veri Domini proventuum, qui necessarii sunt ad congruam ipsorum sustentationem. Hoc manifestè supponit Concil. Trid. Sess. 24. cap. 12. " de " Reform." & alibi sæpe, ubi utitur termino " fructus suos " facere," qui importat acquisitionem dominii.

Dixi " hodiedum," scilicet postquam divisio bonorum Ecclesiasticorum facta est, quæ inchoata videtur sub Sylvestro Papa ad annum 324. & vix perfecta fuit tempore S. Thomæ, qui obiit anno 1274. ut colligitur ex 2. 2. q. 175. a. 7. quâ divisione una pars bonorum Ecclesiasticorum cessit Episcopo, secunda Clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus.

Ante divisionem spectabat dominium ad totum cœtum ; & ex communi massa dabatur cuilibet, prout opus erat.

Quænam dicitur sustentatio congrua ?

VI. R. Illa certâ aliquâ regulâ terminari non potest, sed spectari debet judicium seu praxis Clericorum timoratorum ejusdem regionis; habito respectu 1°. ad personam ipsam; uni enim plura necessaria sunt, quàm alteri; 2°. ad praxim & consuetudinem loci: & 3°. ad officium & qualitates beneficio annexas; unde sub portione congrua comprehenduntur eleëmosynæ faciendæ, hospitalitas, & honestæ recreationes ac donationes, taliter ut ab Ecclesiastico æqualiter absint prodigalitas & avaritiæ suspicio: sub illa tamen attendenda non venit nobilitas, aiunt Van Roy, Henno, De Cocq, aliique contra Navarrum.

Quid de proventibus Ecclesiasticis, qui supersunt congruæ sustentationi?

VII. R. Satis certum videtur Clericos istorum superfluorum etiam esse Dominos, cum sinè distinctione dicantur habere dominium fructuum sui beneficii, ut patet ex Trident. Sess. 23. "de Reform." cap. 1. & Sess. 24. cap. 12.

VIII. Verùmtamen dominium est vinculatum: nam juxta omnes certum est, quòd Clericus superflua sub gravi expendere debeat in pios usus: unde Conc. Trid. Sess. 25. *cap. I.* "de Reform." vetat, ne Clerici consanguineos ditent.

Quæstio superest, qualis sit ista obligatio, an justitiæ, an charitatis tantùm, unde sit:

N. 13. AN CLERICI EX JUSTITIA, AN EX CHARITATE TANTUM, TENEANTUR SUPERFLUA EROGARE IN PIAS CAUSAS?

I. *Probabiliùs ex charitate tantùm.* II. *Justa quosdam etiam ex justitia.* III. *Eorum objectiones* IV. *Solvuntur* V. *Monita practica.*

CERTUM est juxta omnes, quòd sit obligatio charitatis, oobdientiæ & Religionis: perinde autem est, sive defectu charitatis, sive justitiæ, Beneficiati ad inferna descendant, ut nepotem suum monebat Cardinalis Bellarminus.

I. An etiam sit obligatio justitiæ strictè dictæ controvertitur; negant Sylvius, Wiggers, Lessius, Daelman, Bellarminus, &c. hæcque sententia probabilior & menti S. Thom. conformior apparet; docet enim Quodlibeto 6. quæst. 7. art. 13. ad 3. "In secundis verò bonis (id est, "ut præmiserat, in bonis, quæ particulariter attributa sunt "usibus ministrorum, ut sunt præbendæ & alia hujus-"modi) non committitur peccatum, nisiper abusum, sicut

" & de bonis patrimonialibus dictum est; unde non tenetur " ad restitutionem, sed solùm ad pœnitentiam agendam." Idem docet, licèt non tam expressè, 2. 2. quæst. 185. art. 1. ad 7. Vide etiam Trident. Sess. 24. cap. 12. item capitulum unicum "de Clericis non residentibus" in 6.

II. Steyaert, De Cocq, Braunman, &c. sustinent, dominium ipsorum superfluorum vinculatum esse vinculo justitiæ, & esse simile dominio, quod habet fidei commissarius, adeo ut juxta ipsos peccet Beneficiatus contra justitiam, teneaturque ad restitutionem, si in profanos usus ea expendat. Sententiam autem suam præcipuè fundant in sequentibus, quæ simul sunt objectiones contra priorem.

III. 1°. Ante divisionem bonorum Ecclesiasticorum erat obligatio justitiæ; atqui per divisionem natura istorum bonorum mutari non potuit: ergo & nunc est obligatio justitiæ.

2°. Lib. 3. tit. 24. cap. 2. dicitur Episcopus Ecclesiasticarum rerum procurator, non Dominus.

3°. S. Clemens. lib. 2. Constitutionum cap. 25. aliàs 29. & lib. 8. cap. 30. aliàs 36. innuit debitum justitiæ.

4°. S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 7. dicit: Res Ecclesiæ non sunt Papæ ut Domini & possessoris, sed ut dispensatoris.

5°. Concil. Mediolanense primum, à S. Carolo Borromæo promulgatum, etiam adstruit debitum justitiæ.

6°. Concil. Aquisgranense primum, cap. 116. pari ordine ad bona Ecclesiæ collocat pauperes, fabricam & Clericos.

Ad hæc respondent Patroni prioris sententiæ.

IV. Ad 1. negari potest major cum Soto, Bannes, Valentia, Lorcas, Maldero, quos citat & sequitur Sylvius; dicunt hi Authores, quòd ante divisionem nulla pars pertineret ad pauperes ex stricta justitia. Ad illos non videtur attendisse Steyaert, dum scribit se hoc à nemine negatum vidisse.

Deinde dato, quòd superflua ante divisionem impendenda essent ex justitia in pias causas, hoc non est ortum ex natura istorum bonorum, sed ex laudabili Ecclesiæ constitutione. Præterea dici potest, quòd cùm Clerici ante divisionem non haberent illorum bonorum dominium, sicut jam habent, natura illorum bonorum mutata sit, non quidem physicè, sed moraliter.

Ad 2. In isto capite non agitur de proventibus beneficii, sed de bonis peculiariter Episcopatui attributis, quæ prædecessor Parisiensis Episcopi inconsulto capitulo distraxerat.

Ad 3. Constitutiones S. Clementis à Bellarm. & Natali Alexandro, &c. numerantur inter Apocrypha, & ipsi posteriores Græci in Concilio Trullano canone 2. has constitutiones improbant ut ab hæreticis corruptas.

Ad 4. S. Thom. loquitur de bonis totius Ecclesiæ, quorum dicit Papam non sic esse Dominum, ut ea possit vendere sinè simonia.

Ad 5. S. Carolus agit de iis, qui onera beneficiis suis annexa non implebant, ut contextus declarat.

Ad 6. In illo loco declaratur vel significatur, quod talis fuerit intentio dantium, nempe ut superflua darentur pauperibus; sed inde non sequitur, quòd hæc intentio fuerit deducta in pactum, & apposita tanquam conditio "sinè "qua non." Præterea intelligi potest de bonis specialiter fabricæ, aut pauperibus relictis, v. g. dum offerentes assignabant partem fabricæ, partem pauperibus, & partem ministris.

Generatim notandum, quòd plerique SS. Patres, qui adstruere videntur obligationem justitiæ, scripserint ante divisionem bonorum: item quòd magis concionatoriè quam theologicè loquantur; prout patet in eo, quòd eodem modo loquantur de superfluis divitum sæcularium.

V. Notandum, quòd cùm hæc sententia certa non sit, in praxi etiam attendi debeat probabilitas alterius sententiæ, quæ obligationem justitiæ defendit, adeoque pessimè faciant hæredes talium Beneficiatorum, qui omnia superflua sibi appropriant, nisi ipsi verè pauperes sint.

Pariter notandum circa iniquos Beneficiati hæredes in Tribunali Pœnitentiæ, utrùm ipsi Beneficiatum non solicitaverint aut induxerint ad iniquè testandum.

N. 14. AN CLERICI, SERVATIS PATRIMONIALIBUS, VIVERE POSSINT DE ECCLESIASTICIS.

I. *Potest Clericus servato patrimonio vivere ex beneficio,* II. *Item alere consanguineos in studiis.* III. *Item eis succurrere, ne indigeant.* IV. *Casus.* V. *Subtracta sustentatione etiam in pios usus expendenda.* VI. *Quàm arcta obligatio circa superflua beneficialia.*

QUÆRITUR, utrùm v. g. Clericus ex patrimonio dives, possit patrimonium cum suis emolumentis servare, illudque in consanguineos vel alios usus expendere, & eodem tempore alimentari de fructibus beneficii sui?

I. R. Affirmativè: & hæc sententia videtur tutæ praxis, licèt minùs piæ: ratio est, quòd talis habeat verum titulum recipiendi alimentationem, scilicet spirituale ministerium, quod præstat; unde dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 9. V. 7. " Quis militat suis stipendiis unquam?"

Idem tenet S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3. Idem, inquit Dominicus Soto, naturalis usus Ecclesiæ confirmat.

Ad canones, qui opponuntur:

R. Quòd nil aliud evincant, quàm quòd Clerici prioribus sæculis, dum vita communis vigebat, à bonis communibus abstinere deberent, dum sua relinquere vel in commune conferre nolebant.

An licèt Clericis de bonis Ecclesiasticis alere in studiis consanguineos, si parentes nolint, aut eos non possint alere?

II. R. Hoc esse licitum, sed sæpe periculo non carere: unde dicit Ludolphus Carthusianus:

" Dum genitor rerum privavit semine Clerum,"
" Ad Satanæ votum successit turba nepotum."

An licitum est Beneficiatis ex proventibus beneficii deficientem consanguineorum statum sustinere?

R. Licitum est & pium illis succurrere, dum necessitatem patiuntur.

III. 2°. Licitum est juxta S. Thom. eis subvenire, ut non indigeant, & ut Beneficiato in dignitate constituto non sint dedecori, prout addunt Authores varii; sed & hìc sæpe periculum subest, ne multi, ut S. Hieronymus scribit, dum parentibus miserentur, animas suas perdant.

IV. Joannes certò sciens, quòd pater suus, qui non habebat nisi bona matris defunctæ, majores expensas fecerit eum in studiis intertinendo, quàm in sorore educanda, quærit, an debeat tantundem sorori restituere in supposito, quòd non habeat nisi superflua beneficialia?

R. Attendi debent jura municipalia sive consuetudines: quia si pater Joannis habuerit liberam dispositionem illorum bonorum ad proles honestè educandas, Joannes liber est à restitutione: si verò pater liberam illam dispositionem non habuerit, Joannes tenetur restituere etiam ex superfluis beneficii; quia accepit aliqua, quæ non erant donantis, & quibus acceptis donans incapax factus est ad restituendum.

Quid si Clericus singulari parsimoniâ, ex proventibus congruæ sustentationi debitis quædam subduxit, an de illis liberè potest disponere in usus etiam non pios?

V. R. Ita bene multi existimant: sed id nullâ adhuc satis idoneâ ratione probatur, inquit Danes; ratio est, quòd

Canones loquantur generaliter, & quòd fructus illi subtracti nihilominus maneant vere beneficiales.

An est arctior obligatio Clericorum expendendi superflua beneficialia in pias causas, quam divitum expendendi superflua in pauperes?

VI. ℞. Est multò arctior; 1°. quia Clerici non tantùm ex charitate, sed etiam ex obedientia & religione tenentur.

2°. Quia omnia superflua beneficialia obstricta sunt piis causis, non verò omnia superflua patrimonialia.

3°. Quia obligatio quasi inhæret ipsis superfluis Clericorum, quamdiu saltem apud ipsos sunt; non item superfluis divitum.

N. 15. DE OBJECTO DOMINII HUMANI.

I. *Objectum dominii.* II. *Sunt actus humani.* III. *Fama, usus membrorum, &c.* IV. *Et superlunares quoad effectus quosdam.*

QUODNAM est objectum dominii humani?

I. ℞. Sunt res, quæ cadunt sub dominium hominis: res autem illæ aliquæ sunt homini internæ, aliæ externæ.

Quænam res internæ subsunt dominio hominis?

II. ℞. Homo dominium habet actuum suorum liberorum, etiam internorum, imò & supernaturalium, quia sunt in ejus potestate: quin & dominium habere videtur actuum necessariorum, modò sint deliberati, ut diximus Num. 1. "de "actibus humanis," & conforme est Num. 9. ubi diximus Deum esse Dominum actionum suarum "ad intra," quæ sunt necessariæ.

III. 2°. Homo dominium habet suæ famæ.

3°. Habet dominium usûs membrorum suorum & suæ vitæ: homo non habet tamen dominium ipsorum membrorum nec vitæ, sive propriæ, sive alienæ, sed hoc sibi reservavit Deus; qui tamen dominium indirectum quibusdam casibus concessit Principi & Reipublicæ, de quibus latiùs, ubi "de homicidio."

Quænam res externæ subsunt dominio hominis?

℞. Generaliter omnes res sublunares, sive mobiles, ut libri, supellex, &c. sive immobiles, ut agri, domus, &c. sive corporales, ut aurum, argentum, &c. sive incorporales, seu spirituales, ut officia, beneficia, servitus, &c.

Etiam ipse homo quoad opera sua potest esse sub dominio alterius per servitutem, quæ contrahitur titulo nativitatis, emptionis, delicti, vel jure belli: jure naturæ non videntur homines habere dominium in alium hominem.

IV. Res superlunares seu cœlestes, ut astra, cœlum, ventus, &c. non cadunt sub dominium hominis secundùm se, sed solùm secundùm quosdam effectus; tantùm enim eatenus homo potest de illis disponere; sic habet quis dominium & jus luminis percipiendi, & agendi contra impedientem: sic etiam Toparchæ dicuntur vendere ventum pro construendis molendinis necessarium.

N. 16. DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

I. *Divisio bonorum communium.* II. *Fuit licita.* III. *Et conveniens.* IV. *Introducta est jure gentium.* V. *Quo tempore.*

I. PRÆNOTANDUM, quædam eorum, quæ sub dominium cadunt, esse quasi jure naturæ singulis propria, ut fama, usus membrorum, &c. quædam non ita, ut bona externa, quæ fortunæ dicuntur, & quæ jus naturæ nulli particulari appropriavit.

Initio mundi bona externa erant communia, & ita creduntur permansura fuisse, si homo in statu innocentiæ perseverasset: illo lapso in peccatum, bona communia dividi cœperunt, & facta sunt aliquibus propria: non videtur autem ad illam proprietatem suffecisse sola occupatio, cùm jure naturæ occupatione illâ aliis non sit exclusa potestas easdem res occupandi; sed intervenisse videtur conventio tacita vel expressa, ut, quod unus occupârat id ei eripere non liceret: cùm autem omnis conventio humana seu pactum necessitatem extremam excipiat, sequitur, quòd in illa necessitate redeat jus primævum & omnia sint communia, inquantùm scilicet illa necessitas postulat.

II. Quòd divisio illa fuerit licita, patet ex facto ipsiusmet Dei, qui auxit possessiones Patriarcharum.

III. Fuit etiam post peccatum valde conveniens: 1°. ne bona possessa in communi negligerentur, 2°. ut tollerentur lites, jurgia rixæ, &c. 3°. quia ordinatiùs res tractantur, dum singulis incumbit cura propria.

IV. Ex dictis patet, quòd divisio bonorum non ex jure naturæ, sed ex conventione hominum seu jure gentium sit introducta, adstipulante tamen jure naturali, ut obviaretur litibus, rixis, &c.

Quo tempore facta est bonorum divisio?

V. R. Videtur ante diluvium fuisse aliqua bonorum divisio, cùm Gen. cap. 4. dicatur Abel obtulisse de primogenitis gregis sui.

Celebrior divisio facta est Gen. cap. 11. post ædificationem turris Babelicæ.

Plurima tamen communi consensu manserunt indivisa, ut mare, littus, &c. quamvis etiam similia postmodum facta sint aliquibus propria, ut jus navigandi, venandi, piscandi, &c.

Inter bona communia, seu quæ nullius in particulari subsunt dominio, etiam numerantur feræ, licèt captæ fuerint, modò pristinam libertatem recuperaverint: item locus in littore maris, si destructo ædificio priorem littoris speciem recipiat: item res derelictæ, thesauri, &c. quæ omnia dicuntur res adespotæ, id est carentes Domino.

N. 17. DE ACQUISITIONE DOMINII REI, QUÆ NON HABET DOMINUM.

I. *Apprehensione acquiritur dominium.* II. *Rei derelictæ.* III. *Talia non censentur bona naufragorum.* IV. *Licèt aliàs peritura.* V. *Bona vacantia.* VI. *Addicuntur fisco.*

QUOMODO acquiritur dominium rei derelictæ?

I. R. Solâ rei apprehensione, factâ animo rem illam faciendi suam: ita lib. 2. Institutionum § ultimo: "Si "rem pro derelicta à Domino habitam occupaverit quis, "statim ejus Dominus efficitur." Sed videndum, an huic juri Rom. non obstet lex aut consuetudo contraria.

Quænam res dicitur derelicta?

II. R. Loco juris citato pro derelicta habetur, quam Dominus eâ mente abjecit, ut eam in numero rerum suarum esse nolit, sicque statim ejus Dominus esse desinit.

In dubio præsumitur, quòd res non sit derelicta; quia hoc genus rerum est rarissimum.

Quid judicandum de bonis ejectis naufragorum?

III. R. Censeri non posse derelicta; quia palam est, ea non eo animo ejici, quòd quis ea habere nolit: hinc auferens talia, furtum committit, ut dicitur lib. 2. Institutionum tit. 1. § 48. unde & capit. Excommunicamus "de "Raptoribus," excommunicantur bona Christianorum naufragorum injustè usurpantes.

Pro Belgio statutum est à Carolo V. edicto 10 Decembris anno 1547. ut bona naufragorum tradantur cuidam Prætori ad hoc constituto, à quo naufragi possint ea recipere deductis expensis. Si nullus ista bona reclamet post annum

elapsum, applicantur Principi. Ita Zypæus "de jure "Belgii."

IV. Idem resolve, etiamsi res illæ certò periissent, nisi apprehendisses, quia erat farina, saccharum, frumentum, &c. nam juxta legem Pomponius digestorum "de acqui- "rendo dominio," quælibet res nostra, quamtumvis periclitetur, manet nostra, donec sit consumpta, modò velimus manere nostram: ut si ovis mea è faucibus lupi, vel domus mea ab incendio eripiatur, manet mea; potes tamen repetere pretium expensarum, quas fecisti, laboris & periculi, quod subiisti, &c.

Quomodo acquiritur dominium bonorum vacantium?

V. R. Bona vacantia dicuntur, quæ quis moriens ab intestato reliquit, non habens heredem, qui ei juxta leges ab intestato succedat, vel si heredem habeat, ille hæreditatem adire nolit.

VI. Hæc bona fisco addicuntur per legem VACANTIA "codicis de bonis vacantibus." Hoc jus etiam usurpant multi Principes & civitates Imperii, ait Zypæus.

Bona tamen mobilia peregrinorum, qui ab intestato discedunt sine hærede, juxta authenticam OMNES PEREGRINI, debent per manus Episcopi in pias causas erogari.

Bonis vacantibus annumerantur bona spuriorum, damnatorum & illorum, quibus per leges prohibitum est condere testamentum.

N. 18. DE BONIS INVENTIS ET INCERTIS.

I. *Res inventæ.* II. *Manent Domini sui.* III. *Obligatio inventoris.* IV. *Si Dominus non compareat, erogari debent in pios usus.* V. *Jure naturæ.* VI. *Nisi inventor sit pauper.* VII. *Quid si re distributâ Dominus compareat.* VIII. *Monitum.* IX. *Dicta de inventis applicari possunt aliis incertis.*

PENES quem est dominium bonorum inventorum?

I. R. Bona inventa sunt duplicis generis, nempe quæ vel nuper perdita sunt à Domino, vel quæ tamdiu sunt perdita, ut Dominum ampliùs habere non censeantur, quales sunt thesauri, de quibus Num. sequenti.

II. Prioris generis dominium manet penes Dominum, quamdiu bona illa non habentur pro derelictis.

Ad quid igitur tenetur inventor rei recenter perditæ?

III. R. 1°. Tenetur instituere diligentem Domini inquisitionem, eò majorem, quo res est majoris momenti idque sumptibus Domini rei, & illi rem reddere, dicente August, sermone 19. de verbis Apostoli cap. 8. "Quod invenisti "& non reddidisti, rapuisti."

2°. Debet res servari, quamdiu manet spes Dominum inveniendi: quòd si servari non possit, distrahi aut consumi potest, servato pretio.

3°. Si Dominus reperiatur multùm distans, convenit ab eo petere, quid de re sua fieri velit.

4°. Si Dominus sit mortuus, reddi debet ejus hæredi.

IV. 5°. Si Dominus ignotus maneat, debet res inventa applicari piis causis, quia hæc est voluntas Domini rationabiliter præsumpta.

Probatur hæc sententia ex verbis S. Augustini supra citatis; item ex Pœnitentiali Rom. dicente: "Qui rem in"ventam non reddit, furtum committit." Item ex Catechismo Romano part. 3. num. 7. "Si rerum inventarum "Dominus nullâ ratione inveniri potest, illa bona sunt in "usus pauperum conferenda."

Illa etiam statuit Concil. Mediolanense IV. Denique *eruitur* ex S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 3.

Quo jure res inventæ erogari debent in pias causas?

V. R. Jure naturæ; quia jus naturæ nos obligat, ut rem expendamus juxta voluntatem Domini: jam autem rationabiliter præsumitur velle Dominus, ut, si res ad se redire non possit, expendatur in illos usus, qui sibi aut suis, vel saltem Reipublicæ prodesse possint.

Hæc fusiùs tractat De Cocq cap. 7. lectione 5. ubi addit: Admonentur Confessarii elargitionem horum bonorum pœnitentibus inculcare, & si renuant, per modum pœnitentiæ illis ipsam imponere.

An inventor nunquam sibi potest rem inventam retinere?

VI. R. Si inventor est pauper, & post præmissam debitam inquisitionem, Dominus ignotus maneat, potest ille rem inventam sibi retinere, pro Domino orando, &c. nisi res majoris sit pretii, quàm ut ejus necessitati tantum sufficiat: unde communiter consulendus est Confessarius, tum ut propriæ deceptionis periculum vitetur, tum ut videatur, an sufficiens inquisitio facta sit, & judicetur, quid convenientiùs pauper pro Domino facere possit.

Quid si, re in pios usus distributâ, Dominus compareat?

VII. R. Si absque sufficiente inquisitione & nimis citò inventor rem distribuerit, ita ut intercesserit culpa notabilis

imprudentiæ, tenetur inventor titulo injustæ acceptionis Domino rem restituere, aut procurare ut restituatur; si autem rectè & prudenter processerit, inventor ad nihil tenetur.

VIII. Quare consultum est, ut, si res sit majoris momenti, illa tradatur alicui communitati pauperum, v. g. mensæ Spiritûs S. Hospitali, Ecclesiæ, &c. sub expressa conditione illam reddendi Domino comparenti, acceptâ etiam cautione, si opus est, aut saltem adhibitis testibus.

Generaliter sic agere debemus circa rem inventam, prout judicamus eam faciliùs ad Dominium perventuram: unde interdum satius est, res inventas tollere & Domino servare, interdum præstat eas relinquere, si ita meliùs prævideantur ad Dominum rediturae.

Supra dicta conformia sunt juri communi: sed pluribus in locis res inventæ, Domino non comparente, addicuntur fisco.

IX. Denique De Cocq loco ante citato & Steyaert notant, quòd dicta de inventis applicari debeant aliis bonis incertis, quæ quis habet sine injusta acceptatione, & quorum Dominus ignoratur: aliud dicendum, si quis bona incerti Domini habeat cum injusta acceptatione, v. g. per usuram aut aliter; talia enim, ut dicetur postea de injusta acceptatione, debent restitui cum suis fructibus, expensis tenentis, non Domini, &c.

Daelman per bona incerta intelligit ea, quæ Dominum non habent, ut quæ crescunt in terris Dominum non habentibus; & de illis consequenter dicit, quòd propriè loquendo sint nullius, ac ideo fiant primò occupantis: nisi quòd etiam Principes illa sibi vindicare soleant.

N. 19. DE THESAURIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5.

I. *Thesaurus.* II. *Est vetus depositio pecuniæ.* III. *Cujus non extat memoria.* IV. *Jure gentium est inventoris.* V. *Cujus sit jure Cæsareo.* VI. *Quid dicendum de pecunia in domo occultata.* VII. *Monitum.* VIII. *Licèt emere agrum in quo latet thesaurus.* IX. *Cujus sint venæ.*

QUID intelligitur nomine thesauri?

I. R. Definitur lege 31. digestorum: vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat.

II. Dicitur "vetus," id est ab immemoriali tempore.

Nomine "pecuniæ" intelligitur quælibet res mobilis, ut gemmæ, vasa argentea vel aurea, &c.

III. Dicitur "Cujus non extat memoria," à quo scilicet & quando sit deposita sive occultata: quia si hæc memoria extaret, Dominus posset inveniri.

Ad quem pertinet thesaurus inventus?

IV. R. Primò, jure gentium est totus inventoris, quicumque sit; quia quæ nullius sunt, jure gentium fiunt primò occupantis.

V. R. 2°. Jure Cæsareo lib. 2. Institutionum tit. 1. § THESAUROS, & lege codicis NEMO, statuitur, ut thesaurus inventus in proprio fundo sit totus inventoris.

3°. Eodem jure, inventus fortuitò in fundo alieno pro dimidio est inventoris & pro altero dimidio Domini fundi. Quod jus, ut aiunt Authores, cùm non sit pœnale, sed definitivum, medietas ante sententiam latam danda est Domino fundi.

4°. Inventus de industria in fundo alieno cum consensu Domini, secluso pacto, totus est inventoris juxta Lessium, *Navarrum* & alios.

5°. Inventus de industria in fundo alieno sine consensu Domini, totus est Domini; sed hanc legem dicunt esse pœnalem pro una medietate.

6°. Inventus arte magicâ, cedit fisco pro parte inventoris: adeoque si sit sic inventus in proprio fundo, totus est fisci.

In hac patria thesaurus inventus in loco publico, solet vindicari à Domino territorii; multis quoque locis Princeps sibi vindicat omnes thesauros.

Si duo sint Domini, unus directus & alter utilis, communiter dicunt Authores, quòd uterque participet æqualiter de thesauro: unde emphyteuta, qui invenisset thesaurum in fundo emphyteusis, haberet medietatem ut inventor, & unam quartam ut Dominus utilis; alia autem quarta cederet Domino directo.

Quid dicendum de pecunia, quæ invenitur occultata in aliqua domo?

VI. R. Si depositio sit antiqua, ut nec qui recondidit, nec ejus hæredes sciri possint, ut thesaurus habetur: si verò depositio antiqua non sit, non potest censeri ut thesaurus; sed si homines ejusdem familiæ habitaverint in illa domo continuo & diuturno tempore, hæredibus istius familiæ restitui debet; nam prudenter præsumitur, ab

aliquo istius familiæ fuisse occultatam: quòd si plures locatores eandem domum inhabitaverint, & sciri nequeat, cui familiæ debeatur, idem faciendum est cum illis pecuniis, sicut cum bonis inventis.

VII. Notent hâc occasione Confessarii, qui assistunt moribundis, qui solitariè vixerunt, & noscuntur habere pecunias, ut petant tempestivè ab eis, an nullibi pecunias absconderint? Quòd si affirment, urgeat eos Confessarius, ut id alicui revelent, ut ita impediantur mala, quæ ex iniquis suspicionibus nata sunt sequi, casu quo pecuniæ non reperiantur.

An sciens latere thesaurum in agro alieno, licitè hunc agrum emit pretio communi?

VIII. R. Affirmativè: ratio est, quòd pretium commune sive ordinarium sit pretium justum istius agri, cùm thesaurus non sit pars fundi, sed ante inventionem & apprehensionem sit nullius.

Obj. 1. Non licet à rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum; ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd sic vendens gemmam decipiatur quoad substantiam, cùm præstantia gemmæ sit pars ejus: deinde non solvitur pretium, quod gemma habet ex communi æstimatione: thesaurus verò non est pars agri, & ager emitur justo pretio secundùm communem æstimationem.

Obj. 2. Thesaurus est inventus, dum scitur latere: ergo dimidium est Domini agri, augetque pretium.

R. Dist. antec. Est inventus inchoatè, conc. antec. est inventus completè & sufficienter ac acquirendum ejus dominium, nego antec. nam ad hoc requiritur apprehensio seu occupatio.

Cujus sunt venæ, quæ in terræ viceribus inveniuntur?

IX. R. Venæ sunt duplicis generis, scilicet metallicæ, continentes aurum, argentum, stannum, &c. & terrestres, continentes carbones, cretam & lapides.

Spectato jure naturæ, videntur pertinere ad Dominum fundi, quia vel sunt fructus aut saltem pars fundi.

Sylvius tamen & Lessius volunt, quòd venæ metallicæ sint nullius: quidquid sit, Princeps per leges positivas has venas sibi vindicavit, concessâ parte inventori, & compensato damno, quod fundo infertur.

Venæ terrestres sunt illius, cujus est fundus quoad omnem proprietatem.

Gemmæ, lapilli & similia quæ in littore maris & alibi inveniri solent, censentur esse nullius, ac adeo fieri primò occupantis.

N. 20. DE ALLUVIONIBUS, PASCUIS, ET SYLVIS COMMUNIBUS.

I. Cujus sit alluvio. II. *Insula.* III. *De sylvis & pascuis communibus.* IV. *Quid, dum est dubium, an sint communia.* V. *Quid de sylvis & pascuis alienis.* VI. *Notanda pro praxi.*

ALLUVIO est, quâ pars terræ insensibiliter accrescit ripæ fluminis: de ea sic disponit jus lib. 2. Inst. § PRÆTEREA 20. "Quod per alluvionem agro tuo flumen "adjicit, jure gentium tibi acquiritur."

"Quòd si vis repentina fluminis de tuo prædio partem "aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam est eam "tuam manere; si tamen longiori tempore fundo vicini tui "hæserit, arboresque quas secum traxit, in eum fundum "radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo "acquisitæ esse." Ibidem §. QUOD SI VIS 21.

II. Insula, quæ in mari nata est, fit primò occupantis: idem dic de insula dudum ab habitatoribus deserta.

Insula in flumine nata, est Domini fluvii, vel si Dominum non habeat, est illorum, qui propè ripam prædium possident.

Hæc de jure communi: sed Principes etiam insulas solent sibi vindicare.

Sunt & alii modi acquirendi dominium, scilicet per accessionem, confusionem, specificationem, & commixtionem, de quibus consule Authores.

Quid dicendum de sylvis & pascuis communibus, quæ spectant ad certam communitatem?

III. R. 1°. Lignatio in sylvis communibus, & pabulatio in talibus pascuis legitimè alteri elocatis, est purum furtum.

2°. Si pascua & sylvæ nulli quidem particulari elocata sint, sed communitas prohibeat, ne quis privatim quidquam contractet, ut suo tempore vendita in communitatis bonum applicentur, etiam tunc dubitandum non est, inquit Daelman, quin gravîter peccet, & restitutioni obnoxius sit, si quis de communitate notabilem inde quantitatem auferat, licèt Wiggers, Steyaert, & Billuart sustineant oppositum.

Ratio est, quòd jus privatorum cedere debeat bono communi: adeoque communitas possit ad majus bonum commune particularibus auferre jus inde aliquid auferendi.

Si tamen prohibitio tantùm foret, ne in prata immittantur pecora ante certum tempus, vel ultra determinatum nume-

rum, vel ne hoc anno secentur ligna, merè ut in futurum provideatur communitati, vera potest esse sententia Steyaertii, quòd scilicet tales peccent quidem, sed passim leviter, & quòd restitutio facienda non sit, nisi pro ratione damni à lignis vel gramine distincti.

Quid si dubium sit, an sylvæ vel pascua sint communia, an verò pertineant ad Toparcham, qui interim ea sibi vindicat?

IV. R. Steyaertius: si res revera sit controversa, nec ad finem controversia perduci possit, utrimque manere videntur in sua possessione, communitas quidem illis utendi tanquam publicis, Toparcha mulctis afficiendi eos quos utentes deprehenderit.

Quod spectat sylvam regiam dictam linguâ Belgicâ "Joningen Bosch," Gallicâ "Bois de Soing," quædam scitu utilia tradit De Cocq. cap. 8. sectione 4.

V. Qui è sylvis aut pascuis alienis aufert rem notabilem, vel ea notabiliter deteriorat, graviter peccat & ad restitutionem tenetur: notant tamen Authores, quòd cùm ligna in sylvis, & gramina in pascuis naturaliter crescant, idque sine agricultura, sicque plus accedant ad res naturaliter liberas, paulò major quantitas requiratur, ut in illis auferendis peccetur mortaliter.

Quid autem pauperes possint in sylvis alienis, dependet à voluntate Dominorum expressa, tacita, vel præsumpta, quam usus & consuetudo timoratorum declarat; sic in pluribus locis invaluit, ut pauperes è sylvis auferant ramos aridos, item genistas & vepreta, & similia parva ligna viridia, quæ multum spinis assimilantur.

VI. Interim pro praxi reflectendum, quòd sæpe ligna viridia arefaciant secando radices, &c. quo casu dubium non est, quin graviter possint peccare.

2°. Attendere debet Confessarius, dum confitentur se lignatos esse unum aut alterum baculum, illos interrogandos esse, an sub nomine baculi non comprehendant parvas arbores.

3°. Damnum illatum in secatione arbusculæ in serie plantatæ, præsertim juxta viam publicam, desumi non debet ex eo, quòd exigui sint valoris in ordine ad ignem faciendum, sed simul ex expensis factis, vel faciendis, ut loco abscissæ altera inferatur.

N. 21. DE ACQUISITIONE DOMINII IN ANIMALIA.

I. *Animalia mansueta habent Dominum.* II. *Item Mansuefacta.* III. *Nisi libertatem recuperaverint.* IV. *Feræ sunt primo occupantis.* V. *Quamdiu custodiam non evaserint.* VI. *Cujus sit fera læsa.* VI. *Aut laqueo capta.*

I. TRIA animalium genera distingui debent: alia ex natura sua sunt mansueta sive domestica, ut oves, boves, &c. & hæc ita sunt sub dominio Domini sui, sicut quævis alia res: hinc furti reus est, qui talia ut sua tenet invito Domino, etiamsi fortè longiùs è conspectu Domini abiissent.

II. Alia sunt ex natura sua fera seu sylvestria, sed humanâ industriâ cicurata seu mansuefacta, ut falcones, &c. quibus enumerantur pisces in vivariis, & feræ saltu circumsepto inclusæ: item quæ habent consuetudinem redeundi in potestatem Domini, ut apes, columbæ, &c.

III. Hæc autem omnia tamdiu tua intelliguntur, quamdiu mansueta sunt, aut animum redeundi habent, vel facilè possunt reduci: quod si ita esse desinant, fiunt primò occupantis; quia pristinam libertatem recuperasse censentur: furtum ergo committit, qui pisces capit ex vivariis, feras & volucres ex locis conclusis.

IV. Alia animalia ex natura sua vel ex consuetudine fera sunt, ut apri, lepores, pisces, &c. hæc simul atque ab aliquo capta sunt, jure gentium illius esse incipiunt; quod enim nullius est, fit primò occupantis: unde nec interest sive in tuo fundo, sive in alieno ea ceperis.

V. Si hujusmodi animalia à te capta, custodiam tuam evaserint, & in libertatem naturalem se receperint, iterùm fiunt primò occupantis: intelliguntur autem naturalem libertatem recipere, cùm vel oculos tuos effugerint, vel ita sint in conspectu tuo, ut difficilis sit eorum prosecutio: lib. 2. Instit. § FERÆ: unde piscis, qui eruptis vivariis evaserunt in flumen, fiunt primò occupantis: sic etiam examen apum, quod sylvestris est naturæ, si ita avolet, ut difficilis admodùm sit ejus prosecutio, potest à quolibet apprehendi, etiam in fundo alieno, nisi quòd alter ingressum fundi sui tibi possit prohibere.

Cujus est fera læsa?

VI. Si ita à te vulnerata sit, ut effugere ampliùs non valeat, & eam pergas prosequi, moraliter certò apprehen-

surus, est tua: secùs si eam non pergas prosequi, vel tantùm sit lèviter vulnerata.

VII. Eodem modo si posueris laqueum, & fera ita capta sit, ut se extricare non possit, tua est: si autem fera adhuc possit evadere, fit primò occupantis; quia nondum libertatem amisisse censetur.

Similiter pisces nassâ in flumine extensâ capti, sunt nassam ponentis: quòd si quis extractâ nassâ, quam Dominus ad capiendum pisces posuerat, utatur & pisces capiat, tenetur Domino compensare spem capturæ piscium, si nassa relicta fuisset: ipse tamen fit Dominus piscium, quos cepit.

N. 22. AN VENATIO SIT LICITA?

I. *Venatio secundùm se est licita.* II *Prohibita est.* III. *Ratione statûs.* IV. *Temporis.* V. *Instrumentorum.* VI. *Et loci.* VII. *Peccat contra prohibitionem venans.* VIII. *Et damnum agris illatum restituere debet.* IX. *Non tamen feras captas.*

I. RESP. Venatio secundùm se est licita; quia animalia in usum hominum creata sunt, & in cibum data, saltem post diluvium. Vide Gen. cap. 9. V. 3. & cap. 27. V. 3. & 4.

II. Venatio tamen quadrupliciter potest esse illicita; scilicet 1°. ratione statûs & conditionis personæ venantis, 2°. ratione temporis, 3°. ratione instrumentorum, & 4°. ratione loci.

III. Ratione statûs venatio cum strepitu per varios Canones prohibita est Clericis & Monachis: & Synodus Diœcesana Mechlin. tit. 7. cap. 10. vetat, ne Clericus ad venandum canes, accipitres aut falcones alat.

Dicitur venatio fieri cum strepitu quæ fit cum magno apparatu, in qua adducitur grex canum, concentus tubarum, vel adhibentes accipitres.

Hinc venatio sine strepitu armorum aut canum potest Clerico esse licita, quando moderatè adhibetur recreationis causâ.

IV. Ratione temporis venatio prohibetur, quando animalia sunt fœta, aut fœtum alunt, ne aliàs integra soboles ferina destruatur.

Hoc tempus statuunt edicta Regia à 1 Martii usque ad 22. Julii. & quandoque prolongatur: venatio etiam pro-

hibetur ratione diei Festi, de quo vide Num. 81. "de Le-"gibus."

V. Venatio etiam illicita est ratione instrumentorum, ut si quis utator mediis venenatis, quod sæpe obtinet in piscatione.

VI. Ratione loci prohibetur venatio, ubi Princeps vel Toparcha sibi eam reservat: qui tamen curare debent, ne multitudo ferarum noceat agris, segeti, &c. alioquin obligantur ad restitutionem: etiam pœna statuta contra venantes non potest esse excessiva.

An particularis sive privatus potest prohibere venationem in suo fundo?

R. Id jure communi concessum est lib. 2. Inst. § FERÆ. Moribus tamen nostris, inquit De Cocq, introductum est, ut Dominus feram in territorio suo excitatam etiam in alieno possit persequi.

Quomodo peccat, qui contra justam prohibitionem venatur?

VII. R. Communis sententia habet, quòd tantum peccet venialiter, nisi fortè tale damnum inferret venationi, ut *jus venandi* notabiliter vilius redderetur.

VIII. Potest interim peccari mortaliter ratione damni, quod infert fructibus, & ad restitutionem teneri, item ratione periculi pœnæ, cui se exponit, &c. Sæpius etiam venatores peccant mortaliter ratione animi parati ad infligendum grave vulnus aut mortem custodi venationis, casu quo deprehendantur, prout sat frequenter contingit.

An qui contra prohibitionem venatur, acquirit dominium feræ captæ?

IX. R. Responsio communis est affirmativa: licèt Anselmo Triboniano cap. 56. § 6. & Puffendorfius "de jure "Nat. & Gent." lib. 4. cap. 6. n. 7. contradicant: ratio est, quòd feræ sint nullius, adeoque jure Gentium fiant primò occupantis, cui juri non videtur detractum per prohibitionem venationis.

Dicta de venatione applicari possunt piscationi, cùm pari passu procedant, excepto, quòd piscatio & aucupium non ita Clericis sint interdicta; ex professo tamen similibus incumbere, dedecet Clericos, qui ad sanctiora sunt vocati.

N. 23. DE ACQUIRENDO DOMINIO REI, QUÆ HABET DOMINUM.

I. *Dominium rei alienæ dupliciter acquiri potest.* II. *Domino non volente.* III. *Et Domino volente.* IV. *Hoc casu requiruntur duo.* V. *Titulus.* VI. *Et traditio.* VII. *Exceptis casibus.*

I. QUOMODO acquiritur dominium rei, quæ habet Dominum?

R. Generatim id dupliciter fieri potest, scilicet vel priore Domino volente, vel priore Domino non volente.

Quomodo transfertur dominium, Domino non volente?

II. R. Præcipuè his modis: 1°. Jure gentium: sic res justo bello captæ fiunt capientis. 2°. Sententiâ Judicis, ut si fur condemnetur ad restituendum duplum damni. 3°. Authoritate legis, sive fiat ob culpam, v. g. ob crimen læsæ Majestatis, sive sine culpâ, ut fit per alluvionem, confusionem, commixtionem, &c. & præcipuè per præscriptionem & usucapionem, de quibus Num. sequenti.

Quomodo acquiritur dominium, Domino volente?

III. R. Jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus: verùm jure positivo Romano, cui accedunt Principum nostrorum decreta, necessaria sunt hæc duo, titulus & traditio. Insuper nulla immobilium alienatio moribus nostris firma est, nisi fiat coram Judice aut Magistratu, ut dictum est num. 7. paucis casibus exceptis statim assignandis.

Quare ista duo requisita fuerunt?

IV. R. Ut sic magis evitaretur incertitudo dominii & multitudo litium.

Quid intelligitur nomine tituli?

V. R. Ratio, in qua fundatur jus acquirendi sibi dominium, v. g. venditio, donatio, &c.

Fundatur autem titulus in jure naturali gentium, legitimo contractu, authoritate legis, & sententiâ judicis.

Quid est traditio?

VI. R. Est actus, quo quis mittitur in possessionem rei antea non suæ. Alia est realis, quâ res ipsa realiter datur, v. g. in manus: alia ficta seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut per aliquid aliud, quod lex vel consuetudo statuit.

In quibusnam casibus sufficit titulus sine traditione ad acquirendum dominium, aut jus in re?

R. Jure civili statuuntur hi casus:

VII. 1°. Hæreditas acceptata. 2°. Legatum, si res individua legata sit, & hæres hæreditatem acceptet. 3°. Res civitatibus, Ecclesiis, aliisque piis causis vendita, donata, testamento relicta, &c. 4°. In collatione beneficii acceptata, statim obtinetur quasi-dominium. 5°. Si res alicui donata sit sub ea conditione, ut tibi alimentum præbeat, illo non præbente ut debet, statim accipis dominium istius rei sine traditione. 6°. In contractu omnium bonorum per matrimonium. 7°. Si princeps profiteatur se velle transferre dominium sine traditione.

Similiter accipit aliquis jus in re & actionem realem sine traditione in pignus & hypothecam. Lege 1. digest. "de "pignoribus."

Etiam, ut docent Lessius & Covarruvias, si res tibi vendita tradatur alteri scienti tibi venditam, posses illam vindicare.

Idem accidere potest in aliis casibus, si lege aut consuetudine à jure communi excipiantur.

N. 24. DE PRÆSCRIPTIONE.

I. *Præscriptio.* II. *Introducta est jure civili.* III. *Ob quatuor causas.*

QUID est præscriptio ?

I. R. Præscriptio, de qua hìc agitur, definiri solet : acquisitio dominii, vel elisio juris alterius per possessionem rei aut libertatis, continuatam tempore legibus definito.

Usucapio à Theologis solet cum præscriptione confundi, licèt aliqui dicant, quod usucapio sit mobilium, præscriptio immobilium.

Quo jure præscriptio est introducta ?

II. R. Jure civili, adstipulante Jure Canonico : hinc generatim, ut de validitate præscriptionis judicetur, standum est legibus & consuetudinibus locorum, & iis deficientibus, juri communi.

Quare præscriptio introducta est ?

III. R. In jure allegantur hæ quatuor causæ : Prima, ne diu & ferè semper dominia quarumdam rerum essent incerta : lib. 41. digest. tit. 3. "de Usucapione & Usur-"patione."

Secunda, ut aliquis litium finis esset : lege ultimâ digest. Pro suo lib. 41. tit. 10.

Tertia, ne possessiones prope immortali timore teneantur: Lege CUM NOTISSIMI, codicis "de Præscriptione" 30 vel 40 annorum lib. 7. tit. 39.

Quarta, ut corrigatur negligentia Dominorum res suas prosequi prætermittentium: Lege UT PERFECTIUS, codicis "de Annali exceptione," & cap. VIGILANTI EXTRA "de "Præscriptione:" sed hæc quarta causa est minùs principalis: unde lex præscriptionis merè pœnalis non est, ideoque procedit citra negligentiam Domini rei præscriptæ.

Ex his causis, liquet, quàm conveniens sit, imò quàm necessaria fuerit præscriptio regimini publico, ac adeo, quòd respublica potuerit præscriptionem inducere, cùm bonum commune præponderet privato.

Solent ad legitimam præscriptionem requiri quinque conditiones; 1°. Ut res sit apta seu non vitiosa. 2°. Titulus. 3°. Possessio. 4°. Bona fides. 5°. Tempus lege definitum. Quatuor posteriores exprimuntur hoc versu:

"Intemerata fides, titulus, possessio, tempus."

N. 25. DE RE NON APTA, ET TITULO PRÆSCRIPTIONIS.

I. *Res non apta.* II. *Titulus.*

QUÆNAM res dicitur non apta seu vitiosa?

I. R. Omnis illa, quæ non potest præscribi.

Quaenam sunt illae res, quae praescribi non possunt?

R. 1°. Generaliter non præscribuntur res ab illo, qui eas possidere non potest: sic à laïco non præscribuntur Jura Ecclesiastica, ut est v. g. jus decimarum: ex privilegio tamen, laïci decimas possunt habere, quales sunt decimæ infeudatæ ante Concil. III. Lateranense anno 1179. Vide ulteriùs Num. 73. "de Religione."

2°. Non præscribuntur res deputatæ usibus publicis, ut forum, plateæ, fontes, &c. lege USUCAPIONUM DIGESTORUM: jus tamen plantandi in viis publicis in hac patria præscribitur, ut tradit Stockmans decisione 88.

3°. Quæ debentur Principi ratione Superioritatis ejus, ut tributa, census, jus appellationis, &c. uti nec census dominicales.

4°. Præscribi non potest contra jus naturale, aut positivum divinum; nec quoad res Dei, ut Templa, vel res religiosas, ut cœmeteria, &c.

5°. Non præscribitur adversùs hominem liberum, ut fiat servus. Lib. 2. Institut. tit. 6.

6°. Non præscribuntur res furtivæ & quæ vi possessæ sunt: quia res transit cum vitio, quo affecta est: possunt tamen res tales ab acquisitore bonæ fidei, qui non sit hæres immediatus furis, postea præscribi tempore triginta annorum.

7°. Non præscribuntur res miserabilium personarum, qui sua in jure repetere non valent, ut mente captorum: alibi etiam res minorum 25 annis non præscribuntur, &c.

Denique non præscribuntur res puræ gratiæ.

Finaliter notandum, quòd sæpe in jure dicantur res aliquæ non posse præscribi, quia tantùm præscribuntur tempore longissimo, ut sunt res furtivæ, res fisci, &c.

Qualis requiritur titulus ad præscriptionem?

II. R. Requiritur titulus de se translativus dominii, ut donatio, venditio, &c. qui tamen de facto dominium non transtulit, v. g. quia donans vel vendens non erat Dominus.

Hinc titulus non est, si quis habeat rem commodatò, vel rem nondum derelictam invenerit, quia illa de se non transferunt dominium.

Pariter titulus non est, si quis habeat rem ex testamento solemnitatibus destituto; quia ipso jure nullum est, & consequenter de se non translativum dominii. Aliud est, an tale testamentum valeat in foro conscientiæ, de quo in Tractatu "de Contractibus."

Notandum etiam, quòd ille titulus de se translativus dominii debeat realiter existere, adeoque non sufficiat, quòd quis bonâ fide existimet ejus existentiam, si à parte rei non existat, ut si quis putet se emisse, & non emerit; dono accepisse, & non acceperit.

In præscriptione tamen longissimi temporis, titulus præsumitur & probari non debet, nisi vehemens suspicio sit, rem cujus præscriptio prætenditur, fuisse malâ fide acquisitam vel possessam. In præscriptione servitutum pro titulo habetur patientia prioris Domini.

N. 26. DE POSSESSIONE REQUISITA AD PRÆSCRIPTIONEM.

I. *Requiritur possessio saltem facti.* II. *Eaque continuata.* III. *Continuatio tripliciter impeditur.* IV. *Non procedendo.* V. *Dormiendo.* VI. *Et interrumpendo.* VII. *Requiritur ut sciam me possidere.* VIII. *Cujus nomine possidetur, ejus præscribitur.*

QUÆNAM possessio requiritur ad præscriptionem?

I. R. Sufficit possessio facti dicta "civilis," imò sola "naturalis" sufficere potest, quantùm est ex parte præscriptionis, saltem ad eamcontinuandam, modò adsit bona fides.

De possessione ejusque divisione specialiter agetur postea.

II. Debet deinde ista possessio esse continuata per totum tempus à lege statutum sine interruptione.

Quommodo continuatur possessio?

R. Dupliciter, scilicet vel "naturaliter," hoc est, ab eodem possessore, vel "civiliter," hoc est, à diversis: & sic in jure dicitur, inter venditorem & emptorem conjungi tempora, sic ut emptor tempus præscriptionis computet à tempore, quo venditor præscriptionem incepit.

Quomodo impeditur continuatio possessionis?

III. R. Tribus modis, nimirum si præscriptio non procedat, si dormiat, vel si interrumpatur.

IV. 1°. Non procedit, dum præscriptio ob aliquam causam non potest incipere, v. g. si hæres immediatus furis, licèt ignorans, teneat rem furtivam, non potest præscribere. Ita institutionum § Diutina, "de usucapionibus." "Si ille (defunctus) initium justum non habuit, hæredi & "bonorum possessori, licèt ignoranti, possessio non pro- "dest."

Ratio est, quòd immediatus hæres fictione juris censeatur una eademque persona cum defuncto, adeoque possidere malâ fide, sicut defunctus.

Aliud est de illo, qui acquisivit rem furtivam à fure, alio contractu, vel hæreditate tantùm mediatâ in bona fide.

V. 2°. Dicitur præscriptio dormire, dum legitimè inchoata sic cessat, ut, finitâ dormitionis causâ, reviviscat, & anni priores computentur cum posterioribus, omissis illis quibus dormivit: sic dormit tempore pestis, quando jus non dicitur, & omni tempore, quo agere non potest is, contra quem præscribitur, v. g. si sit pupillus, si absens ob publica negotia, ut legatus, dum Ecclesia caret rectore aut habet impotentem, dormit præscriptio contra eam.

VI. 3°. Dicitur præscriptio interrumpi, dum incepta sic cessat, ut posteriores anni non possint cum prioribus computari, licèt reviviscat, sed de novo debet inchoari: hoc fit vel "naturaliter," dum deficit aliquid necessariò requisitum ad præscriptionem; v. g. bona fides aut possessio etiam vi ablata, nisi curet se intra annum in possessione restitui, lege 3. cod. Unde vi. Vel "civiliter," dum per actum juridicum interpellatur, ut per litis contestationem.

Si tamen sequatur sententia absolutoria, continuatur præscriptio. " Lib. 2. ff. pro don. L. 1. I. 9. C. de præscrip. *long.* temp.

VII. Ex natura possessionis requiritur, ut sciam me possidere rem præscribendam, saltem virtualiter; unde qui rem alienam ignoranter inter sua bona collocatam, post legitimum tempus deprehenderet, non posset eam præscribere.

VIII. Etiam ut quis nomine proprio præscribat, debet nomine proprio possidere: & generatim cujus nomine res possidetur, pro eodem præscribitur.

N. 27. DE BONA FIDE REQUISITA AD PRÆSCRIPTIONEM.

I. *Requiritur bona fides.* II. *Toto tempore præscriptionis.*

QUID hic intelligitur per bonam fidem?

R. Fundata credulitas, quâ aliquis sibi persuadet, rem esse suam: unde non sufficit levis aliqua aut affectata credulitas, sed requiritur judicium prudens, quo quis in *conscientia* judicet, quòd rem illam legitimè possideat ut *suam.* Fundamentum bonæ fidei est titulus.

Quo tempore debet illa bona fides adesse?

II. R. Non tantùm initio possessionis, verùm etiam in ejus decursu, donec præscriptio legitimè absolvatur, juxta regulam secundam juris in sexto: " Possessor malæ fidei " ullo tempore non præscribit;" idem habetur cap. finali " de præscriptione" his verbis: " Unde oportet, ut qui " præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscien- " tiam alienæ." In hoc capit. de sumpto ex Concil. Lateranensi, Innocentius III. corrigit & derogat juri civili, quod admittebat præscriptionem, modò bonâ fide incepta esset, licèt mala fides supervenisset.

Objicies 1°. Jura non requirunt titulum in præscriptionibus longissimi temporis: ergo admittunt præscriptionem malæ fidei.

R. Neg. conseq. quia leges civiles tantùm admittunt illam præscriptionem hoc sensu, quòd in foro externo negent actionem contra possessorem triginta aut quadraginta annorum, nec cogant eum ad probandum titulum, nisi mala fides appareat: sed inde non sequitur, quòd mala fides sufficiat pro præscriptione in conscientia.

Objicies 2°. Possum præscribere adversùs eum, quem optime scio habere jus servitutis, v. g. transeundi per meum agrum: ergo, &c.

R. Nego conseq. ratio est, quòd cùm in illo casu nih agam illiciti, nec omittam, quod debeo præstare, sim in bona fide ; non enim impedio transitum per meum agrum, nec meum est ipsum monere, ut jure suo utatur : tantùm itaque sino ipsum jure suo non uti, ex quo nascitur mihi libertas.

Idem dic de bonis, quæ essent confiscata, & de similibus, quæ pœnalia sunt : non tenemur illa spontè dare, & si suo tempore non petantur, bonâ fide eadem retinemus.

Inferes : ergo possum etiam præscribere mea debita, si creditor me non moneat nec debitum petat.

R. Neg. seq. Disparitas est quòd in tali casu meum sit aliquid agere & non merè tolerare ; quia independenter ab ejus monitione solvere teneor : unde hic ago injustè & mala fide procedo ; in præcedentibus verò casibus nil agere debebam, sed tantùm permittere, ut alter jure suo uteretur : quod cum fecerim, mala fide non processi.

N. 28. DE IIS QUÆ BONÆ FIDEI ADVERSANTUR.

1. *Bonæ fidei adversantur* II. *Mala fides,* III. *Fides dubia.* IV. *Nisi dubium evacuetur.* V. *Quo sensu melior sit conditio possidentis.* VI. *Manente dubio res dividenda.* VII. *Exceptio.* VIII. *Ignorantia culpabilis obest bonæ fidei.* IX. *Item ignorantia inculpabilis juris.*

I. BONÆ fidei potissimùm tria adversantur, nempe fides mala, fides dubia, & quædam ignorantia.

Quænam fides hìc dicitur mala ?

II. R. Illa, quâ quis agnoscit ante tempus præscriptionis completum, rem quam possidet, esse alienam. Hæc semper præscriptionem turbat.

Ad malam fidem etiam reducitur conscientia illiciti, etsi infundata. Ita habetur lib. 41. digest " de Usucapione" § SI FUR : " Si quis id, quod possidet, non putat sibi licere " per leges usucapere, dicendum, etiamsi erret, non pro- " cedere usucapionem."

Quænam fides dubia obest præscriptioni ?

III. R. 1°. Conveniunt Theologi, quòd is, qui dubitat ab initio, an res sit sua vel alterius, non possit tutâ conscientiâ illam ut suam possidere, ac adeo nec præscriptionem incipere defectu bonæ fidei.

2°. Conveniunt, quòd ille, qui in decursu præscriptionis fundatè dubitat, an licitè possideat rem aliquam, non

possit, quamdiù sic practicè dubitat, rem illam præscribere; quia ageret contra conscientiam.

IV. 3°. Certum est, quòd si dubium (sive præcedat sive *superveniat* possessioni) sit incidens tantùm, & adhibito maturo examine & concilio prudentum deponatur, præscriptioni non obsit, utì nec bonæ fidei.

Quæstio itaque tantùm restat, an ille, qui bonâ fide incepit possidere, si postea ex motivo rationabili, adhibito etiam sufficienti examine, maneat dubius, an res sit sua, an alterius, possit dici bonæ fidei possessor, ac ut talis præscribere?

R. Soto, Steyaert, Collet & plures moderni, tunc saltem pro parte deficere bonam fidem; quia talis non potest prudenter judicare, se rem ut suam possidere. Deinde cum tali dubio non potest præscriptio inchoari, adeoque nec perfici: præterea in tali possessione non potest dari fundata credulitas, quâ sibi prudenter persuadeat rem esse suam.

Ab opposito Wiggers, Lessius, & grex Probabilistarum sustinent, talem dubitantem bonâ fide possidere, & consequenter posse præscribere, propter rationes sequentes, quas objiciunt.

Obj. I. Talis dubitans non est in mala fide: ergo est in bona fide.

R. Neg. seq. status enim deliberatæ dubitationis est quiddam inter utramque fidem medium, utpote quæ ambæ persuasionem minimè vacillantem important.

Obj. II. Talis dubitans non habet conscientiam rei alienæ, quod tamen Innocentius III. requirit, ut non currat præscriptio.

R. Dist. assumpt. talis non habet conscientiam rei alienæ certam, conc. assump. non habet conscientiam rei alienæ probabilem, nego assump.

Obj. III. Cap. AD AURES "de præscriptione" lib. 2. decret. tit. 26. dicit Alexander III. Episcopo Mauritano: "Tenore presentium tuæ Fraternitati innotescat, quòd "de jure divino & humano melior est conditio possidentis, &c."

Item Regula 65. juris in 6. "In pari delicto vel causa "melior est conditio possidentis;" ergo fides dubia sufficit ad præscriptionem.

V. R. Neg. seq. Verum est juxta omnes, quòd conditio possidentis sit melior, 1°. in eo, quòd res possessa non debeat, superveniente dubio, statim abjici, sed possit

retineri ut veritas inquiratur. 2°. In eo quòd major rei portio cæteris paribus possessori adjudicetur. 3°. In eo, quòd si oriatur controversia super rei dominio, probatio incumbat potiùs adversario quàm possessori: deinde possessio facit præsumptionem juris, adeoque donec contrarium probetur, possessor varios in jure favores consequitur: atque ita melior est conditio possidentis, sed conscientiam dubiam non reddit certam.

Ratio est, quòd præsumptio juris jus non tribuat, sed potiùs supponat: unde licèt in foro exteriori præsumptio velut certa habeatur, in conscientia tamen tantùm obtinet juxta certitudinem ipsius juris.

Quid igitur faciendum, si post diligens examen, de rei dominio constare non possit?

VI. R. Æquum videtur, ut pro rata dubii res ejusve æstimatio dividatur.

VII. Excipitur hìc præscriptio triennalis beneficii, quâ Beneficiatus præscribit, licèt dubitet de jure suo. Ratio est, quòd Ecclesia dubium auferat, et det jus certum ad lites exterminandas, &c.

Quænam ad hanc beneficii præscriptionem requiruntur?

R. Ex regula 33. Cancellariæ Rom. requiruntur hæc tria, 1°. triennalis possessio pacifica; 2°. ut non sit ingressus simoniacus; 3°. ut habeatur titulus saltem coloratus.

Quænam ignorantia bonæ fidei adversatur?

VIII. R. 1°. Videtur omnis ignorantia culpabilis, sive juris, sivè facti, auferre bonam fidem; quia nullus censetur bonâ fide ignorare, quod scire poterat et debebat. Id saltem de ignorantia crassa aut affectata certum est.

IX. 2°. Ignorantia inculpabilis "facti" non nocet bonæ fidei: verùm ignorantia "juris," licèt foret inculpabilis, impedit bonam fidem. Ita habetur lege juris digest. "de "juris et facti ignorantia:" "Juris ignorantia in usucapi- "one prodesse negatur, facti verò ignorantiam prodesse "constat." Casus habetur lib. 41. digest. tit. 3. "Si à "pupillo emero sine tutoris authoritate, quem puberem "esse putem, dicimus usucapionem sequi...quòd si scias "pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine "tutoris authoritate administrare, non capies usu, quia "juris error nulli prodest."

Cùm itaque præscriptionis vis ex dispositione legum pendeat, dicendum, ignorantiam juris nullatenus ad præscriptionem sufficere, etiam in foro conscientiæ.

Excipiunt tamen communiter Theologi illas personas, in *quibus* ignorantia juris toleratur, ut in milite & minorenni, & quandoque etiam in muliere & rustico.

Item excipere solent ignorantiam juris dubii & controversi.

N. 20. DE TEMPORE AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITO.

I. *Tempus requisitum jure communi.* II. *Pro Belgio.* III. *Quædam excepta in jure communi.*

QUANTUM temporis requiritur ad complendam præscriptionem?

I. R. Jure communi ad præscriptionem rei mobilis cum titulo requiritur triennium, & dicitur præscriptio "brevioris temporis:" pro re immobili cum titulo inter præsentes requiruntur 10 anni, inter absentes 20 anni. Hæc præscriptio vocatur "longi temporis."

Jure Rom. præsentes censentur, qui in eadem provincia *domicilium* habent, sive res præscribenda in eadem *provincia* sita sit sive non.

Pro præscriptione rei mobilis sive immobilis sine titulo, requiruntur 30 anni, & dicitur "Longissimi temporis."

Ecclesiarum & aliarum piarum causarum bona immobilia præscribuntur tantùm 40 annis, & Ecclesiæ Romanæ centum. Hæc de jure communi.

II. Verùm moribus nostris, ait Zypæus, "in notitia "juris Belgici," una ferè eademque est præscriptio, 30 scilicet annorum, idque tam pro mobilibus, quàm immobilibus, item pro actionibus realibus, personalibus & mixtis; sine præjudicio tamen, ut notat, Christianæ præscriptionis 40 annorum statutæ per Canones contra bona Ecclesiæ, & alias personas, quibus jus aliud temporis intervallum assignavit.

In jure præcipuè excipiuntur sequentia:

III. Contra pupillum, quamdiu est in ætate pupillari, nulla procedit præscriptio: si minor fuerit, requiruntur 30 anni.

Triennalis possessio pacifica beneficii, de quo Num. superiori actum est, præscribit tempore triennii. Actio injuriarum expirat lapsu unius anni. Actio fisci contra bona confiscata ob non solutum vectigal, aut similem causam non criminalem, extinguitur quinquennio.

Actio ad reclamandum contra professionem religiosam cessat post quinquennium à die professionis computandum: ita Trid. Sess. 25. "de Regularibus" cap. 19. Si tamen quis metu aut aliter fuerit legitimè impeditus, etiam post quinquennium reclamans, est audiendus, ut tradit Sylv. in suis Resolutionibus variis, verbo "Professio Monas-"tica," casu 3.

N. 30. AN PRÆSCRIPTIO TRANSFERAT DOMINIUM IN CONSCIENTIA?

I. *Præscriptio transfert dominium in conscientia.* II. *Probatur.* III. *Quid faciendum de fructibus rei.*

I. RESP. Affirmativè, modò legitima sit seu debitis stipata condionibus: adeoque potest quis rem in conscientia retinere, quam juxta legum & Canonum constitutiones præscripsit, licèt post completam præscriptionem cognosceret fuisse alienam.

II. Ratio est, quòd Respublica possit de rebus subditorum disponere; dum id exigit bonum commune; atqui Respublica voluit transferre dominium per præscriptionem; quia inter alias leges lex 3. digest. de Usurpatione & Usucapione definit præscriptionem: Aacquisitionem dominii, &c.

Quòd autem Respublica gravissimas rationes habuerit sic volendi, patet ex N. 24.

Hinc resolvit S. Thom. quodlibeto 12. q. 16. art. 2. Si quis præscribat bonâ fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem.

Deinde sic judicatur in foro externo, tam Ecclesiastico, quàm civili: item jus Canonicum, quod præcipuè bonum animæ spectat, indistinctè approbat præscriptionem, ut patet ex toto titulo "de præscriptione."

Obj. I. Juxta regulam juris 48. "Locupletari non "debet quis cum alterius injuria vel jactura." Item juxta regulam 13. "Sine sua culpa nemo re sua privandus."

R. Præscribentem non locupletari cum alterius injuria, sed ex jure sibi per leges concesso: quòd id fiat cum alterius jactura, verum est; at id non fit authoritate privatâ, quod lege illâ prohibetur, sed publicâ.

Regula 23. intelligitur, si bonum commune aut alia justa causa id non requirat; additur enim: "nisi subsit causa."

Obj. II. Judex per sententiam erroneam non transfert dominium in conscientia: ergo nec Respublica per præscriptionem.

R. Disparitas est, quòd sententia illa innitatur falsæ præsumptioni, non verò lex præscriptionis.

Deinde judex per sententiam non intendit transferre dominium, sed tantùm declarare, ad quem secundùm allegata & probata res pertineat.

Obj. III. Finis præscriptionis est evitatio litium & jurgiorum; atqui illa evitari possunt negando actionem in foro externo priori Domino rem repetenti: ergo, &c.

R. In primis finis iste est minùs principalis. Ad minorem dicitur, quòd lites & jurgia sic quidem evitari possunt in foro externo, sed non in familiìs, sicut nec compensationes occultæ, &c.

Quid faciendum de fructibus rei perceptis, currente præscriptione, dum postea scitur rem fuisse alienam?

III. R. Judicat Billuart, eos debere restitui inquantùm extant in se vel in æquivalenti juxta modum, quo tenetur possessor bonæ fidei. Ratio est, quòd possessor ille ante completam præscriptionem non sit Dominus rei: intelligi id tamen debet de fructibus necdum legitimè præscriptis. In foro externo fructus tanquam accessorii sequuntur principale. Vide Num. 47.

N. 31. DE PRÆSCRIPTIONE CAROLINA.

I. *Præscriptio Carolina.* II. *Varia complecititur.* III. *Non obtinet in foro conscientiæ.* IV. *Sicut nec dicta Philippina.* V. *Alia præscriptio ex jure gentium.* VI. *Ad quam non requiritur bona fides.*

I. PRÆSCRIPTIO Carolina ita vocatur; quia introducta est edicto Caroli V. 4 Octobris 1540.

II. Edictum hoc, ut illud refert Zypæus, "in notitia "juris Belgici" statuit sequentia: "Ut omnia salaria "Advocatorum, Procuratorum, Secretariorum, Medicorum, Chirurgorum, Apothecariorum, Clericorum, Notariorum, mercedes famulorum, operariorum, pretia mercium ad consumptionem venditarum, nisi imposita jure, "exigantur intra biennium operæ præstitæ, mercisve "traditæ; nec postea jure exigi possint, nisi chyrographum scriptum sit."

Casu autem, quo chyrographum est scriptum, principalis debitor tantùm potest præscribere tempore 10 annorum; sed hæres ipsius intra biennium, postquam mors creditoris innotuerit. "Post lapsa hæc tempora (ait edictum) "nomina illa (id est debita) habeantur pro solutis, neq "detur actio."

Edicto 14 Februar. 1549, data est interpretatio anterioris, quòd scilicet non comprehendantur Pragmatica, Advocati, Procuratores, qui ultra biennium officium continuant; sed præscriptio incipiat à lata sententia definitiva in principali & dependentibus determinata.

Huic præscriptioni occurritur accipiendo chyrographum, ut jam dictum est, vel monendo debitorem juridicè intra biennium, ait Daelman.

An hæc præscriptio Carolina etiam locum habet in foro conscientiæ?

III. R. Negativè, licèt Daelman & alii pauci contradicant. Ratio est, quòd verba edicti non aliud respiciant quàm forum externum, negando scilicet actionem, elapso biennio, non verò privando creditorem jure suo: idque confirmatur ex eo, quòd bona fides, licèt extraordinariè in quodam particulari casu possit adesse, regulariter tamen absit; ad casus autem extraordinarios leges non attendunt. Nec aliter in praxi illam præscriptionem à timoratis receptam esse testantur Sylvius, Herincx, De Cocq aliique communiter, sicut pro Hispania idem testatur Bannes, & pro Gallia Pontas.

IV. Præscriptioni Carolinæ affinis est altera præscriptionis species, dicta "Philippina" ab edicto Philippi II. edito 5 Martii 1571. quo dicernitur, ne cessi Canones redituum plures quam 3 annorum exigi possint, nisi debitores fuerint juridicè interpellati, vel nisi dilatione petitâ, se soluturos spoponderint. Cùm autem edictum hoc innitatur præsumptioni fraudis, in foro conscientiæ locum non habet, ut notat De Cocq "de Censibus."

Notandum quòd in censibus dominicalibus censuarius satis censeatur monitus, dum Dominus statuto die & loco ordinario expectavit, ut annuos Canones reciperet.

V. Est & alia præscriptio, quæ introducta est jure gentium, scilicet illa, quâ unus Rex vel Princeps contra alium præscribit Provincias, Civitates, &c. per diuturnam possessionem earum à majoribus suis, etsi injustè ab illis fuissent occupatæ & detentæ. Exemplum quoddam habetur Judicum cap. 11. V. 26.

VI. Ad hanc non requiritur bona fides, statuente sic jure gentium fundato in apprehensione populorum, & tacito quodam diversorum regnorum consensu, quod & tranquillitas publica & conscientiæ exigit; aliàs enim vix ullus Regum securè regnum suum possidere posset.

N. 32. DE REMEDIO ADVERSUS PRÆSCRIPTIONEM.

I. *Remedium præscriptionis.* II. *Est restitutio in integrum.* III. *Quibus conceditur.* IV. *Debet peti intra quadriennium.* V. *Etiam obtinet in aliis casibus.*

AN datur aliquod remedium adversùs præscriptionem legitimè peractam?

I. R. Affirmativè; scilicet restitutio in integrum.

Quid est restitutio in integrum?

II. R. Facultas à jure concessa priori Domino, quâ restituitur authoritate Judicis in dominium & possessionem rei amissæ.

Quibusnam conceditur hoc beneficium?

III. R. 1°. Minoribus, seu qui nondum impleverunt 25. ætatis annum; si tamen veniam ætatis sint consecuti, eis concedi non solet.

2°. Civitatibus, Ecclesiis, aliisque piis locis, quæ voluntate alienâ reguntur.

3°. Datur etiam majoribus, qui coguntur à patria abesse, ut milites, captivi, item legati & quicumque absunt pro bono patriæ.

Intra quod tempus restitutio in integrum peti potest?

IV. R. Intra quadriennium computandum nempe à minoribus ab anno 25 completo, ab Ecclesiis, &c. à die, quâ Rectores noverunt bona esse præscripta, ab aliis à cessatione impedimenti.

V. Hoc beneficium restitutionis in integrum non tantùm locum habet contra præscriptionem, sed etiam adversùs dolum, metum aut læsionem notabilem, & generatim ubi tutor nomine Minorum in eorum damnum contraxit.

Modum petendi & circumstantias necessarias habet De Cocq tract. 2. cap. 1. sectione 8, ubi etiam disputat, an in Belgio detur decennium ad hoc beneficium impetrandum. Videri etiam potest suppl. Neesen tract. 2. quæst. 1 dub. 11. De hac re etiam varia habet Stockmans decis. 112, 113 & 114, ubi sustinet, quòd quis per nuptias ante annum vigesimum quintum contractas, licèt ex consuetudine ut major habeatur, hoc tamen privilegium non amittat.

Casu autem, quo chyrographum est scriptum, principalis debitor tantùm potest præscribere tempore 10 annorum; sed hæres ipsius intra biennium, postquam mors creditoris innotuerit. "Post lapsa hæc tempora (ait edictum) "nomina illa (id est debita) habeantur pro solutis, neq "detur actio."

Edicto 14 Februar. 1549, data est interpretatio anterioris, quòd scilicet non comprehendantur Pragmatici, Advocati, Procuratores, qui ultra biennium officium continuant; sed præscriptio incipiat à lata sententia definitiva in principali & dependentibus determinata.

Huic præscriptioni occurritur accipiendo chyrographum, ut jam dictum est, vel monendo debitorem juridicè intra biennium, ait Daelman.

An hæc præscriptio Carolina etiam locum habet in foro conscientiæ?

III. R. Negativè, licèt Daelman & alii pauci contradicant. Ratio est, quòd verba edicti non aliud respiciant quàm forum externum, negando scilicet actionem, elapso biennio, non verò privando creditorem jure suo: idque confirmatur ex eo, quòd bona fides, licèt extraordinariè in quodam particulari casu possit adesse, regulariter tamen absit; ad casus autem extraordinarios leges non attendunt. Nec aliter in praxi illam præscriptionem à timoratis receptam esse testantur Sylvius, Herincx, De Cocq aliique communiter, sicut pro Hispania idem testatur Bannes, & pro Gallia Pontas.

IV. Præscriptioni Carolinæ affinis est altera præscriptionis species, dicta "Philippina" ab edicto Philippi II. edito 5 Martii 1571. quo dicernitur, ne cessi Canones redituum plures quam 3 annorum exigi possint, nisi debitores fuerint juridicè interpellati, vel nisi dilatione petitâ, se soluturos spoponderint. Cùm autem edictum hoc innitatur præsumptioni fraudis, in foro conscientiæ locum non habet, ut notat De Cocq "de Censibus."

Notandum quòd in censibus dominicalibus censuarius satis censeatur monitus, dum Dominus statuto die & loco ordinario expectavit, ut annuos Canones reciperet.

V. Est & alia præscriptio, quæ introducta est jure gentium, scilicet illa, quâ unus Rex vel Princeps contra alium præscribit Provincias, Civitates, &c. per diuturnam possessionem earum à majoribus suis, etsi injustè ab illis fuissent occupatæ & detentæ. Exemplum quoddam habetur Judicum cap. 11. V. 26.

VI. Ad hanc non requiritur bona fides, statuente sic jure gentium fundato in apprehensione populorum, & tacito quodam diversorum regnorum consensu, quod & tranquillitas publica & conscientiæ exigit; aliàs enim vix ullus Regum securè regnum suum possidere posset.

N. 32. DE REMEDIO ADVERSUS PRÆSCRIPTIONEM.

I. *Remedium præscriptionis.* II. *Est restitutio in integrum.* III. *Quibus conceditur.* IV. *Debet peti intra quadriennium.* V. *Etiam obtinet in aliis casibus.*

AN datur aliquod remedium adversùs præscriptionem legitimè peractam?

I. R. Affirmativè; scilicet restitutio in integrum.

Quid est restitutio in integrum?

II. R. Facultas à jure concessa priori Domino, quâ restituitur authoritate Judicis in dominium & possessionem rei amissæ.

Quibusnam conceditur hoc beneficium?

III. R. 1°. Minoribus, seu qui nondum impleverunt 25. ætatis annum; si tamen veniam ætatis sint consecuti, eis concedi non solet.

2°. Civitatibus, Ecclesiis, aliisque piis locis, quæ voluntate alienâ reguntur.

3°. Datur etiam majoribus, qui coguntur à patria abesse, ut milites, captivi, item legati & quicumque absunt pro bono patriæ.

Intra quod tempus restitutio in integrum peti potest?

IV. R. Intra quadriennium computandum nempe à minoribus ab anno 25 completo, ab Ecclesiis, &c. à die, quâ Rectores noverunt bona esse præscripta, ab aliis à cessatione impedimenti.

V. Hoc beneficium restitutionis in integrum non tantùm locum habet contra præscriptionem, sed etiam adversùs dolum, metum aut læsionem notabilem, & generatim ubi tutor nomine Minorum in eorum damnum contraxit.

Modum petendi & circumstantias necessarias habet De Cocq tract. 2. cap. 1. sectione 8, ubi etiam disputat, an in Belgio detur decennium ad hoc beneficium impetrandum. Videri etiam potest suppl. Neesen tract. 2. quæst. 1 dub. 11. De hac re etiam varia habet Stockmans decis. 112, 113 & 114, ubi sustinet, quòd quis per nuptias ante annum vigesimum quintum contractas, licèt ex consuetudine ut major habeatur, hoc tamen privilegium non amittat.

N. 33. DE USUFRUCTU.

I. *Usufructus.* II. *Est jus* III. *Utendi* IV. *Et fruendi* V. *Re alienâ.* VI. *Salvâ ejus substantia.* VII. *Dat dominium fructuum à fundo separatorum.* VIII. *Quinam sint fructus.* IX. *Notanda ex Zypæo.* X. *Decisio Conc. Brabantiæ quoad divisionem fructuum.* XI. *Obligationes usufructuarii.*

QUID est ususfructus?

I. R. Est jus utendi et fruendi re alienâ, salvâ ejus substantiâ: tale jus habent Beneficiati quoad fundos suorum beneficiorum.

II. 1°. Dicitur "jus" seu potestas; quia non definitur hic actus utendi, qui vocatur "usus facti," sed ipsum jus utendi et fruendi.

III. 2°. "Utendi;" et per hoc distinguitur à pignore, hypotheca, et deposito.

IV. 3°. Et "fruendi" id est, fructus istius rei alienæ percipiendi, et sic differt à mero usu.

V. 4°. "Re aliena;" et sic distinguitur à dominio; ususfructus etiam est servitus, quæ non nisi in re aliena constitui potest.

VI. 5°. "Salvâ ejus substantiâ; quia usufructuarius debet rem integram proprietario servare: consequenter non potest propriè constitui in rebus unico actu consumptibilibus, vino, oleo, pecunia, &c.

VII. Confert igitur ususfructus jus utendi illa re, et precipiendi ejus fructus, ita quidem, ut statim atque illos collegerit, acquirat illorum plenum dominium: satis autem est, si fructus sint a fundo separati, etsi adhuc in agro existant; quòd si fructus adhuc fundo hæreant, quando usufructuarius moritur, manent proprietario; sed hæres fructuarii expensas causa fructuum factas repetere potest, ait Peckius lib. 5. "de testamentis conjugum," cap. 24.

Quid hìc venit nomine fructuum?

VIII. R. omne commodum, quod ex illa re, salva ejus substantia, juxta leges percipi solet: iterum, quæ renasci, aut quasi renasci, ut in grege lana, lac & fœtus; in fundo fœnum, segetes, virgulta, salices et arbores cæduæ: arbores verò fructiferæ non censentur in fructu, sed tantùm fructus earum.

IX. Pro Belgio hæc insuper habet Zypæus; 1°. Sylvam cæduam, quæ succidi et renasci solet, usufructuarius cædere

potest annis consuetis, etiam aliis vendere. 2°. Grandes arbores cædere non potest, ut Christinæus judicatum refert: demortuas tamen accipit & novas substituit, non vi ventorum ejectas, quæ cedunt proprietario: aufert ille tamen quantùm sufficit usui villæ usufructûs. 3°. Dum quædam sylvæ habentur, sic ut non sint regulariter cæduæ, sed quotannis, majores aliquot arbores, usufructuarius modum consuetum poterit servare.

Pro Beneficiatis sic habet: Beneficiarii sanè fructuariorum instar, grandes arbores succidere non possunt, nisi ea observent, quæ in rerum Ecclesiasticarum alienatione præscribuntur, & pretium in comparationem prædiorum Ecclesiæ utilium, aliorumve redituum, non in usus Beneficiariorum vertatur.

Nota, inter grandes arbores non computari illas, quarum rami singulis quinquenniis detonderi solent.

X. Difficultas superest, quomodo dividendi sint fructus, mortuo aut desistente Beneficiato: circa quod à 19 circiter annis solemniter decisum est in Concilio Brabantiæ, quòd hæredes defuncti, v. g. Pastores, non habeant jus sic *arripiendi fructus*, ut relinquant deservitori juxta *competentiam congruam*, sed debeant portionem proventuum à rata temporis. Lis acta fuit inter Gasparem van den Weyenbergh hæredem, & Judocum De Smet, deservitorem in Mercktem.

Quantùm ad ligna cædua, alibi sibi ea vindicat successor, sub quo tempus cædendi completur: alibi pro rata temporis tanquam proëmia servitii præstiti dividuntur, quod æquius & laudabilius est. In his oportet consulere consuetudinem locorum, & usum vicinorum.

Quid si usufructuarius collegerit fructus nondum maturos?

R. Juxta legem 48. digest. "de Usufructu," ligna cædua, fœnum, oleum, &c. intempestivè collecta ipsi acquiruntur: sed isti legi plurium consuetudines adversantur. Per eandem legem fructuario prohibetur colligere intempestivè grana & vindemiam.

Quænam sunt obligationes usufructuarii?

XI. R. 1°. Rem integram proprietario servare. 2°. Nec pro fructibus accipere illa, quæ fructus non sunt.

Tenetur autem rem integram servare, 1°. eam non consumendo aut alienando, ac etiam non deteriorando, scilicet salvo usufructu; unde tenetur de damno suâ culpâ proprietario illato.

2°. Tenetur propriis expensis (moderatis tamen) rem integram servare, & modicas reparationes facere: sic tenetur domum in modicis reparare, in grege animalium pro demortuis alios fœtus substituere, in sylvis loco arborum demortuarum alias inserere, nisi vi tempestatis aut alio simili casu forent ejectæ, vel nisi ususfructus tantùm foret unius v. g. animalis aut singulorum capitum, & citra fructuarii culpam pereant.

Si usufructuarius possit docere se plus impendisse, quàm impendi debeat, solemniter id potest reposcere. Lege 7. Codicis Eum ad quem "de Usufructu."

3°. Tenetur propriis sumptibus colligere fructus, & solvere tributa, quæ debentur pro re frugifera.

4°. Tenetur præstare proprietario cautionem, se arbitratu boni viri usurumfruiturum re ipsius.

XII. Acquiritur ususfructus ex lege, testamento, donatione, aliove pacto.

XIII. Amittitur mortè usufructuarii, vel si res pereat, v. g. domus comburatur: nec reviviscet, etiamsi domus reædificaretur: item finito tempore, quo erat constitutus, per præscriptionem, &c.

Hæc notasse sufficiat, præsertim pro conscientiis parentum dirigendis, qui bonorum adventitiorum filiis minoribus competentium usumfructum habent, prout dictum est Num. 10.

N. 34. DE USU.

I. *Usus est duplex.* II. *Juris.* III. *Et facti.* IV. *Differunt inter se.* V. *Usus facti irrevocabilis non differt à dominio.* VI. *Aliud est si sit revocabilis.* VII. *Controversia inter Joannem XXII. & Franciscanos.* VIII. *Explicatur.*

I. USUS distinguitur duplex, "Juris" nempe & "Facti."

Quid est usus Juris?

II. R. Est jus utendi re aliena, salva ejus substantiâ. Differt ab usufructu, quòd usuarius non possit rei fructus percipere (exceptis quibusdam ad usum quotidianum suæ familiæ) nec ex re illa quæstum facere.

2°. Quòd non possit usum rei alteri donare, vendere, elocare, &c. quæ omnia potest usufructuarius.

Quid est usus Facti?

III. R. Est ipse usus actualis rei, estque duplex, unus *illicitus*, quem habet, v. g. fur in panem furtivum; alter *licitus*, quem habent convivæ rogati in cibos appositos. *Definiri posset*: "Licentia utendi re alienâ, præsertim "quæ ipso usu consumitur."

Quomodo differt usus facti ab usu juris?

IV. R. In eo, quòd usus juris consistat in jure, & sic non sit ad nutum revocabilis; sed usus facti est tantùm quædam licentia, non strictum jus, adeoque solet esse revocabilis. Deinde in usu juris salva debet manere rei substantia: contrarium fieri solet in usu facti.

An usus facti in re unico actu consumptibili potest separari à dominio?

V. R. 1°. Si usus facti concedatur irrevocabiliter & independenter à voluntate concedentis, non videtur à dominio distingui, quia si quis habeat usum irrevocabilem, v. g. bibendi ex dolio vini, donec sit evacuatum, nil videtur minus habere, quàm qui ejus habet dominium.

VI. R. 2°. Si usus facti datus sit revocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis, à dominio distinguitur: *sic* conviva utitur cibis appositis absque eo, quòd *habeat* illorum dominium.

Talem usum habent omnes Religiosi solemniter professi in res v. g. cibum, potum, &c. ipsis ad usum concessas, manente dominio penes communitatem. Franciscani autem Strictioris Observantiæ etiam in communi (id est ipse Ordo) profitentur se nullarum omnino rerum temporalium dominium habere, sed solùm simplicem usum facti ad nutum revocabilem, dominio manente vel penes dantes, vel si hi dominium abdicaverint, penes sedem Apostolicam: unde equidem furtum committeret, qui res Franciscanorum auferret faceretque ipsis injuriam, privando ipsos usu facti.

VII. Fuit hâc super re acris disceptatio inter Joannem XXII. Papam & Franciscanos, ediditque Joannes contrà hos tres Bullas: Primam, "Cùm inter nonnullos," in qua declarat esse hæreticum docere, quòd Christus nil unquam habuerit proprii.

Secundam, "Ad conditorem," in qua à se rejicit & abdicat dominium rerum Franciscanis concessarum, exceptis Ecclesiis, oratoriis, habitationibus, vasis, vestimentis & libris divino officio dicatis & dedicandis, pro ratione præcipùe allegans, quòd justus usus consumptibilium non consistat sine dominio.

Tertiam, "Quia quorumdam," in qua definit, eum esse hæreticum, qui contradicit primæ Bullæ, & quòd ille, qui contra definita & ordinata in secunda Bulla dixerit aut defenderit, sit contumax & rebellis Ecclesiæ Romanæ.

Ex his videtur sequi, quòd aut Papa erraverit in Bulla, aut quòd usus facti non distinguatur à dominio.

VIII. R. Danes neutrum sequi, ostenditque ex Bulla Clementis V. in hoc negotio, quod turbavit totum mundum, non esse, nisi in verbis vim & contrarietatem; quia Joannes Papa accepit usum in toto rigore juris, sicut definitur: Facultas disponendi de re, &c. dominium autem accepit latiùs, sic ut usus facti, v. g. in cibis, æquivaleret debili dominio.

Alii dicunt, quòd Joannes XXII. illud tantùm docuerit ut privatus Doctor, non verò definierit ex cathedra.

Sed isto sic definivisset, & in hoc negotio erasset Joannes, nihil hinc contra infallibilitatem Pontificis, cùm quæstio hæc nec fidem nec mores spectet.

N. 35. DE SERVITUTE.

I. *Servitus dupliciter accipitur.* II. *Dividitur in realem.* III. *Personalem.* IV. *Et mixtam.*

QUID est servitus?

I. R. Accipitur dupliciter, activè & passivè. Servitus activa est jus, quod quis habet, ut res aliena sibi serviat, hoc est, ut in ea aliquid faciat, vel non faciat ad suum commodum. Passiva est subjectio illa vel obligatio, quâ res aliena subjicitur, ut in ea aliquid fiat vel non fiat in commodum illius, qui servitutem activam habet.

Quomodo dividitur servitus?

II. R. Alia est realis, alia personalis, & alia mixta.

Realis est, quâ res una immediatè subjecta est alteri rei, ut ager agro.

III. Personalis est, quâ persona subjicitur alteri personæ, ut mancipium Domino.

IV. Mixta est, quâ res aliena subjecta est alteri personæ.

Juxta jus commune, prædiorum urbanorum, quæ sunt ædificia cum hortis habitationi hominum, commerciis, similive usui destinata, etsi extra urbes locata sint, servitutes sunt hæ: ut liceat parieti vicini lignum immittere, ut stillicidium recipiat, ne altiùs quis tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiat, &c.

Prædiorum rusticorum, id est eorum, quæ rusticum usum habent, servitutes sunt hæ: iter, actus, via, aquæ-ductus: quibus annumerantur aquæ-haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, arenæ fodiendæ, &c.

Notandum, multas servitutes usu oriri, & postea præscriptione firmari, &c. Item non usu tolli, & postea præscriptione amitti, modò occasio utendi adfuerit.

De emphyteusi, feudo, hypotheca, & pignore agitur in sequenti Tractatu "de Contractibus." Ibidem etiam agitur de habitatione, ubi de locatione, conductione.

N. 36. DE POSSESSIONE.

I. *Possessio.* II. *Est duplex.* III. *Juris.* IV. *Et facti.* V. *Quæ dividitur,* VI. *In naturalem,* VII. *Civilem.* VIII. *Et civilissimam.* IX. *Acquiritur tripliciter.* X. *Apprehensione verâ,* XI. *Fictâ,* XII. *Et dispositione legum.* XIII. *Variè amittitur.* XIV. *Ejus privilegia.*

QUID est possessio?

I. R. Est actus vel jus insistendi rei: & hæc est *possessio* formaliter sumpta: aliquando sumitur materialiter pro ipsa re possessa.

Quotuplex est possessio?

II. R. Est duplex, scilicet "juris" & "facti:" possessio facti est, actus, quo quis rem possidet, abstrahendo an justè, an injustè: et hæc ordinariè intelligitur nomine possessionis. Possessio juris est facultas sive potestas possidendi.

Possunt illæ duæ possessiones esse simul, & etiam separatæ: sunt simul, dum Dominus rem suam occupat. Facti sola est, dum fur possidet rem furtivam: juris sola est, dum Dominus insistit rei, quam alius de facto occupat.

Quid est possessio juris?

III. R. Est jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri.

Dicitur "jus," verum, vel in foro externo præsumptum; sicque distinguitur à possessione facti: "insistendi," id est, pacificè & constanter detinendi: "rei," non solùm corporali, sed etiam incorporali: "tanquam suæ," ut significetur possessio nomine proprio, non alieno: "non prohibitæ "possideri," quia non datur possessio contra juris dispositionem: ita locus sacer à laïco nec de jure, nec de facto possideri potest.

Quid est possessio facti?

IV. R. Est rei detentio seu occupatio, corporis, animi & juris adminiculo.

Dicitur "occupatio rei;" quæ vel est prima apprehensio, vel continuata rei detentio.

Dicitur "adminiculo corporis;" quia regulariter possessio non incipit, nisi mediante actu externo, quo res apprehenditur, quamvis id necessarium non sit, ut possessio incepta civiliter continuetur.

"Animi;" quia requiritur intentio rem possidendi sibi & non alteri: unde tutor non possidet bona pupilli.

"Et juris;" quia jus debet non obstare, nec irritam facere possessionem, attamen non debet eam approbare; hinc fur acquirit possessionem "facti" respectu rei furtivæ, non laïcus respectu rei sacræ.

Quomodo dividitur possessio facti?

R. Ex dictis colligitur, quòd dividi possit in eam, quæ est nomine proprio, & in eam, quæ est nomine alieno: item in justam & injustam, bonæ fidei & malæ fidei, &c.

V. Præcipuè dividitur in naturalem, civilem & civilissimam.

VI. Possessio naturalis est, quando rem corpore simul & animo occupo tanquam esset mea, jure non resistente.

VII. Civilis est, quando rem absentem censeor propter juris civilis constitutiones de facto possidere, licèt illam corporaliter non tangam, nisi quòd, ut sit possessio naturalis, ante equidem debeam rem corporaliter apprehendisse. Sic possidemus prata, domos, &c. quæ nobis non sunt præsentia.

Hinc patet, quid sit possessio naturalis & civilis simul; nempe ea, quâ rem actualiter occupo, & quæ etiam legibus mihi conceditur: secùs quàm fit respectu furis, qui quidem rem furtivam naturaliter, sed non civiliter possidere potest.

VIII. Possessio civilissima est, quando per constitutiones legum possideo rem, quam nunquam antea apprehendi: et hæc acquiri etiam potest ab inscio: sic moribus Belgicis continuatur possessio in quovis hærede.

Quomodo acquiritur possessio?

IX. R. Tribus modis, apprehensione verâ, apprehensione fictâ, et dispositione juris.

X. Apprehensio vera est, quæ fit manibus, pedibus, &c. et hinc "corporalis" vocatur: hæc necessaria est ad possesionem rei, quæ erat nullius, aut quando quis clam sive vi vult possidere.

In mobilibus fit apprehendendo manu rem in se, ut librum; vel in continente, ut vinum in dolio; vel in aliquo annexo, ut equum capistro, feram laqueo, &c.

In rebus immobilibus fit intrando, v. g. fundum vel domum, saltem secundùm aliquam suî partem.

XI. Apprehensio ficta est, dum per actum lege aut consuetudine introductum acquiritur possessio; ut est visio rei ad eum finem à priori Domino ostensæ, traditio clavium, scriptura, &c. Item dum quis absens alium pro se & suo nomine constituit ad possessionem capiendam.

XII. Legum dispositione acquiritur possessio, ut supra dictum est, in possessione civilissima.

Quomodo amittitur possessio?

XIII. R. Rerum mobilium possessio naturalis & civilis amittitur solâ voluntate nolentis eam ampliùs possidere: item per furtum & rapinam, si res aliquandiu ab alio teneatur; item per amissionem rei: utì etiam si res subeit custodiæ alterius, & hic eam ut suam possidere incipiat. Potest tamen tribus ultimis casibus manere possessio juris.

1°. Immobilium pessessio amittitur longâ absentiâ domini, si nullam fecerit professionem voluntatis continuandi possessionem.

2°. Si noverit rem ab alio occupatam, et negligat eam repetere, aut repetens repellatur, & resistere non audeat, etiam metu majoris mali.

3°. Per oblivionem, quòd res sit sua; tunc enim caret animo possidendi.

Notandum, quòd amissa possessione, non semper amittatur rei dominium, ut patet in re amissa aut furto ablata.

XIV. Privilegia possessionis sunt, quòd possessio bonæ fidei pariat præscriptionem, quòd melior sit conditio possidentis, quòd tribunalia concedant beneficium manutenentis, quæ vide apud Wigg. dubio 8.

N. 37. DE INJUSTITIA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 59.

I. *Injustitia.* II. *Dividitur.* III. *In formalem tantùm.* IV. *Materialem tantùm.* V. *Materialem & formalem simul.* VI. *Axioma.* VII. *Explicatur.*

QUID est injustitia?

I. Injustitia, prout est actus oppositus justitiæ, quæ est secunda virtus cardinalis, definitur: "Juris alieni violatio;" & sic sumpta non differt ab injuria.

Quomodo dividitur injustitia seu injuria?

II. R. Dividi potest eodem modo, quo dividitur ipsa justitia; quia oppositorum eadem est ratio.

2°. Dividitur in formalem tantùm, materialem tantùm, & formalem & materialem simul.

III. Formalis tantùm est illa, quæ consistit in affectu volentis inferre injuriam, sed sine effectu.

IV. Materialis tantùm est illa, quæ consistit in solo effectu injuriæ illatæ sine voluntate eam inferendi, sive est involuntaria juris alieni violatio.

V. Materialis & formalis simul est voluntaria juris alieni violatio: atque hæc est radix & fundamentum restitutionis.

Dicitur "Juris alieni;" quia ubi non est jus, nequit esse injuria: "violatio;" hoc est, actio quasi vi illata, quâ læditur jus alterius rationabiliter inviti; nullus enim, regulariter loquendo, patitur injuriam, nisi invitus, seu nolens, saltem secundùm quid.

VI. Quomodo intelligitur regula 27. juris in 6. scienti & consentienti non fit injuria?

VII. R. Intelligitur de illo, qui plenè scit, plenè consentit, & juri suo cedere valet.

Hinc injuria fit 1°. illi, qui non plenè scivit, sed dolo, fraude aut ignorantiâ decipitur, v. g. emendo rem vitiosam pro integra.

2°. Illi, qui quidem plenè est sciens, sed non plenè volens seu consentiens ob vim adhibitam vel metum incussum; ut si quis ex metu mortis latroni det bursam, vel ex necessitate solvat usuras.

3°. Illi, qui est plenè sciens & volens, sed non valens cedere juri suo; ita qui percutit Clericum, alterius uxori commiscetur, vel alterum occidit, etsi illi scienter & liberrimè consentiant, nihilominus facit ipsis injuriam, quia juri suo cedere non valent.

Martyres etiam, licèt gaudentes paterentur supplicia, veram passi sunt injuriam; quia acceptabant quidem libenter tolerantiam suppliciorum, sed non consentiebant iniquæ actioni tyrannorum.

An consentiens in suî injuriam possit exigere satisfactionem?

R. Ordinariè non potest; quia consentiendo censetur satisfactionem & restitutionem remittere.

Aliud esset, si remittere non possit, legibus obstantibus, ut v. g. pupillus, qui, licèt consentiat in bonorum suorum

occupationem, semper equidem exigere potest restitutionem in integrum.

Quantum peccatum est injustitia?

R. Est ex genere peccatum mortale. Potest esse veniale in rebus exiguis, vel ubi Dominus scitur non notabiliter invitus, vel damnum ob ignorantiam aut aliter non est plenè voluntarium.

N. 38. DE RESTITUTIONE.

S. Thom. quæst. 62.

I. *Definitio restitutionis.* II. *Explicatur.* III. *Differt à solutione.* IV. *Et satisfactione.*

QUID est restitutio?

I. R. Est actus justitiæ commutativæ, quo res ablata redditur, vel damnum illatum reparatur.

II. Dicitur "actus justitiæ commutativæ;" quia ex violatione charitatis, religionis aut cujuscumque alterius virtutis, etiam ex violatione solius justitiæ distributivæ aut legalis, nisi simul commutativa concurrat, non oritur obligatio restitutionis, ut dictum est Num. 4.

"Quo res ablata redditur, vel damnum illatum reparatur;" nam restitutio versatur circa res alienas, quas abstulimus, aut ablatas apud nos habemus, aut saltem si illas nobis non appropriando, damnificando tamen aut destruendo, Domino subtraximus.

Quomodo restitutio differt à solutione?

III. R. Quòd solutio postulet, ut res, quæ solvitur, sit diversa à re, pro qua solvitur; restitutio autem potiùs postulat, ut res sit eadem, quantùm fieri potest, aut saltem in æquivalenti.

2°. In solutione non ita respicitur ad valorem rei, quàm ad conventionem initam: in restitutione attenditur ad valorem rei, cui æquale reddi debet,

IV. Satisfactio videtur latiùs patere, & sub se comprehendit tam solutionem, quàm restitutionem. Strictiùs sumpta respicit personam offensam, estque reparatio injuriæ honori aut dignitati illatæ, per humiliationem, veniæ petitionem, &c.

Quo nomine appellanda est traditio rei debitæ ex contractu?

R. Si res pro re traditur, erit "permutatio;" si pretium pro mercede, erit "solutio;" si autem dilata sit redditio depositi, commodati, &c. ita ut debitor sit in mora culpabili, meritò vocabitur "restitutio."

N. 39. DE NECESSITATE RESTITUTIONIS.

S. Thom. quæst. 62. *art.* 2.

I. *Præceptum restitutionis.* II. *Primariò negativum.* III. *Non est necessaria necessitate medii.* IV. *Error vulgi.*

QUÆNAM est necessitas restitutionis?

I. R. Est necessaria ad salutem necessitate præcepti in re vel in voto.

Probatur ex Apost. ad Rom. cap. 13. V. 7. " Reddite " ergo omnibus debita." Idem confirmârunt SS. Patres: maximè celebrata sunt verba S. Augustini Epist. 54 ad Macedonium & relata causâ 14. quæst 6. " Si res aliena " propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non red- " ditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem " veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restitua- " tur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest."

Probatur etiam ratione S. Thom. Præceptum naturale est " non furari;" atqui detinere injustè alienum, est æquivalenter furari; ergo detinere injustè alienum, est contra jus naturæ, adeoque restitutio est jure naturæ præcepta.

Quale est præceptum restitutionis, affirmativum an negativum?

II. R. Est quidem affirmativum secundùm expressionem; sed fundamentum habet in hoc negativo: " Non detinebis alienum:" unde meritò vocatur primariò negativum, & secundariò affirmativum: ac ita reducitur ad 7. Decalogi præceptum: " Non furtum facies."

Hinc suppositâ justâ causâ excusationis aut dilationis, quàm primùm moraliter restitutio est facienda: nam quamdiu quis restitutionem negligit, seu quamdiu non habet seriam voluntatem restituendi, tamdiu manet in affectu peccati.

Rei igitur injustè ablatæ aut detentæ, vel damni injustè illati, restitutio actualis, ubi possibilis est, sin minùs in voto sive in proposito, est necessaria ad salutem, si nimirum sit res gravis; nam si res sit levis, restitutio regulariter obligat sub levi.

An restitutio etiam necessaria est ad salutem necessitate medii?

III. R. Negativè: nequidem in voto, si propriè & strictè loquamur: nam ignorans invincibiliter se restitutioni obnoxium potest salvari.

IV. Corrigendus hic est error vulgi putantis, animas tamdiu in Purgatorio detineri, donec restitutio facta sit; etenim duratio pœnarum in Purgatorio tantùm correspondet debito pœnarum, cui animæ obnoxiæ sunt, dum à corpore separantur; quo soluto, ad Cœlum transeunt.

Apparitiones, quæ in hunc finem adducuntur, plerumque imaginariæ sunt vel fabulosæ; si quæ factæ sint, fieri potuerunt, vel quia illa restitutio prodesse potest animæ per modum eleemosynæ aut suffragii, vel quia illâ occasione funduntur preces pro defuncto, vel quia sic Deus vult punire animam manifestando ejus peccatum, vel etiam ne hæredes possideant alienum.

N. 40. DE TITULIS RESTITUTIONIS.

S. Thom. art. 6.

I. *Duo tituli restitutionis.* II. *Titulus rei acceptæ.* III. *Et injustæ acceptionis.* VI. *Eorum differentia.*

QUID intelligitur per titulum restitutionis?

R. Intelligitur ratio, seu radix ex qua oritur obligatio restitutionis.

Quot sunt tituli restitutionis?

I. R. Communiter assignari solent duo, scilicet titulus rei acceptæ, & titulus injustæ acceptionis.

Quisnam tenetur ad restitutionem titulo rei acceptæ?

II. R. Omnis ille, apud quem res aliena existit in se vel in æquivalenti, quâ cumque tandem viâ ad ipsum devenerit.

Dicitur quis rem habere "in æquivalenti," dum intantùm factus est ditior, ut si habeat pretium rei; vel dum intantùm pepercit rebus suis, ut si consumendo rem alienam servaverit propriam, quam alioquin consumpsisset.

Quisnam tenetur ad restitutionem titulo injustæ acceptionis?

III. R. Omnis ille, qui fuit alteri voluntaria causa damni per injuriam, sive res ablata existat sive non.

Colligitur, quòd isti duo tituli possunt esse simul & etiam separati. Sic tenetur solo titulo rei acceptæ, qui sine injuria seu bonâ fide habet rem alienam in se vel in æquivalenti, v. g. qui bonâ fide possidet rem furtivam.

Tenetur solo titulo injustæ acceptionis, qui alteri voluntariè & injuriosè damnum intulit sine ullo proprio commodo, ut si domum alterius incenderit.

Tenetur utroque titulo, qui habet rem alterius in se vel in æquivalenti cum formali ipsius injuria, ut si rem alterius ex furto habeat, vel quidem illam sine injuria acceperit, sed sit in mora culpabili restitutionis: patet, quòd isti duo tituli se habeant ad invicem, ut excedentes, & excessi.

Quidam Authores præter hoc duos, adhuc alios titulos allegant, scilicet ratione contractûs, aut quasi-contractûs, sententiæ judicis aut legis positivæ; sed vel reduci possunt ad duos assignatos, vel potiùs ex ipsis nascitur solutio aut satisfactio, quàm restitutio strictè dicta.

Quænam inter præfatos duos titulos est differentia?

IV. R. Prima, quòd titulus rei acceptæ supponat rem existere in se vel in æquivalenti; non titulus injustæ acceptionis; hinc re taliter pereunte, ut nequidem existat in æquivalenti, perit totaliter titulus rei acceptæ: ubi qui tenetur titulo injustæ acceptionis, obligatur ad omnia damna illata, etsi res quæ debebatur, sine ulla sua culpa periisset.

Secunda, quòd titulus injustæ acceptionis præsupponit injuriam factam, non item titulus rei acceptæ, qui respicit injuriam aliàs faciendam. Tertia, quòd mensura restitutionis ex titulo rei acceptæ est quantitas rei alienæ adhuc existentis in se vel in æquivalenti: sed ex titulo injustæ acceptionis mensura restitutionis est quantitas damni illati.

Cæteræ differentiæ, quoad expensas factas, fructus rei, &c. colligi poterunt ex sequentibus.

N. 41. DE REQUISITIS AD TITULUM INJUSTÆ ACCEPTIONIS.

I. *Titulus injustæ acceptionis supponit culpam & damnum, inde aliquo modo secutum.* II. *Titius occidit Joannem, prævidens homicidium imputandum Petro.* III. *Sola intentio non facit injustum externum actum.* IV. *Qui injustè impedit alterum, ad quod jus habet.* V. *Item si vi vel fraude ab indebito, tenetur ad restitutionem.* VI. *Aliud est si solis precibus, &c.*

QUÆNAM requiruntur, ut quis titulo injustæ acceptionis contrahat obligationem restitutionis?

I. R. Generatim requiritur culpa & damnum inde secutum. De culpa agitur Num. sequenti.

Quid intelligitur nomine damni?

Quælibet injusta læsio aut nocumentum proximo illatum, sive per actum interiorem, ut per judicium temera-

marium, suspiciones, &c. sive per actum exteriorem, ut auferendo, detinendo, vel destruendo rem alienam, item non impediendo damnum, quod ex justitia impedire tenebatur.

An, ut quis teneatur titulo injustæ acceptionis, sufficit, undecumque damnum illud obveniat?

R. Negativè; sed debet damnum esse voluntarium, sic ut ex actione culpabili aliquo modo sequatur, directè vel indirectè, positivè, aut privativè: quandonam autem damnum ita sit voluntarium, vide N. 24. "de Actibus "Humanis."

An ille, qui prævidet damnum ex actione sua alteri obventurum, semper tenetur ad restitutionem?

R. Negativè: in primis non tenetur, si habeat jus ponendi illam actionem, & jus suum non excedat; quia, "qui utitur jure suo, nulli videtur facere injuriam," ut habet axioma.

Si ille non habeat jus ponendi illam actionem, videri debet, utrùm actio illa sit vera causa moralis illius damni, vel an tantùm sit "conditio sine qua non."

Si primum, tenetur ad restitutionem: si secundum, non tenetur.

II. Hinc patet, quid dicendum sit de casu, quo Titius occidit Joannem, prævidens homicidium imputandum Petro, propter jurgatas quas cum Joanne habet inimicitias. Dicimus, quòd Titius quidem teneatur compensare omnia damna ex homicidio Joannis orta, cùm sit istius homicidii vera causa: sed verisimiliùs non teneatur de damnis ex imputatione illa Petro obventuris; quia actio Titii non est vera causa moralis istius imputationis, sed tantùm conditio sine qua non fuisset facta imputatio, ut latiùs contra Wiggers probat Daelman observ. 14.

Interea Titius facilè graviter peccat contra charitatem, potestque etiam affectu peccare contra justitiam, si damna Petri sint ipsi volita; sed non ideo sunt voluntaria, ut Num. 24. "de Actibus Humanis" dictum est.

III. Hinc etiam dictum est Num. 26. "de Actibus Hu-"manis," quòd sola interna intentio injusta non possit actum externum, qui aliàs non esset contra justitiam, reddere effectivè contra eam, seu restitutioni obnoxium, quia ut actus externus sit effectivè injustus, debet de se, vel ex circumstantiis, natus esse influere in injuriam alterius: talis autem influxus nequit incipere ex sola intentione interna injusta, quæ quidem facit affectum injustum & injuriam

volitam, sed non voluntarium. Patet in illo, qui cum gaudio interno audit detractionem: si talis ex justitia non tenebatur impedire, nec ullo modo externè influxerit in detractionem, non tenetur ad restitutionem famæ; quia infamia secuta, licèt fuerit volita, non fuit tamen voluntaria: silentium ipsius potest quidem dici injustum denominativè ex affectu injusto, sed nequit dici injustum effectivè, sive restitutioni obnoxium.

Obj. I. Si quis lautiùs cœnet, ut sequatur pollutio, talis peccat contra castitatem, & si sit conjugatus, etiam contra justitiam: quo modo non peccasset, si dicta intentio abfuisset: ergo, &c.

R. Neg. conseq. In primis lautior cœna potest sufficienter influere ut causa moralis in dictum effectum: quo casu mirum non est, quòd talis effectivè peccet contra castitatem, & si sit conjugatus, etiam contra justitiam.

Quod si supponatur casus, in quo lautior cœna nullo modo in istum effectum influit: tunc dicunt quidam, quòd talis quidem peccet effectivè contra castitatem, & si sit conjugatus, effectivè, sed non effectivè contra justitiam: disparitatem dant hanc, quòd castitas & aliæ virtutes morales habeant medium rationis, quod medium per solam intentionem internam potest auferri: justitia verò habeat medium rei, quod solâ intentione non aufertur; sed videtur sano sensu dici posse, quòd in isto casu, sicut effectivè non peccat contra justitiam, ita etiam effectivè non peccet contra castitatem, licèt actus externus dominetur contra castitatem, & contra justitiam ex affectu interno.

Obj. II. Lib. 39. digest. tit. 3. § 12. & leg. 2. § 9. dicitur: "Si vicinus flumen vel torrentem averterit, ne "aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum, ut "vicino noceatur: cum eo aquæ pluivæ arcendæ agi non "posse...... si modo non hoc animo fecit, ut tibi noceat, "sed ne sibi noceat:" ergo animus potest efficere actionem externam injuriosam, quæ de se talis non est.

R. Neg. conseq. nam jus civile, dum loquitur "de "animo," non agit de solo interiori affectu, sed de animo quem ostendit ipsa per se nocens & injuriosa actio, ut si quis avertat torrentem in agrum vicini, idque citra necessitatem aut utilitatem agentis; nam si alterutrum adfuerit, tunc non censetur fieri animo nocendi.

An obligatur ad restitutionem, qui impedit alterum à consecutione alicujus boni?

IV. R. 1°. Si injustè impediat alterum à consecutione alicujus boni, ad quod jam jus sive "in re," sive "ad rem" habet, tenetur ad restitutionem, cùm violet jus alterius. Aliud foret, si "justè" talem impediret, v. g. indignum à consecutione beneficii, ad quod in foro externo jus acquisivit.

V. 2°. Qui vi, fraude, detractione, aliove modo injusto impedit alterum à consecutione alicujus boni, ad quod nullum strictum jus habet, v. g. pauperem ab eleëmosyna, equidem tenetur ad restitutionem; quia, etsi talis non habeat jus ad illud bonum, habet tamen jus, ne vi vel fraude impediatur, adeoque est obligatio restituendi, non quidem totum bonum, sed quanti valet spes, quæ alteri per vim vel fraudem erepta est.

VI. 3°. Qui impedit alterum à consecutione alicujus boni, ad quod jus non habet, nec adhibet media injusta, v. g. si quis solis precibus, suasione, &c. inducat testatorem ut testamentum mutet, & alium hæredem instituat, non tenetur ad restitutionem; quia alter hactenus jus non habebat, nec medio injusto fuit impeditus: potest tamen sæpe hìc committi peccatum contra charitatem, odii, invidiæ, vindictæ, &c.

N. 42. DE CULPA REQUISITA AD TITULUM INJUSTÆ ACCEPTIONIS.

I. *Culpa est duplex.* II. *Theologica,* III. *Et juridica* IV. *Quæ dividitur* V. *In latam.* VI. *Levem.* VII. *Et levissimam.* VIII. *Quibus adjungitur latissima.* IX. *Et latior.* X. *Sola Theologica inducit restitutionem propriè dictam.* XI. *Juridica sufficit ut quis teneatur ratione contractûs, &c.* XII. *In commodato ex culpa levissima.* XIII. *In deposito ex culpa lata.* XIV. *In pignore ex culpa levi.* XV. *Idque ante sententiam judicis.*

QUOTUPLEX hic distinguitur culpa?

I. R. Duplex, scilicet Theologica & Juridica.

II. Per culpam Theologicam intelligitur formale coram Deo peccatum, sive illud sit mortale, sive veniale.

III. Per culpam Juridicam intelligitur omissio diligentiæ ad avertendum damnum, sive illa sit peccatum coram Deo sive non.

IV. Culpa Juridica secundùm gradus diligentiæ omissæ communiter dividitur in latam, levem & levissimam.

V. "Lata," est omissio istius diligentiæ, quam solent adhibere personæ diligentes & prudentes ejusdem conditionis & ætatis: v. g. si quis noctu domum relinquat apertam.

VI. "Levis," est omissio diligentiæ, quam solùm diligentiores & prudentiores adhibere solent, v. g. exiens clausit ostium cubiculi, sed non obseravit.

VII. "Levissima," est omissio diligentiæ, quam solùm diligentissimi & prudentissimi adhibent: v. g. ostium obseravit, sed manu non tentavit, num bene obseratum esset.

VIII. Varii Authores culpam Juridicam ulteriùs dividunt in "latissimam & latiorem."

"Latissima," est omissio diligentiæ debitæ, eo fine, ut damnum sequatur: v. g. quis reliquit ostium apertum de industria, ut res auferatur. Hæc importat dolum apertum.

IX. "Latior," dicitur omissio diligentiæ scienter facta, ex qua quis prævidet damnum, licèt illud non intendat, ut si quis relinquat ostium apertum, prævidens rem auferendam, quod tamen non intendit. Hæc vocatur dolus præsumptus.

Culpæ latissimæ & latiori, communiterque culpæ latæ adjuncta est culpa Theologica, nisi per inadvertentiam, oblivionem, aut ignorantiam inculpabilem excusetur.

Quænam culpa requiritur ad restitutionem titulo injustæ acceptionis?

X. R. Nemo tenetur "ad restitutionem propriè dictam" titulo injustæ acceptionis, nisi admiserit culpam Theologicam contra justitiam commutativam.

Ratio est, quòd sine culpa Theologica actio damnificativa sit omnino involuntaria, adeoque nec causa moralis damni causati.

Itaque si quis, positâ culpâ Juridicâ latâ excusetur à Theologica, v. g. ob inadvertentiam naturalem, etiam à restitutione immunis erit, ut si quis ex oblivione naturali reliquerit ignem, unde domus comburitur.

Ad leges, quæ opponuntur, generatim dici potest, vel quòd supponant culpam Theologicam intervenisse, vel eam præsumant, vel quòd sint pœnales, & non obligent ante sententiam judicis.

Quare supra dictum est: "ad restitutionem propriè "dictam?"

R. Quia non requiritur culpa Theologica, ut quis teneatur satisfacere, solvere, rem aut pretium rei præstare.

Undenam quis tenetur rem præstare sinè culpa Theologicâ?

XI. R. Ex contractu implicito aut explicito, ex lege positiva vel ex sententia judicis.

Ad quid tenetur quis ratione contractûs?

R. 1°. Generaliter tenetur ad id, ad quod se obligavit & sub modo, quo se obligavit: unde in contractu, v. g. assecurationis, tenetur solvere, seu præstare rem, etiamsi casu fortuito perierit.

XII. 2°. Jure civili insuper circa contractus statuta sunt sequentia: 1°. Si contractus sit in utilitatem solius accipientis, ut in puro accommodato, tenetur ille de culpa etiam levissima, si res aliena pereat, vel deterior fiat.

Excipitur precarium, ex quo accipiens tenetur solùm ex culpa lata. Ita habetur lib. 43. digest. tit. 26. lege 8. & institutionum lib. 3. tit. 15. § 2.

XIII. 2°. Si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut fit in puro deposito, accipiens tenetur tantùm ex culpa lata vel dolo.

XIV. 3°. Si contractus sit in utilitatem utriusque, ut communiter fit in contractu pignoris, locationis, conductionis, &c. utraque pars tenetur de damno secuto ex culpa levi, non tamen levissima.

Lib. 4. digest. tit. 9. lege 3. § 1. statuitur, ut nautæ, caupones & stabularii, qui pro mercede res custodiunt, teneantur, etiamsi sine culpa eorum res perierit, vel damnum datum sit; "nisi si quid damno fatali contingat... "aut si in caupona aut stabulo vis major contigerit."

Imò quidam docent, quòd teneantur de culpa levissima, etiamsi gratis rem apud se receperint.

Hæc sunt de jure communi; sed variant locorum consuetudines, ad quas in praxi attendi debet: sic consuetudines Mechlinienses statuunt depositarium teneri ad omne damnum excepto casu inevitabili & vi majori.

An satisfactio aut solutio facienda in prædictis contractibus ob solam culpam Juridicam obligat in conscientia ante sententiam judicis?

XV. R. Verosimiliùs affirmativè: ratio est, quòd qui ex contractu rem alterius accipit, censeatur se obligare ad eam servandam sub onere per leges annexo. Nec leges fundantur in falsa præsumptione, sed in æquitate naturali: neque etiam dici possunt merè pœnales, sed sunt definitivæ & declarativæ obligationis contractûs, ut ex ipso tenore legum colligitur.

N. 43. DE OBLIGATIONE REPARANDI DAMNUM RATIONE CONTRACTUS IMPLICITI, &c.

I. *Ut peritiorem se præsentans tenetur ex culpa levi.* II. *Officiatus tantùm ex lata.* III. *Cui insuper jungi debet Theologica.* IV. *Quinam teneantur ex lege positiva.* V. *Quinam ex sententia judicis.* VI. *Ad quid teneatur rem remittens per nuntium.* VII. *Nocens cum ignorantia concomitante.* VIII. *Rem propriam præferens alienæ.* IX. *Et qui incalpabiliter posuit culpam damni.*

NUMERO superiori vidimus, quinam sine culpa Theologica teneantur ratione contractûs; nunc de cæteris causis agendum, scilicet ratione contractûs impliciti, legis positivæ & sententiæ judicis.

Quinam obligantur ratione contractûs impliciti, aut quasi-contractûs?

I. R. Illi, qui se præsentant tanquam peritiores aut tanquam diligentiores ad aliquod munus, sive aliquam rem gerendam, & eo titulo majori stipendio gaudent, v. g. si convocentur ad consultandum, ad revisendum, &c. tenentur ex culpa levi, & quandoque etiam ex levissima; quia illi implicitè se obligant ad plus præstandum quam alii.

Ex qua culpa tenentur illi, qui obligantur ex officio?

II. R. Videntur tantùm teneri ex culpa lata, cui jungitur Theologica; quia juxta commune judicium timoratorum, qui officium suscipit, non videtur se obligare nisi ad diligentiam communem & ordinariam.

Quòd si sola culpa juridica sufficeret, onus Officiatorum redderetur intolerabile, quantâcumque etiam circumspectione agatur; extraordinariè tamen ex inadvertentia, oblivione naturali, &c. culpa juridica etiam lata incurri potest.

Præterea non inveniuntur leges, quæ obligant Officiatos ad majorem diligentiam: nec inveniuntur, quæ ipsos ex sola culpa juridica ad restitutionem condemnant, vel si quæ reperiantur, non sunt receptæ in praxi quoad forum conscientiæ.

III. Itaque Judex, Advocatus, Medicus, Chirurgus, Pastor, Confessarius, &c. nisi adfuerit negligentia aut imperitia cum culpa Theologica, non tenentur de damnis aut expensis causatis.

Sed notandum, negligentiam aut imperitiam facilè cum culpa Theologica conjunctam esse, etsi hìc & nunc se rectè

processisse putent; si nempe ante neglexerint, quæ vi officii scire tenebantur: unde vehementer timendum, ne errores, quos postea committunt, v. g. Pastores in cura animarum, proveniant ex culpabili negligentia sive ignorantia, vel defectu sufficientis studii tempore cursûs Theologici, ut diximus N. 28. "de Actibus Humanis."

Quinam tenentur ratione legis positivæ?

IV. R. Casus habentur lib. 9. digest. tit. 1. lege 1. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur sata pascendo, &c. teneris animal tradere damnificato, licèt damnum sine tua negligentia datum sit, vel satisfacere damnificato.

Item de noxalibus actionibus statuitur ibidem tit. 3. lege 1, ut Dominus teneatur de damno per servum suum illato: & lege 6. habitator suam suorumque culpam præstare debet.

In quo fundatur harum legum justitia?

R. In pace publica, quæ fovetur, dum damnum resarcitur, etsi sine culpa Theologica datum sit: item sic excitatur diligentia hominum, ne damnum à se aut suis inferatur.

An Dominus damnum sic illatum restituere debet in conscientia?

R. Si aliquod commodum inde perceperit, ut si inde factus sit ditior vel pepercerit rebus suis, intantùm tenetur restituere titulo rei acceptæ, in supposito quod non adfuerit culpa Theologica.

Alia damna sic facta non debet reparare ante sententiam judicis, cùm supponatur defuisse culpa Theologica, & leges istæ videantur esse pœnales: dicitur etiam lib. 2. digest. tit. 3. lege 5. in fine: "Hæc actio in hæredes non competit; quia pœnalis est."

Nota, si damnum datum esset negligentiâ culpabili, tunc non semper satis esse tradere animal, dum damnum causatum excedit ejus valorem, sed totum restituendum esse titulo injustæ acceptionis, saltem dum culpa est gravis.

Quinam tenentur ex sententia judicis?

V. R. Illi, de quibus supra dictum est, quòd non teneantur ante sententiam judicis, post sententiam tenentur in conscientia; quia talis sententia justa est: ratio est quòd conducat ad pacem publicam servandam, & hominum diligentiam acuendam, ut etiam supra dictum est dum damnum reparatur, etsi nulla culpa Theologica intervenerit.

Ad quid tenetur, qui rem conductam, commodatam, depositam vel mutuatam remittit per nuntium, qui eam destruit vel cum ea furtivè fugit?

VI. R. Cum Sylvio: Si res sit mutuata, semper tenetur damnum resarcire; quia res perit mutuatario, eò quòd ipse sit dominus rei, quod non obtinet in aliis istis contractibus: unde si nuntius habeatur communiter fidelis & aptus, remittens ad nil tenetur; quia nulla culpa commissa est, & ita res perit domino suo. Si nuntius ut talis non habeatur, tunc remittens tenetur resarcire; quia sufficiens culpa commissa est.

Ad quid tenetur, qui ex ignorantia invincibili occidit inimicum, quem putat esse feram, quem equidem occidisset, si scivisset esse suum inimicum?

VII. R. Ad nil; quia juxta Num. 40. "de Actibus "Humanis," ignorantia concomitans non influit in opus; adeoque mors inimici est prorsus involuntaria.

Ad quid tenetur, qui habet pecuniam propriam ac quoque alienam apud se depositam, si militi pecuniam exigenti ostendit alienam?

R. Si miles exigat pecuniam propriam, tenetur ad restitutionem; si exigat pecuniam indeterminatè, & gravi metu alter coactus fuerit ostendere aliquam pecuniam, non tenetur ad restitutionem.

Quandonam culpa est in eo, qui rem suam præfert alienæ, dum utramque salvare non potest?

VIII. R. Van Roy & Daelman distinguunt hoc modo: cæteris paribus, dum res mea est ejusdem vel majoris valoris ac res aliena, possum meam rem sine culpa præferre alienæ; quia sic dictat charitas bene ordinata, nec ullus contrahens censetur se aliter voluisse obligare.

Si autem res aliena sit multò majoris valoris, quàm propria, tunc videtur aliena præferenda; aliàs ad minùs committeretur culpa levissima, cùm diligentissimi & prudentissimi in simili casu rem alienam præferrent propriæ.

Ad quid tenetur ille, qui inculpabiliter aliquid dixit aut fecit, ad quod non habebat jus & unde impendit proximo damnum?

IX. R. Tenetur inquantùm sine suo incommodo potest, istud damnum impedire, & si jam ortum sit, curare ne perseveret, & quidem ex justitia; quia non impediendo, ubi commodè potest, censebitur causa moralis perseverantis effectûs mali à se positi: hinc qui inculpabiliter res alienas accendit, tenetur, quantùm commodè potest, ignem extinguere; alioquin continuatio incendii foret voluntaria & moraliter imputabilis.

Si autem in casu non possit impedire damnum proximi sine suo damno majori aut æquali, censebitur justa causa habendi se permissivè; nam multò minor est obligatio damnum impediendi, quando illud non oritur ex injusta actione.

Finaliter hic notandum dictum Gregorii IX. extra lib. 3. tit. 16. "Pacto, morâ vel culpâ præcedentibus, casus "etiam fortuitus imputatur."

N. 44. DE QUANTITATE OBLIGATIONIS RESTITUTIONIS.

I. *Obligatio restitutionis titulo rei acceptæ est gravis in materia gravi, et levis in materia levi.* II. *Titulo injustæ acceptionis.* III. *Dum damnum est grave & culpa levis.* IV. *Variæ sententiæ.* V. *Prima, totum sub levi.* VI. *Secunda, partem sub levi.* VII. *Tertia nil deberi.* VIII. *Quarta, totum sub gravi.* IX. *Moderamen.* X. *Pro praxi.*

QUANTA est obligatio restitutionis, ubi quis tenetur *titulo* rei acceptæ?

I. R. In materia gravi est gravis & in materia levi per se non est nisi levis.

Quot modis potest materia restituenda esse gravis?

R. Dupliciter: alia est gravis ex se & simpliciter, qualis est, si possideatur res magni valoris uni personæ restituenda: alia est gravis per accidens & ex circumstantiis, ut dum res multæ leves diversis restituendæ coalescunt in unam materiam.

Præterea obligatio restituendi potest esse gravis, ubi res ex se levis est, si ipsa cum damno, quod orietur, nisi restitutio fiat, constituat materiam gravem, ut sæpe contingit ratione lucri cessantis, &c.

Quanta est obligatio restitutionis, ubi quis tenetur titulo injustæ acceptionis?

II. R. Iterùm juxta gravitatem damni seu materiæ. Hæc duo sunt certa: 1°. Dum damnum illatum est undequaque leve, tam ex se, quàm ex circumstantiis, lucri cessantis, damni emergentis, &c. obligatio restituendi est tantùm levis, licèt culpa, quâ damnum illatum est, fuerit gravissima. 2°. Dum damnum est grave, & illatum ex culpa gravi seu mortali, obligatio restituendi gravis est proportionatè ad quantitatem damni.

Notandum itaque, quòd obligatio restitutionis non proportionetur gravitati culpæ: item quòd non omnis culpa gravis semper graviter influat in damnum grave, quod causari potest ex alia causa minùs voluntaria.

III. Superest tertium, quod multum controvertitur, qualis scilicet sit obligatio restituendi, dum damnum grave illatum est ex culpa levi seu veniali; casus est: si ex negligentia alicujus venialiter tantùm mala, exuratur domus alterius, destruatur res pretiosa, &c.?

IV. R. Quatuor præcipuè numerantur circa hanc quæstionem sententiæ.

V. Prima dicit totum damnum esse restituendum, sed tantùm sub veniali; quia illa culpa in totum damnum influxit; sed cùm tantum fuerit venialis, obligatio, quæ inde oritur, potest tantum esse venialis. Verum hæc sententia videtur rejicienda; quia lex naturæ in materia gravi obligat sub gravi, juxta N. 41. "de Legibus:" jam autem obligatio restituendi est de jure naturæ, & materia in casu est gravis: ergo, &c.

VI. Secunda dicit esse obligationem levem ad levem partem damni; quia restitutio est quasi pœna culpæ: atqui culpa est levis tantum: ergo restitutio debet tantum esse levis.

Contra facit, quòd obligatio restitutionis non proportionetur gravitati culpæ, ut statim notavimus; culpa enim propriè non videtur aliud esse, quàm "conditio sine qua "non:" adeoque restitutio ejusque obligatio non debent respicere mensuram culpæ, nec imitari rationem pœnæ ex culpa.

VII. Tertia dicit nullam in casu esse obligationem restituendi, non propter defectum culpæ, sed ob præsumptam voluntatem Domini, qui tam levem restitutionem in materia tam gravi, non censetur curare. Hæc sententia, ut patet, innititur fundamento secundæ sententiæ, & insuper isti præsumptæ voluntati.

VIII. Quarta dicit totum damnum esse restituendum sub gravi; quia illa culpa venialis in totum damnum influxit, adeoque totum est restituendum, & quidem sub gravi, cum lex naturæ in materia gravi semper obliget sub gravi, ut supra dictum est. Deinde obligatio restitutionis non debet respicere mensuram culpæ, sed damni, cum culpa sit tantum "conditio sine qua non."

Huic sententiæ obstat, quòd licèt ista culpa influxerit in totum damnum, influxus tamen ille fuerit imperfectus, utpote ortus ex imperfecta deliberatione, sicque nimis durum

videatur, si plena totius damni fieri deberet restitutio. Esto etiam, quòd culpa sit tantùm "conditio sine qua "non," dici potest totum esse restituendum, si voluntas fuerit plenè deliberata, aliàs non.

IX. Hinc Bonacina & Collet recurrunt ad æstimationem prudentum, dicuntque, quòd si morali judicio pars notabilis damni illati imputetur causæ venialiter malæ, illa sub gravi sit restituenda: si autem isti causæ tantùm imputetur pars levis, hæc sub levi sit restituenda.

Quid igitur ex iis pro praxi statuendum?

X. R. Optimum est, rem amicabili transactione componere; quòd si compositioni locus non sit, tutius non videtur suaderi posse in praxi, quàm ut talis faciat restitutionem juxta æstimationem prudentum, qui rem ex æquo & bono considerent, attendendo ad culpam & damnum, ac probabilitatem præcipuè secundæ & quartæ sententiæ.

Monet Lessius rariores esse casus in operibus externis graviter periculosis, ubi propter inadvertentiam à mortali quis excusatur: unde et regulariter in foro externo talis condemnabitur ad totum damnum compensandum.

N. 45. DE QUANTITATE RESTITUTIONIS FACIENDÆ TITULO REI ACCEPTÆ.

S. Thom. quæst. 62. *art.* 6.

I. *Titulo rei acceptæ restitui debet quantum extat de re aliena in se.* II. *Vel in æquivalenti.* III. *Quid si aliis rebus sit permixta.* IV. *Quid si alteri vendita.* V. *Et ille non compareat.* VI. *An venditor fiat Dominus pretii.* VII. *Quid si res fortuitò perierit.*

QUANTUM, vel quàm multùm debet quis restituere titulo rei acceptæ tantùm?

I. R. 1°. Si res aliena in se extet, per se loquendo ipsa est restituenda; quia inclamat Dominum suum: unde si unus habeat rem alienam in se, & alter in æquivalenti, ille ante hunc ad restitutionem tenetur.

II. 2°. Si res aliena non amplius extet in se, intantum restitui debet, inquantum extat in æquivalenti, ita ut si extet tota in æquivalenti, tota restituenda sit, si tantum pro parte, pro illa parte restituenda sit. Quid sit, rem existere in æquivalenti, dictum est Num. 40.

Hinc si quis rem alienam bonâ fide consumpserit aut vendiderit uni, à quo recipi non potest, tenetur restituere,

inquantum extat de pretio rei, aut inquantum illam consumendo rebus suis pepercerit.

Si ergo bonâ fide donaverit amico nil aliàs daturo, ad nil tenetur: si amicus intuitu istius doni aliud redonaverit, hoc donum subjacebit debito restitutionis: si biberit vinum furtivum, & vino suo aut cerevisiæ suæ pepercerit, tenebitur inquantum suis pepercit.

Quid, si res bonâ fide acquisita, jam aliis rebus sit permixta?

III. R. Si separari possit ab aliis rebus, manet obligatio realis eam restituendi.

Si sic permixta sit ut separari non possit, accipit quidem ejus dominium "per confusionem," si res ejus sit principale in conflato; sed manet obligatio personalis restituendi, quantum factus est ditior.

Joannes bonâ fide à fure emerat rem 8 florenis, & eâdem bonâ fide vendidit Petro 5 florenis: ad quid tenetur Joannes?

IV. R. In primis tenetur Joannes rescindere contractum cum Petro, etiam reddendo acceptum pretium pro re, ac rem reddere domino retentâ actione contra furem: ratio est, quòd venditor teneatur emptorem servare indemnem; Joannes autem venditor non servaret Petrum emptorem indemnem, si non rescinderit cum ipso contractum; quia Petrus eo ipso quo scit rem esse alienam, tenetur eam restituere domino: fur autem, qui vendidit Joanni, vel non volet refundere pretium, vel non nisi difficulter: sed Petrus molestias vel sumptus subire non debet, ut recuperet suum pretium, cum ipse non habuerit negotium cum fure, sed Joannes.

V. Si autem Petrus non compareat: 1°. certum est, quòd Joannes debeat domino duos florenos, excessum scilicet pretii, quod furi dederat; quia intantum ditior factus est ex re aliena; 2°. verior & communior sententia est, quam sequuntur Sylvius, Daelman, Billuart, &c. quòd Joannes teneatur totum pretium reddere domino rei, quia fit communicatio inter pretium & rem, non inter pretium furi datum & pretium à Petro acceptum: ergo Joannes quoad totum pretium furi datum, indemnizationem quærat à fure, qui eum decepit, non a domino rei, nec ex ipsa re.

Notandum tamen, quòd si excessus lucri, quod fecit Joannes, esset lucrum meræ industriæ, tunc posset illud sibi retinere.

An Joannes in casu non sit dominus pretii à Petro accepti?

VI. R. Theologi communiter sustinent partem negativam; quia emptor non habet intentionem transferendi dominium suæ pecuniæ, nisi in dominum rei, quam emit: & ita clarè intelligitur, quomodo pretium illud dicatur succedere in locum rei, ac adeo, quòd illud pretium, dum exstat, sit ipsius domini rei, sicuti foret ipsa res, si exstaret: ergo illi restituendum est.

Juristæ è contra sustinent, Joannem in casu fieri dominum pretii a Petro accepti; quia sic habent leges, inter alias 49 "de Furto." Solent tamen illi simul sustinere pretium illud domino rei esse reddendum; quia dominium hoc est infirme & vinculatum, & cedere debet domino rei ex voluntate tacita ipsius emptoris, si res ipsa cujus locum tenet, reddi non possit. Confirmatur ex eo, quòd leges etiam comprehendant malæ fidei venditorem, quem tamen restitutioni obnoxium alibi declarant. Præterea licèt venditor bonæ fidei acquirat dominium lucri accrescentis, si rem vendat pluris, quam emerat, tamen etiam juxta patronos alterius sententiæ, tenetur hoc lucrum accrescens reddere domino rei: ergo, &c.

Quid si invento domino rei, Petrus compareat, sed res fortuitò perierit: utri Joannes debet restituere pretium a Petro acceptum, an domino, an Petro?

VII. R. Si res bonâ fide apud Petrum perierit, periit domino: ergo Joannes tenebitur Petro restituere pretium: videri tamen debet, num Petrus commodum & utilitatem ex re illa perceperit eodem modo, ac si res verè vendita fuisset; intantùm enim tunc domino rei restituendum, inquantùm apud Petrum exstat in æquivalenti: unde quandoque totum pretium domino tradi debebit, si Petrus omnem usum & utilitatem perceperit.

Nota, hìc semper supponi, quòd possessor bonæ fidei nil legitimè præscripserit.

N. 46. DE RECUPERANDO PRETIO BONA FIDE DATO.

I. *Dominus non tenetur de pretio.* II. *Nisi emptor rem Domini gesserit utiliter.* III. *Aut speciale privilegium habeatur.* IV. *An liceat rem reddere furi, ut pretium recuperet.* V. *Sententia negativa præfertur.*

AN ille, qui bonâ fide emit rem a fure, potest exigere, ut dominus pretium reddat, quod ipse furi persolvit?

I. R. Negativè, exceptis duobus casibus; quia non tenetur dominus rem suam emere, cùm in illam plenum suum jus retineat, ubicumque illa existat: hinc etiam non potest talis emptor remittere dominum ad furem, ut pretium ipsius a fure priùs recuperet.

Quinam sunt isti duo casus excepti?

II. R. Primus est, si ille emptor rem domini gesserit utiliter; tunc enim, ut habetur lib. 2. digest. tit. 5. lege 2. tenetur dominus refundere quidquid aliquis expenderit in rem. Idque obtinet in utroque foro, cùm talis emptor id fecerit de consensu domini rationabiliter præsumpto, & sic interveniat quasi contractus negotiorum gestoris, ut habetur eodem lib. 2. tit. 19. lege 18.

Quis emptor dicitur rem domini gerere utiliter?

R. Ad hoc regulariter hæc tria requiruntur:

1°. Ut rem emat ex intentione eam domino reddendi; 2°. ut pretium datum non adæquet valorem rei; 3°. ut alioquin res domino non esset reddenda, vel saltem non nisi cum expensis æqualibus huic pretio.

III. Secundus casus est, ubi quis rem emit in nundinis, aut foris liberis habentibus hoc privilegium: eodem privilegio gaudere solent Montes Pietatis, & alibi etiam Aurifabri, Veterarii, &c.

Circa hanc exceptionem bene observat Daelman aliique, leges illas non prodesse malæ fidei emptoribus, imò nec dubiæ fidei, juxta Steyaert; 2°. Bene attendi debere, an revera tales leges seu privilegia existant, quousque in usu sint, & quænam præcedere debeant, ut privilegia habeant effectum.

An ille, qui contractu oneroso, v. g. emptione, rem bonâ fide a fure acquisivit, possit rescindere contractum, ubi noscitur aliena, & eam furi reddere, ut pretium recuperet?

IV. R. Circa hanc quæstionem hæc certa sunt apud Authores:

1°. Si gratis rem a fure acceperit, non licet eam furi reddere, postquam illam in sua possessione habuit.

2°. Si possit facile pretium suum recuperare a fure, tenetur rem immediatè domino restituere.

3°. E contra potest rem furi reddere, ut pretium recipiat, si facilè dominus rem a fure recuperare possit.

4°. Non potest rem illam vendere aut aliter distrahere, ut se servet indemnem, casu quo fur non inveniatur, vel pretium recipere non possit.

5°. Si dominus rem suam repetat, tenetur eam illi reddere; quia ubique clamat dominum suum.

6°. Si res nondum fuerit in possessione emptoris, ut, si emptione conclusâ, res nondum sit tradita, licet contractum rescindere, & rem furi permittere: sic possum pallium furtivum, quod loco mei in taberna acceperam, errore in via cognito, in locum suum reponere; in similibus enim casibus res moraliter loquendo non redditur furi, sed relinquitur, quod ex justa causa licitum est.

7°. Certum videtur, licèt quidam contradicant, quòd si emptor malâ fide processerit, debeat rem restituere, licèt sit apertum periculum amittendi suum pretium: ratio est, quòd teneatur etiam titulo injustæ acceptionis.

8°. Varii etiam admittunt, quòd dum verè dubium est, an res sit furtiva, necne, tunc licita sit contractûs rescissio rem reddendo; quia bonæ fidei emptor non tenetur subire molestias super rei dominio orituras: unde licitè eam tradit venditori, ut ipse se defendat contra alterum, qui se dominum facit.

V. Ad quæstionem propositam, dicendum, quòd emptor *bonæ* fidei, prævidens dominum rem suam non recepturum, *non* possit eam reddere furi, ut recuperet pretium alioquin amittendum. Est contra Lessium, De Cocq. aliosque.

Probatur 1°. quia res ubicumque existit, clamat dominum suum.

2°. Ex principio S. Thomæ quæst. 62. art. 6. Qui habet ultra id, quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest: atqui emptor habet ultra id, quod suum est, nempe rem alienam, & domino deest, non furi: ergo, &c.

3°. In casibus primo, quarto, & quinto præmissis, non licet rem reddere furi; ergo nec in casu controverso.

4°. Si bonæ fidei emptor reddat rem furi, ponit eam in pejori statu contra voluntatem domini: 1°. Quia fur recipiens rem, & videns furtum prodi, jam cautiùs eam abscondet, aut longius distrahet. 2°. Per emptionem utrimque completam res est extra possessionem furis & in possessione emptoris, eò usque ut emptor possit instituere actionem furti sibi facti, si quis eam furto auferret: ergo poneret in pejori statu, si eam ex possessione sua traderet in possessionem furis & positivè cooperaretur iniquæ detentioni furis.

Obj. I. Non teneor procurare bonum alterius cum æquali meo damno, nisi adsit contractus aut similis obligatio: ergo possum in casu rem reddere furi.

R. Antecedens non est universaliter verum, sed admitti tantùm potest, si deberem ex meis rebus procurare bonum alterius, vel si bonum alterius esset causa mei damni, sed in casu controverso procuro bonum alteri ex re sua, & res alterius non est causa mei damni, sed hoc unicè oritur ex eo, quòd fatentibus adversariis non possim tenere rem alienam, sed debeam eam tradere domino, si furem invenire, aut aliter pretium meum ab ipso recipere non possim.

Obj. II. Contractus emptionis cum fure est omni jure rescindibilis, ut pote ex parte furis injustus, & ex parte emptoris irritus ex errore: ergo emptor habet jus illum rescindendi.

R. Dist. conseq. ergo emptor habet jus illum rescindendi, sic ut possit à fure pretium repetere, concedo totum: sic ut res possit reddi furi, nego consequentiam: quia rem furi reddendo, cooperatur iniquæ detentioni, ut supra probatum est.

Obj. III. Si deprehendam rem furtivam apud me depositam, possum eam reddere furi, ne ego ut fur condemner; similiter si invenerim gladium sanguine tinctum, possum illum eodem loco reponere, ne ut homicida puniar; ergo, &c.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quòd in casibus objectis damnum verè sequatur ex retentione rei alienæ: in casu autem thesis, damnum non sequitur ex retentione rei alienæ, sed ex sola malitia furis.

Secunda disparitas est, quòd in casibus allegatis agatur de bono famæ vel vitæ, & in thesi tantùm de bonis fortunæ: censetur autem dominus rei temporalis consentire, ut servem bonum meum altioris ordinis cum detrimento ipsius boni temporalis inferioris ordinis.

Tertia disparitas est, quòd qui in similibus casibus ex charitate suscipiunt rem alterius, tantum obligentur sub hac conditione ex lege vel quasi-contractu subintellecto; si nullum inde ipsis damnum obveniat; aliàs enim nullus vellet suscipere rem alterius in simili casu.

Pro cæteris objectionibus solvendis, quas latiùs expendunt Sylvius, Billuart, Daelman, &c. nota præcipuè hæc tria;

1°. Quòd rem reddendo furi, ea ponatur in pejori statu, ut probatum est.

2°. Quòd dum emptor ille dedit pretium furi, necdum censeretur rem domini utiliter gerere, cum sibi non domino illam emerit: unde nullus hìc intercessit virtualis contractus aut quasi-contractus.

3°. Quòd pleraque cætera argumenta retorqueri possint contra primum, quartum, quintum & septimum casus præmissos, & ab omnibus commmuniter admissos.

N. 47. DE FRUCTIBUS REI BONA FIDE POSSESSÆ.

I. Fructus sunt triplicis generis: II. *Merè industriales.* III. *Naturales,* IV. *Et mixti.* V. *His accensentur civiles.* VI. *Possessor bonæ fidei debet restituere naturales, civiles & mixtos, inquantùm extant.* VII. *Notanda pro foro externo.*

QUOTUPLICES distinguuntur rei fructus?

I. R. Dantur fructus triplicis generis, scilicet merè industriales, naturales & mixti, quibus accensentur civiles.

II. Fructus merè industriales dicuntur, qui ex sola hominis industria & labore proveniunt, licèt mediante aliqua re tanquam instrumento, ut est lucrum ex negotiatione proveniens.

III. Naturales sunt, qui ex ipsa re proveniunt sine ullo ferè labore aut industria, ut fructus arborum, gramina, ligna cædua, &c.

IV. Mixti sunt illi, qui partim ex ipsa re, partim ex industria proficiscuntur, ut legumina, segetes, &c. et in jure civili vocantur industriales.

V. Fructus civiles dicuntur illi, qui ex rei usu similive jure secundùm leges obveniunt, ut annui reditus, pensiones prædiorum, aliarumque rerum, quæ habent usum locabilem.

Insuper fructus alii sunt "pendentes," qui non sunt à re separati, ac propterea lib. 6. digest. lege 46. dicuntur esse pars fundi: alii dicuntur "percepti," qui à re, ex qua oriuntur, sunt separati: alii dicuntur "percipiendi," qui percepti non sunt, sed percipi potuerunt.

His præmissis, quæritur, an et quales fructus restituere debeat possessor bonæ fidei?

VI. R. Debet restituere fructus naturales, civiles et mixtos pro ea parte, quâ naturales sunt, inquantùm scilicet apud ipsum exstant in se vel in æquivalenti.

Ratio est, quòd res fructificet domino suo, idque etiam, licèt dominus illas non percepisset. Confirmatur ex lib. 3. codicis tit. 31. lege primâ: "Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint."

Ad leges, quæ in contrarium opponuntur, responderi potest cum Lessio, quòd loquantur de casu, quo non sis factus ditior, vel corrigendæ sint et explicandæ conformiter ad legem allegatam.

VII. Fatendum tamen, etsi Theologi sic unanimiter resolvant, varios Jurisperitos aliter loqui: unde etiam praxis tribunalium ubique ferè observat, ut de fructibus ante inceptum judicium perceptis bonæ fidei possessor non teneatur, nec tractetur de consumptis, sitne ex iis factus ditior an non.

In hanc rem habet hæc clarissimus Stockmans decis. 127. " In judiciis nostris obtinet sententia eorum, qui bonæ fidei " possessori tribuunt omnes fructus perceptos, non tantum " qui industriales dicuntur, sed etiam naturales, nec dis- " tinguimus, an locupletior factus sit possessor, an non." " Nulla etiam differentia fit in hac parte inter judicium " universale petitionis hæreditatis, et rei vindicationis; " etsi enim jus commune dictet, possessorem hæreditatis " restituere debere fructus etiam consumptos, ex quibus " locupletior factus est: generaliter tenemus, bonæ fidei " possessorem, sive rei singularis, sive hæreditatis, omnes " fructus a solo separatos lucrari, et tantùm in restitutio- " nem venire fructus pendentes." Hæc pro foro externo.

Non tenetur bonæ fidei possessor restituere fructus merè industriales; quia non sunt fructus rei, sed industriæ: neq legitimè præscriptos, aut quos bonâ fide percipere neglexit, vel perire permisit; sicut nec tenetur de lucro cessante, damno etiam emergente, vel rei deterioratione.

N. 48. DE EXPENSIS DEDUCENDIS A POSSESSORE BONÆ FIDEI.

I. *Possessor bonæ fidei deducere potest expensas utiles & necessarias.* II. *Quid de voluptuariis.* III. *Observandum.*

QUOTUPLICIS generis distinguuntur expensæ?

R. Triplicis, scilicet necessariæ, utiles, et voluptuariæ.

Expensæ necessariæ dicuntur, sine quibus res interitura aut deterioranda foret, ut alimenta animalium.

Utiles sunt, quæ etsi necessariæ non sint, rem tamen efficiunt meliorem, vel augent ejus fructus.

Voluptuariæ sunt, quæ nec conservationi rei, nec fructibus augendis serviunt, sed solùm ornamento aut voluptati.

An et quales expensas deducere potest bonæ fidei possessor in restitutione rei alienæ?

86.

I. R. Potest deducere expensas necessarias & utiles factas in rei conservatione, melioratione & fructibus. Nam ut dicitur l. 7. codicis t. 51. lege 1. "Hoc fructuum "nomine continetur, quod justis sumptibus deductis su- "perest." Deinde cùm illæ expensæ bonâ fide rei alienæ applicentur, intervenire censetur contractus quidam implicitus, vi cujus possessor à domino comittitur ad illas expensas faciendas: tandem quia alioquin dominus haberet plus, quàm habere debet, & ditesceret ex alieno.

Nota, quòd nomine expensarum hic etiam veniant industria & labor, quibus bonæ fidei possessor rebus alienis utilis fuit: unde pro illis deducere potest, inquantùm vir prudens judicaverit pro illis deberi.

Quid de expensis voluptuariis?

II. R. Justum videtur, ut dominus permittat eas auferri, si auferri possint sinè deterioratione ipsius rei vel fundi.

Si autem à re separari nequeant, potest illas deducere, si & inquantùm ipsius rei æstimatio per has aucta est, aliàs non.

III. Circa deductionem expensarum ulteriùs observanda sunt ex Collet et aliis:

1°. Non potest plus deduci, quàm expensæ factæ, aut labor & industria æstimetur, tametsi rei melioratio pluris valeret; quia omnis melioratio rei pertinet ad dominum rei. Lege IN FUNDO digest. "de rei vindicatione" lib. 3. tit. 1.

2°. Si expensæ superent valorem meliorationis, dominus rei non tenetur aliquid pro hoc excessu refundere; quia eatenus possessor non egit rem domini utiliter, nec commisssionem ad tales expensas habuisse censetur; idem est de expensis excedentibus valorem fructuum.

3°. Si dominus minori pretio, v. g. 50, fecisset illam meliorationem, ad quam impendisti 80, non tenetur dominus nisi ad 50; quia longiùs non censetur se extendere illa tacita commissio domini.

4°. Si bonæ fidei possessor ex re meliorata fructus perceperit, debet illos computare in compensationem expensarum.

5°. Lib. 5. digest. tit. 3. lege 37 & 38. conceditur, ut bonæ fidei possessor omni modo expensas deducat, licèt res, hoc est melioratio, non exstet: secùs de possessore malæ fidei, qui non aliter deducit expensas, quàm si res melior sit.

Dices: quomodo stant simul, quòd in secundo casu possit tantùm deducere juxta valorem meliorationis, & in quinto casu possit deducere aliquid, licèt melioratio perierit?

R. Simul stant in eo, quòd in secundo talis non gesserit utiliter rem domini, ac adeo nec ex tacita ejus commissione; in quinto qui fecit expensas utiles non excessivas, utiliter gessit rem domini, & ex præsumpta ejus commissione; atque ideo tenetur eas refundere dominus, quamvis melioratio non ampliùs exstet.

N. 49. DE QUANTITATE RESTITUTIONIS FACIENDÆ TITULO INJUSTÆ ACCEPTIONIS.

I. *Titulo injustæ acceptionis restitui debet.* II. *Res aliena in individuo.* III. *Vel si perierit, æquivalens, morâ non purgatâ.* IV. *Etiamsi apud Dominum periisset.* V. *Eodem modo quo periit apud furem.*

QUANTUM vel quàm multùm debet quis restituere titulo injustæ acceptionis?

I. **R.** Generatim tenetur restituere totum damnum, quod alteri injustè intulit: cùm autem dupliciter quis alterum injustè damnificare possit, scilicet, 1°. injustè alienum accipiendo vel detinendo: 2°. alteri injustè inferendo damnum, absque eo, quòd inde aliquod lucrum percipiatur: hinc

II. 1°. Qui rem alienam injustè accipit aut detinet, tenetur eam in individuo, si adhuc exstet, domino restituere: unde per se loquendo, si vendiderit rem alienam, obligatur rescindere contractum cum alio initum, ut rem ipsam restituat domino suo, nisi ex præsumpta domini voluntate satisfaciat restituendo æquivalens.

Quid si res apud ipsum sit meliorata?

R. Tenetur eam restituere cum omni melioratione: quia res melioratur domino suo.

Quid si res, quam abstulit, fuisset certissime peritura, v. g. in incendio?

R. Equidem tenetur eam restituere; quia res, quamdiu existit, manet domini sui.

III. 2°. Si res non ampliùs extet, aut recipi non possit, tenetur restituere æquivalens rei, etsi inde nullum commodum perceperit, et res suâ culpâ perierit, modò scilicet moram non purgaverit.

Quisnam dicitur moram purgare?

R. Ille, qui rem domino offert, si hic illam non acceptet, sed committat custodiendam aut servandam in aliud tempus.

Quid si res, quæ periit apud possessorem malæ fidei, etiam periisset apud dominum?

IV. R. Conveniunt Theologi, quòd si res apud dominum erat peritura ex injuria formali alicujus tertii, teneatur ad restitutionem: ratio est, quòd qui prævenit damnificationem, etiam præveniat restituendi obligationem.

2°. Si res tempore ablationis fuerit in statu tam miserabili ut ex tunc nullius valoris æstimaretur, nec meliorem statum acquisivisset, non tenetur ad restitutionem. Casus est, si quis abducat equum alienum, qui, præ morbo, vix ad diem judicatur supervicturus.

3°. Si verò tantùm dubium sit, an res eodem modo periisset apud dominum, malæ fidei possessor tenetur saltem pro rata dubii: imò multi volunt, quòd teneatur ad valorem totius rei, licèt sine culpa malæ fidei possessoris perierit.

Quid si res casu fortuito perierit apud malæ fidei possessorem, quæ similiter certò periisset apud dominum?

V. R. Videtur cum Wiggers, Daelman, Billuart, &c. contra Lessium dicendum, quòd equidem obnoxius sit restitutioni: ratio est, quòd, licèt desierit titulus *rei acceptæ*, ratione cujus dominus actionem habebat in ipsam *rem*, maneat equidem titulus injustæ acceptionis, vi cujus dominus acquisivit actionem personalem in possessorem malæ fidei, quæ actio manet, licèt res perierit.

Præterea, ut dictum est in fine N. 43. "Pacto, morâ "vel culpâ præcedentibus, casus etiam fortuitus imputa-"tur:" atqui in casu adest culpa & mora: ergo, &c.

Ulteriùs: si res empta & hodiè tradita, cras pereat apud emptorem non soluto pretio, quæ certò etiam periissit apud venditorem eodem modo, nihilominus emptor pretium tenetur solvere: ergo à fortiori fur.

Obj. I. Dominus in casu posito nullum damnum patitur, cùm eodem modo apud ipsum res periisset: ergo, &c.

R. Neg. antec. quia eo ipso quo dominum spoliavit re suâ, efficaciter ipsi damnum intulit: cum enim casus ille fortuitus ignotus esset, res dum auferebatur erat ejusdem æstimationis, ac si peritura non fuisset: quòd periisset apud dominum ex causa non prævisa solum facit, ut damnum, quod fuisset alteri causæ imputandum, tibi nunc imputetur.

Observa damnificationem æstimari non debere secundum utilitatem, quam dominus percipit, aut perciperet, sed secundum valorem rei in se: alioquin sequeretur, quòd non peccet ille, qui aufert à domino summam pecuniæ, quæ apud eum latebat, & semper latuisset.

Obj. II. Lex 15. lib. 6. digest. tit. 1. jubet restitui rem ablatam, si domino fuisset utilis: atqui in casu non erat utilis futura: ergo, &c.

R. Lex illa propterea non negat restituendam esse rem, si domino non fuisset ulterius utilis; imò Glossa id expressè affirmat.

Obj. III. Lex. 10. lib. 14. digest. tit. 2. statuit, quòd nauta, qui merces ex meliori navi in deteriorem transtulit, ad restitutionem teneatur, si sola deterior navis pereat, & non teneatur, si utraque pereat: ergo, &c.

R. Diparitas est, quòd iniquus possessor, rem invito domino auferendo, omne periculum istius rei in se suscipiat; nauta verò iste, cum non sit possessor malæ fidei, omne periculum in se non suscipit, sed solum periculum deterioris navis, in quam invito domino merces transtulit, & hinc illâ solâ pereunte, tenetur; quia censetur perire ex eo, quòd deterior sit: si verò ambæ pereant, non tenetur; quia deterior tunc non censetur perire quà deterior, sed vi tempestatis, cujus periculum nauta in se non susceperat.

N. 50. DE ÆSTIMATIONE REI RESTITUENDÆ TITULO INJUSTÆ ACCEPTIONIS.

I. *Valor rei est duplex.* II. *Intrinsecus.* III. *Et extrinsecus.* IV. *Injustus detentor restituere debet.* V. *Juxta valorem intrinsecum summum.* VI. *Exceptio.* VII. *An etiam juxta summum valorem extrinsecum.* VIII. *Quædam certa.* IX. *Casus controversus.* X. *Res immaturæ quomodo æstimandæ.*

I. PRÆNOTANDUM duplicem esse rei æstimationem, seu valorem, intrinsecum scilicet & extrinsecum.

II. Valor intrinsecus desumitur ex eo, quòd ipsa substantia rei fiat melior vel deterior, ut si pullus evadat equus, bos macer fiat pinguis, vel contra equus validus fiat morbidus, bos pinguis macer, &c.

III. Valor extrinsecus est pretium rei, taxatum authoritate legis, vel communi æstimatione hominum secundum abundantiam aut raritatem rerum vel emptorum, aliasve circumstantias independenter à bonitate rei in se: ita mensura tritici ejusdem valoris intrinseci, nunc majorem, nunc minorem valorem extrinsecum seu pretium habet.

Juxta quam rei æstimationem seu valorem restituere debet injustus detentor?

IV. R. 1°. Planum est, eum debere restituere totam rem, si extet, cum omni melioratione intrinseca, etiamsi apud dominum sic meliorata non fuisset; quia res melioratur domino suo.

2°. Tenetur restituere juxta valorem omnis meliorationis intrinsicæ, quam res apud dominum habuisset, etiamsi tantam non habuerit apud injustum detentorem; quia per injustam detentionem impedivit illam meliorationem, & ita dominum intantum damnificavit.

Ex his sequitur, quòd, si fur rem vendiderit tempore, quo erat apud ipsum intrinsece melior, debeat domino reddere omne pretium pro re illa meliorata acceptum, etiamsi illam meliorationem apud dominum non habuisset; quia pretium succedit in locum rei: & contra, si fur vendiderit rem, dum intrinsece minoris valebat, quæ pluris valuisset apud dominum, teneatur restituere juxta valorem, quem apud dominum habuisset.

Quid si fur vendiderit rem, tempore quo deterior facta erat, an tenetur restituere juxta optimum statum, quem res apud ipsum habuit, si domino nunquam pluris valuisset, quàm sicut eam fur vendidit; putà, quia etiam apud dominum deteriorata fuisset, vel quià dominus eam in viliori statu destruxisset?

V. R. Sententia affirmativa apparet verior; quia omne id, quod rei intrinsecè accedit, ad dominum spectat; ergo cum fur, invito domino, rem sicelioratam detinuerit, contraxit obligationem restituendi istud substantiale incrementum: quæ obligatio, utpote ex injusta acceptione, non extinguitur nisi per restitutionem. Probatur etiam ex lege 8. lib. 13. digest. tit. 1.

Objicies: si furatus sim minimam plantam, quæ in fundo meo plantata excrevit in magnam arborem, non teneor restituere magnam arborem; ergo nec in casu.

VI. R. Neg. conseq. Disparitas est, quod per legem 7. lib. 41. digest. § 13. tit. 1. talis planta per implantationem & radicationem fiat mea: unde mihi fructificat & melioratur, manetque solum obligatio reparandi damnum, quod domino intuli eradicando & auferendo plantam ipsius, sed tale statutum non habetur de aliis rebus.

Deinde dominus, ex cujus sylva talis planta aufertur, censetur illam (nisi foret extraordinaria) deserere; adeo ut fiat auferentis, modo restituat damnum, quod sylvæ intulit.

An similiter titulo injustæ acceptionis res restitui debet secundum summum valorem extrinsecum?

VII. R. Certum videtur cum Daelman & De Cocq contra Lessium, quòd dominus habeat jus exigendi totum pretium, quod fur accepit ex venditione rei, tempore quo pluris valebat, licet dominus eam vendidisset quando ejus pretium currens fuisset minus.

VIII. Idem censendum, si iniquus possessor rem alienam consumpserit tempore carioris pretii, scilicet quòd teneatur restituere juxta pretium carius, licet res, si extaret, nunc minùs valeret.

2°. Juxta omnes fur tenetur restituere juxta summum pretium, quo dominus rem suam certò vendidisset.

3°. Si sit dubium, an dominus rem suam usque ad pretium majus servasset, tenetur fur pro rata dubii: imò in simili dubio magis favendum domino innocenti, quàm furi.

4°. Si fur alienaverit rem infra justum pretium currens, tenetur domino pretium legitimum & justum istius rei restituere, etsi dominus infra justum pretium rem suam vendidisset; quia dominus partem pretii remittere potest, non fur.

Superest controversia, utrùm iniquus possessor teneatur restituere juxta summum valorem extrinsecum, quem res apud ipsum habuit, si talem apud dominum non habuisset, eò quòd, dominus ante tempus istius valoris rem consumpsisset, vel certò ad tempus minoris valoris eam servasset?

IX. Respondet Steyaert affirmativè: quia res, quanti valet ullo tempore, tanti valet domino: ergo fur eam tunc injustè detinendo, intantùm damnificavit dominum: estque hæc resolutio, inquit, uti simplicior, ita justitiæ favorabilior, furibusque iniquior. Billuart est ejusdem sententiæ.

Attamen Wiggers, Lessius, Daelman aliique communiter sustinent, in casu sufficere, rem intrinsecè eandem vel similem ejusdem bonitatis intrinsicæ, restituere, v. g. pro mensura tritici mensuram ejusdem bonitatis.

Ratio est, quòd valor ille extrinsecus in casu videatur impertinens, cùm sola bonitas intrinseca à domino æstimaretur, ac ei serviret: unde dominus per furtum nihil patitur ex hac parte; sicuti dans mutuò mille florenos ad annum, quos illo anno non dedisset ad negotiationem, non patitur damnum quinquaginta florenorum, licèt negotiando potuisset lucrari quinquaginta.

Talis est etiam communis apprehensio hominum, qui solent esse contenti, dum res ejusdem bonitatis intrinsecæ redditur, nisi lucrum cessans aut damnum emergens passi fuissent, quod in casu non supponitur.

Unde adverte, quòd hìc semper abstraxerimus à lucro cessante et damno emergente, quæ quis subire cogitur ex carentia rei suæ: nam hæc certo certiùs restituenda sunt.

Quid si furatus sis rem, eamque statim consumpseris: postea majus pretium habuit, vel etiam nunc, cùm vis restituere, majus habet, juxta quod pretium restituere debes?

R. Si dominus rem suam in tempus majoris pretii erat servaturus, juxta ante dicta, teneris hoc majus pretium restituere: si dominus in id tempus non erat rem servaturus, communis sententia habet, quòd satisfacias restituendo pretium, quod res habebat tempore ablationis; quia tantùm in hoc dominum damnificasti.

Quantùm restituere debet, qui vastavit segetes alienas nondum maturas?

X. R. Non debet restituere valorem segetum maturarum, sed restituere debet juxta pretium, quod prudentum judicio segetes nunc habent, attendendo scilicet spem fructuum, pericula, &c. et deductis impensis in demessione faciendis.

Eodem modo resolvendum, dum quis excidit arborem alienam nondum maturam.

Aliquis abduxit furto pullum equinum, et statim vendidit, quem dominus erat servaturus ad perfectum equum; ad quid fur ille tenetur?

R. Patet ex dictis; scilicet, tenetur juxta spem equi perfecti prudentum judicio æstimandam, deductis expensis, quas in pullo enutriendo dominus facere debuisset, &c. Ut autem ista æstimatio practicè noscatur, brevissima via est, si inquiratur, quanti pullus iste inter peritos venditus fuisset. Idem aliis rebus non maturis, servatis servandis, applicari potest.

N. 51. DE FRUCTIBUS RESTITUENDIS A POSSESSORE MALÆ FIDEI.

1. *Restituere debet fructus naturales, mixtos & civiles.* II. *Etiam non perceptos, licèt Dominus percepisset.*

QUOSNAM fructus restituere debet possessor malæ fidei?

R. I°. Restituere non debet fructus merè industriales; quia illi non sunt fructus rei, sed possessoris; ita si quis pecuniis furtivis negotiando lucrum fecit, non tenetur illud

restituere domino: si tamen dominus ex carentia pecuniarum damnum passus sit, vel à lucro faciendo fuerit impeditus, hæc fur reparare tenetur.

I. 2°. Restituere debet omnes fructus naturales, mixtos et civiles, quos percepit, sive adhuc extent sive non, sive inde sit factus ditior sive non: imò si iniquus possessor ex singulari sua industria eos percepisset, nec dominus fuisset eos percepturus; quia fructus rei, hoc ipso, quo producuntur, fiunt illius, qui est dominus rei, cùm res fructificet domino suo.

Obj. Fruxtus mixti, ut dictum est Num. 47. pro parte sunt industriales, et pro illa parte restituendi non sunt à possessore bonæ fidei: ergo nec à possessore malæ fidei.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quòd possessor bonæ fidei ideo non teneatur ad fructus mixtos pro ea parte, quâ sunt industriales, quia juxta Num. 48. deducere potest laborem et industriam, item expensas, quibus rei alienæ utilis fuit; sed hæc deducere non posse videtur possessor malæ fidei, ut dicetur Num. sequenti.

Quid si fur fructus non perceperit, sed dominus eos percepisset?

II. R. Etiam ad illos tenetur fur: idque verum est, etiamsi dominus singulari labore et industriâ eos percepisset, aut etiam quatenùs fur reddidit rem domini meliorem; nam juxta legem 33. lib. 6. digest. tit. 1. "Fructus "non modo percepti, sed qui percipi honestè potuerunt, "æstimandi sunt." Ratio est, quòd illi fructus pertineant ad lucrum cessans domini.

Dicitur in lege citata: qui percipi "honestè" potuerunt; certum enim est, quòd fur non teneatur ad fructus, quos dominus percepisset "illicitè."

N. 52. AN POSSESSOR MALÆ FIDEI POSSIT DEDUCERE EXPENSAS?

I. *Deducere non potest expensas voluptuarias.* II. *Nec probabiliùs utiles & necessarias.* III. *Pro praxi.*

RESP. 1°. In foro externo possessor malæ fidei privatur omnibus expensis factis, in pœnam delicti.

I. 2°. Deducere non potest expensas voluptuarias: humanum tamen et æquum est, ut dominus eas auferri sinat, si possint separari à re sine ejus deterioratione.

3°. Omnes illas expensas, quas N. 48. diximus, deducere non posse possessorem bonæ fidei, multò minùs deducere potest possessor malæ fidei.

4°. Secundùm leges humanitatis convenit, ut dominus remittat aliquid possessori malæ fidei pro expensis necessariis et utilibus, quas ipse etiam facere debuisset. His præmissis:

Quæstio gravis movetur, an malæ fidei possessor in conscientia deducere possit expensas necessarias et utiles, sepositâ omni sententiâ judicis?

II. R. Probabilior & legibus conformior videtur sententia negativa, quam propugnant Steyaert, Braunman, Henno, aliique contra Lessium, De Coeq, Billuart & plures alios.

Ratio est, quòd expensæ illæ accreverint rei: sicque ad dominum rei pertineant, qui, cum malæ fidei possessori illas expensas faciendas, nec explicite nec implicite commiserit, eidem pro illis nil solvere tenetur.

Et quidem quoad expensas solummodo utiles, satis apparet, nullam pro illis commisionem intervenire, cum nulla sit necessitas illas faciendi. Quantum ad expensas necessarias, nec pro illis commissio dari videtur; nam dominus simpliciter vult, rem suam sibi restitui, ac adeo potius vult, eam non intertineri à fure: verum quidem est, quòd *dominus* communiter censeatur velle, ut fur, si rem non *restituat*, eam integram servet; sed inde nullo modo sequitur, quod det commissionem; dominus enim tantum vult id, ad quod fur, si rem restituere nolit, obligatur; sinendo enim perire, injuriam domino facit: sic nullus dicet, quod pater, cujus filius injustè a quopiam carceri inclusus est, et ibidem pane et aquâ alitus, commissionem dederit injusto detentori, filium suum pane et aquâ alendi; licet malit eum sic ali, quam fame perire.

Obj. I. Potest possessor bonæ fidei expensas utiles et necessarias deducere: ergo et possessor malæ fidei.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quod possessor bonæ fidei utiliter gerat rem domini ex tacita ejus commissione, sicque jura expresse statuant: sed nil simile habetur pro possessore malæ fidei.

Obj. II. Æquum non est, ut dominus ex alienis expensis, labore et industriâ ditescat: atqui in casu ditesceret, si fur pro iis nil possit deducere: ergo, &c.

R. Iniquum non est ditescere ex alieno, nisi quis ditescat per injuriam; hoc autem non fit in casu; cum enim expensæ illæ accreverint rei domini, idque citra ejus commissionem, sibi imputare debet fur, quod illarum jacturam patiatur.

Obj. III. Simoniacus potest deducere expensas factas causâ fructuum, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3. ergo etiam fur.

R. S. Thom. hic aliquid particulare dicit pro simoniaco, quod nullibi dicit pro fure: videtur autem hæc resolutio S. Thom. fundata in quadam benignitate Ecclesiæ, quæ tanto rigore restitutionis non obligat simoniacos, eò quòd beneficii bona possideant nomine Ecclesiæ, ad quam beneficium est reversurum. Nil simile in fure contingit, propter quòd aliquâ benignitate cum ipso esset agendum.

Cæterum, licèt hæc sententia nobis probabilior appareat, opposita tamen est etiam verè probabilis, & quidem multò plures, quàm nostra patronos habet.

Quid igitur pro praxi ex his duabus sententiis statuendum?

III. R. Si possessor malæ fidei per sententiam judicis à deductione expensarum repellatur, nil dominus pro iis solvere tenetur; quia hæc sententia justa est.

Ante sententiam poterit fur illas expensas deducere proportionatè ad probabilitatem utriusque sententiæ, idque ad judicium prudentis viri. Addit Braunman, inducendos esse dominos, maximè dum fur est pœnitens & inops, ut secundùm humanitatis leges contenti sint restitutione istius rei in se, vel in æquivalenti, et pro fructibus, quos fur percepit, computare velint expensas factas, &c.

Casum, quo quis furatus est gallinam, ex qua plurima ova, et ex ovis plurimos pullos habuit, resolutum vide apud Daelman quæst. 5. obs. 10. circa finem.

N. 53. DE DAMNO RESTITUENDO TITULO INJUSTÆ ACCEPTIONIS.

I. *Restituere debet omne damnum illatum.* II. *Item damnum emergens,* III. *Et lucrum cessans.* IV. *Sufficit restituere simplum.*

HACTENUS vidimus, quod titulo injustæ acceptionis restitui debeat res aliena, vel ei æquvalens et ejus fructus: nunc quæritur,

Quid præterea titulo injustæ acceptionis sit restituendum?

I. R. 1°. Omne damnum formaliter injustè illatum, etsi inde damnificator nullum commodum perceperit, ut si incenderit domum alterius.

II. 2°. Damnum emergens, quod dominus patitur ex injusta detentione aut destructione rei suæ.

III. 3°. Lucrum cessans, quod similiter dominus patitur ex injusta rei suæ detentione aut destructione.

Quantùm restitui debet ratione lucri cessantis?

℟. Si ex eventu constet, quantum lucrum dominus amiserit, tantum debet restitui, deductis expensis, quas dominus causâ istius lucri facere debuisset.

Si autem non constet, quantum fuisset illud lucrum obtinendum, oportebit restituere juxta prudentum æstimationem spei, ut dictum est N. 50. in fine.

Quantitas damni emergentis & restitutionis inde faciendæ, facile ex se æstimari potest.

De damno emergente et lucro cessante, latiùs agitur in tractatu "de Contractibus," ubi "de titulis extrinsecis "mutui," N. 45.

An injustus detentor aut damnificator satisfacit in conscientia, reddendo simplum rei, vel damni?

IV. Affirmativè, scilicet ante sententiam judicis; quia sic restituitur æqualitas, quæ læsa erat.

Quæ ex veteri Testamento in contrarium opponuntur, sunt leges determinantes pœnam à judice infligendam. Vide "Analogiam Becani" c. 19. num. 3.

Zachæus Lucæ cap. 19. volendo reddere quadruplum, si *quid aliquem* defraudasset, supererogationem facere voluit.

Per sententiam judicis condemnatus ad restitutionem dupli, &c. eidem debet obedire.

N. 54. DE RESTITUTIONE FACIENDA A POSSESSORE DUBIÆ FIDEI.

I. *Possessor dubiæ fidei.* II. *Ad quid teneatur dubitans ab initio.* III. *Vel tantùm in decursu.* IV. *Quid si debita sint incerta.* V. *In quibus disponat Pontifex.*

QUIS dicitur possessor dubiæ fidei?

I. ℟. Ille, qui acquisivit rem, de qua dubitabat an esset aliena; item ille, qui postquam bonâ fide acquisiverat, incepit dubitare, an esset aliena, necne.

Ad quid talis possessor tenetur?

II. ℟. 1°. Qui ab initio dubitat, et eo non obstante rem acquirit "animo sibi retinendi," peccat contra justitiam, & fides dubia in tali possessore mala reputatur: unde si postea detegat esse alienam (quod inquirere tenetur) obligatur integram rem domino restituere titulo injustæ acceptionis.

Si inquisitione factâ dubium perseveret, tenetur pro rata dubii restituere partem, etiam cum amissione pretii, quod pro re solvit.

Hinc viderint, ait Billuart, quantis oneribus & periculis se objiciant, qui nulla inquisitione factâ, ab omnibus indiscriminatim emunt, à filiis-familias, pauperibus, militibus post injustam deprædationem, &c. ubi subest ratio saltem suspicandi res esse furtivas.

Si debitâ inquisitione factâ, dubium cesset, potest rem sibi retinere et fit possessor bonæ fidei.

Dictum est supra: "animo sibi retinendi;" quia si emerit animo rem domino reddendi, tunc est possessor bonæ fidei, & pretium à domino repetere potest, juxta dicta Num. 46.

III. 2°. Dum possessioni bonæ fidei dubium supervenit, an res sit aliena, tenetur diligenter inquirere veritatem; aliàs statim fit possessor malæ fidei.

Si verò sufficienti inquisitione factâ, dubium maneat, tenetur pro rata dubii restituere partem: quod si non faciat, pro illa parte fit possessor malæ fidei.

Si deprehendat rem esse alienam, debet eam titulo rei acceptæ domino restituere: quod nisi faciat, obligabitur etiam titulo injustæ acceptionis.

Dubium infundatum contemnitur.

Eodem modo procedendum, dum quis dubitat, utrùm alteri injustè damnum intulerit.

Quid faciendum, si debitum sit incertum?

IV. R. Debitum dicitur incertum, dum cognosci non potest, an debeatur, vel quantùm debeatur. In his casibus optimum est ut fiat conventio seu transactio cum parte læsa: quæ si fieri non possit, restitutio facienda est juxta arbitrium viri prudentis.

In quibus debitis incertis locum habet compositio cum Sacra Pœnitentiaria Romana?

V. R. In iis solummodo, quæ ita incerta sunt, ut nesciam, cui debeam et quantum debeam: si enim sciam cui debeam et quantum debeam, semper pro rata dubii sive juris sive personæ, cui debeo, satisfacere teneor.

N. 55. AN ACCEPTA OB OPUS MALUM SINT RESTITUENDA?

I. *Accepta pro opere turpi.* II. *An retinere liceat, disputatur.*

I. RESP. 1°. Conveniunt Authores, quòd contractus de opere malo faciendo sit nullus.

2°. Quòd accepta ob opus malum faciendum, antequam factum est, debeant reddi domino: etsi in pœnam delicti talia meritò addicantur fisco.

3°. Accepta, opere jam facto, retinere licet, si labor operis verè maneat pretio æstimabilis: v. g. accepta ob opus servile die festo illicitè positum, accepta pro ipso gladio fabricato ad occidendum.

Sed quæstio perplexa est, an accepta ob opus intrinsecè malum, aliter non æstimabile, quàm quatenùs ad malum tanquam ad finem operis ordinatur, opere patrato restitui debeant? v. g. Joannes accepit tres florenos à Petro, ut occidat ejus inimicum: meretrix dedit usum sui corporis mediante pretio?

II. R. Multùm variant Authores: Soto & Daelman dicunt illud datum posse retineri, si conditio turpis non repugnet justitiæ, secùs si repugnet.

Wiggers & alii dicunt, non posse retineri, si opus turpe sit tale, quod legibus punitur, secùs si legibus non punitur.

Van Roy, Braunman, Collet, Concina, &c. generatim dicunt, illud acceptum restituendum esse; quia si retineri posset, esset ideo, quod illud opus sit pretio æstimabile, vel illud, quod datur, censeatur dari liberaliter: atqui neutrum dici potest; non primum; quia actus intrinsecè *malus* non pretio, sed supplicio dignus est: non secundum; *quia* datur sub conditione onerosa, quæ regulariter unicè intenditur; adeoque illud, quod datur, pro illa dari censendum est.

Sylvius, Billuart & plures alii sustinent, quòd contractus sub conditione turpi sive repugnante justitiæ, sive alii virtuti, sive legibus puniatur sive non, purificatâ conditione jure naturæ obliget, sic ut promittens teneatur dare rem promissam, & promissarius eam accipere, & retinere possit.

Huic sententiæ favere videtur S. Thom. qui in quartum dist. 15. quæst. 2. art. 4. quæstiunculâ 2. dicit: Si lex prohibuit actum, sed non lucrum, supposito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, sicut quis de lenocinio vel meretricio lucratur; & ideo hæc retineri possunt, & de iis eleēmosyna fieri potest. Idem dicit in Summa 2. 2. quæst. 32. art. 2. in "Corp." item in quartum dist. 33. quest. 1. art. 3. quæstiunculâ 2 ad 3. dicit, quòd Judas Genes. cap. 38. fecisset injuriam ipsi Thamar, si mercedem promissam non solvisset.

Ad leges civiles, quæ opponuntur, respondent illas leges tantum decernere, quòd ante opus patratum tales contractus nullam pariant obligationem: et opere patrato

denegent actionem in foro externo ad pretium obtinendum, licèt obligatio naturalis non extinguatur.

Quo titulo juxta hanc sententiam sic accepta retineri possunt?

R. Titulo donationis, non quidem omnino gratuitæ, cùm alter præexigat opus malum tanquam conditionem; sed eo non obstante, hæc donatio adhuc potiùs liberalis quàm onerosa reputari debet, cum strictè loquendo nihil reddatur pro dato, & ipsa donatio fiat voluntariè " sinè " extorsione et fraude."

Quidquid sit, in hoc finaliter conveniunt Authores, pro praxi optimum esse, ut Confessarius similibus hominibus pro pœnitentia strictè imponat, ut sic accepta pauperibus, aliisve piis causis applicent, nisi ipsi reipsa pauperes fuerint; tum quia peccatum talem pœnam meretur, tum ne ex peccato lucrum & ex lucro affectum teneant ad peccatum, quod fieri natum est.

N. 56. AN ACCEPTA OB OPUS ALIUNDE DEBITUM SINT RESTITUENDA?

I. *Si opus debeatur ex justitia, pretium debit restitui.* II. *Item si opus non sit æstimabile.* III. *Secùs si sit æstimabile.* IV. *Aut donatio sit liberalis.*

PRÆNOTANDUM 1°. quòd opus sive actio aliqua possit alicui esse debita, vel ex justitia strictè dicta, ut est opus illius, qui ad hoc mercede conductus est; vel ex alia virtute, v. g. charitate, gratitudine, pietate, &c. sicuti tenemur homini necessitatem patienti succurrere, damnum impedire, &c.

2°. Quòd acceptum pro actione debita potuerit dari, vel per modum pretii, vel omnino liberaliter per modum allicientis, vel sub conditione, si actio facta fuerit. His positis:

I. R. 1°. Accepta per modum pretii pro actione debita ex justitia, restitui debent danti, idque etiamsi pretium detur ab aliquo tertio, cui actio non debebatur: ratio est, quòd talis actio sit invendibilis, cùm jam sit ex justitia debita; eadem enim res sine injustitia bis vendi nonpotest, adeoque nullus est titulus illa retinendi.

Hinc ad restitutionem tenetur judex, qui pretium accepit pro ferenda sententia justa, item qui aliquid accipiunt pro dicendo testimonio vero, deposito reddendo, solvendo debito, &c.

II. 2°. Si actio seu opus sit debitum ex alia virtute à justitia distincta, res per modum pretii pro eo data tunc debit restitui, quando opus seu actio non est pretio æstimabilis, v. g. si fiat sine labore, sine sumptu, sine periculo, &c. ut si quis acciperet pretium, ut ostendat locum, ubi delitescit fur, vel ubi occultæ sunt res furtivæ.

III. 3°. Si autem opus debitum, non ex justitia, maneret pretio æstimabile, v. g. quia periculosum, vel onerosum est, tunc pro eo accipiens pretium potest peccare, sed acceptum non tenetur restituere, ita v. g. non tenetur restituere Advocatus, si pro patrocinio pretium reciperet à paupere, cui ex charitate gratis inservire tenebatur.

IV. 4°. Generaliter quis non tenetur restituere acceptum pro opere debito, sive ex justitia, sive ex alia virtute, si constet, illud sponte ac liberaliter fuisse donatum; nisi lege positivâ accipiens inhabilis sit ad acquirendum rei donatæ dominium, uti est v. g. judex respectu muneris accipiendi, saltem magni momenti.

Hic si pater aliquid liberaliter & in præmium virtutis promittat, aut det filio, ut officio suo ritè fungatur, studiis gnaviter incumbat, &c. herus famulo, ut sedulò vigilet, filius & famulus ea possunt retinere.

Dicta de actione debita similiter applicari debent omissioni alicujus actionis debitæ, vel ex justitia, ut non furandi, non detrahendi, &c. vel ex alia virtute, ut non fornicandi, non se inebriandi, &c. cum sit par ratio.

N. 57. UBI RESTITUENDUM ET CUJUS EXPENSIS?

I. *Ubi restituenda debita ex contractu.* II. *Ratione rei acceptæ.* III. *Et injustæ acceptionis.*

I. RESP. 1°. Ea, quæ debentur ex contractu, solvi debent in eo loco, & ejus expensis, prout tacitè vel expressè conventum est, vel sicut leges & consuetudines locorum observant.

II. 2°. Si sit restitutio strictè dicta, & ea debita sit solo titulo rei acceptæ, tunc bonæ fidei possessor, ubi novit rem esse alienam, satisfacit, si custodiat & præsentet rem domino, eum monendo, ut significet, quomodo & quò velit sibi rem remitti, idque expensis ipsius domini; non enim gravari debet bonæ fidei possessor, qui culpâ caret. Hinc

generatim expensæ factæ ad inquirendum dominum, ad rem ei transmittendam, &c. possessori bonæ fidei refundi debent.

Idem est dicendum, quamvis bonæ fidei possessor absque monitione rem domino remittat, modò in transmittendo non fecerit expensas superfluas & inutiles.

III. 3°. Si restitutio debita sit titulo injustæ acceptionis aut damnificationis, fieri ipsa debet expensis malæ fidei possessoris, & in eo loco, ubi dominus rem suam possessurus erat, si ablata vel destructa non fuisset. Hoc verum est, non solum quando injustus possessor rem alio transmittit, sed etiam quando dominus ipse alio migravit, & rem suam secum asportasset, si apud ipsum mansisset: interim probabiliter expensas necessarias, quas dominus in illa re secum asportanda facere debuisset, deducere poterit. Vide dicta Num. 52.

Expensæ quamtumvis magnæ neminem simpliciter à restitutione liberant, sed aliquando dant justam causam eam differendi, ut dicetur agendo de causis à restitutionibus excusantibus. An aliquando ob expensas alteri, quàm domino, restitutio fieri possit, inquiretur agendo de circumstantia "cui."

N. 58. QUOMODO RESTITUENDUM?

I. *Restitutio fieri debet integrè.* II. *Potest tamen fieri occultè.* III. *Idque periculo Domini rei.*

AN sufficit restitutionem facere per partes?

I. R. Si totum debitum simul reddi possit, non poterit restitutio fieri per partes; nisi consentiat is, cujus interest, vel justa aliqua causa id fieri permittat; quia aliàs contrahitur culpabilis mora pro partibus dilatis.

Hinc absolvi non potest, qui absque justa causa non vult restituere nisi per partes.

An restitutio fieri debet publicè?

II. R. Per se loquendo non solùm publicè fieri non debet, sed nec sæpè potest; debet enim in ea, quantùm commodè potest, consuli famæ & honori restituentis: per accidens tamen publicè facienda est: 1°. Si alioquin ipsa restitutio, v. g. famæ & honoris, fieri non possit; 2°. dum reparandum est publicum scandalum, quod quis dedit, v. g. publicus usurarius & similes: hi, non obstante notâ propriæ infamiæ, restituere debent publicè, etiam ex disciplina Ecclesiæ.

An est licitum restituere per alium?

R. Affirmativè: modò ille, cui restitutio facienda committitur, sit satis fidelis, ut res cum effectu domino suo restituatur: idque sæpè exigit conservatio famæ.

Circa hoc attendat Confessarius monitum S. Caroli Borromæi part. 2. cap. 20. "Neque pecunias aliave, quæ "à pœnitente restituenda sunt, propriis dominis in se "provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, "ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod "cùm erit ab eo factum, curet ut is, cui rem restituit, "chyrographum suum in testimonium ei contribuat, ut "illud pœnitenti consignet: ac planè eo modo procedat, "ut omnem speciem ac signum avaritiæ superfugiat."

In hoc chyrographo non potèst ipse pœnitens nominari, & prohibere debet omni modo Confessarius, ne is cui restitutio fit, in personam, cujus nomine fit, inquirat.

Quid si Confessarius vel alius ex oblivione vel ex malitia sibi retineat, quod restituendum accepit?

III. R. Si restitutio sit debita titulo rei acceptæ tantùm, & res eadem in se seu in specie reddatur, tunc fit periculo ipsius domini, modò restituens remiserit rem per hominem quem prudenter judicabat rem domino redditurum.

Quòd si rem alienam non habeat in specie, sed tantùm in æquivalenti, eamque per fidelem nuntium remittat, quibusdam placet, tunc restitutionem fieri periculo restituentis: sed dicendum eam fieri periculo illius, cui fit restitutio; quia intervenit pactum negotiorum gestionis, quo periculum rei devolvitur ad dominum, cujus negotia geruntur.

Si verò restitutio debita sit titulo injustæ acceptionis, tunc fit periculo restituentis, ita ut undecumque contingat restitutionem cum effectu domino non fieri, adhuc restituere obligetur, nisi antea plenè omnino apud dominum moram purgasset, vel dominus illum tertium deputasset, ut sibi restitutio fieret, vel aliter periculum in se susceperit; ratio est, quòd malæ fidei possessor etiam casum fortuitum præstare debeat, ut ante dictum est.

Nota, aliud esse, quòd dominus consentiat, ut restitutio fiat per tertium; aliud, ut fiat per tertium periculo ipsius domini.

Cujus periculo fit restitutio ex contractu debita?

R. Periculo debitoris, nisi creditor isti tertio dederit commissionem, vel aliter fuerit conventum, aut consuetudine introductum.

N. 59. QUANDO RESTITUENDUM?

I. *Restitutio debet fieri statim.* II. *Nisi justa causa excuset.*

I. RESP. 1°. Debita ex contractu restitui seu solvi debent eo tempore, prout tacitè vel expressè conventum est, quo transacto, dies definita interpellat pro domino, & solutio debet fieri "statim;" alioquin debitor contrahit onus compensandi omne damnum, quod creditor subit ex dilatione solutionis.

Hæc intelligi debent, nisi adsit legitima causa dilatonis, qualis censetur esse, si debitor pergat frequentare officinam creditoris, si pergant simul negotiari, secùs si contrarium.

2°. Restitutio, sive ex re accepta, sive ex injusta acceptione, fieri debet "statim," ubi non excusat legitima causa; quia præceptum restitutionis juxta Num. 39. est primariò negativum, adeoque obligat semper & ad semper.

Quomodo istud "statim," intelligendum est?

R. 1°. Si sermo sit de proposito restituendi, intelligitur statim "mathematicè," id est, eo instanti, quo reflectis te detinere alienum, eodem debes velle restituere, alioquin peccas contra præceptum negativum prohibens detinere alienum.

2°. Si sermo sit de restitutione actu facienda, intelligitur statim, "moraliter," hoc est, primâ opportunitate datâ; quia cùm sit actus exterior, requirit moram temporis ut fiat, et sæpè occurrit impedimentum ne fiat.

II. Intellige iterum, nisi adsit quædam justa ratio restitutionem differendi, de quibus causis agetur postea: sed notari debet, quòd existente justâ causâ differendi, propositum equidem suo tempore restituendi, semper debeat perseverare.

N. 60. DE PECCATO ET ONERE ILLIUS, QUI NON RESTITUIT STATIM.

I. *Procrastinans restitutionem peccat.* II. *Ex genere graviter.* III. *Diuturnitas temporis aggravat, vel multiplicat, si interrumpatur.* IV. *Observanda à Confessario.*

QUOMODO peccat ille, qui est in mora culpabili restitutionis aut solutionis?

R. Qui citra justam causam primâ opportunitate morali restituere aut solvere recusat, si antea non erat possessor malæ fidei, jam talis esse incipit, et tenetur titulo *injustæ* acceptionis.

I. 2°. Peccat contra justitiam commutativam adversùs creditorem.

Undenam aggravatur vel diminuitur hoc peccatum?

II. R. 1°. Ratione majoris vel minoris quantitatis rei restituendæ, aut solvendæ. 2°. Ex longiori vel minori mora, magis vel minùs culpabili. 3°. Ex eo, quòd debitor magis commodè possit satisfacere, et creditor majus nocumentum patiatur. 4°. Ex eo, quòd creditor magis vel minùs sit rationabiliter invitus.

Nota, peccatum illius, qui vult restituere occasione magis opportunâ, sed jam absque sufficienti ratione differt, non ideo semper esse mortale.

Quid ex diuturnitate temporis hìc est reflectendum?

R. Quòd talis continuo peccet toto illo tempore, quo non proponit efficaciter restituere aut solvere.

An talis unum aut plura peccata committit?

III. R. Vel committit unum peccatum continuando, *quod* singulis momentis crescit ratione durationis et *majoris* nocumenti, quod diutiùs infertur domino: vel committit plura numero peccata, si voluntas injusta interrumpatur aut renovetur.

Volunt quidam, quod quoties habet voluntatem expressam non restituendi, toties numero multiplicet peccatum suum injustæ acceptionis; ratio est, quod talis voluntatis actus secundùm se sit verum peccatum, et videatur disparatus ab actibus præcedentibus. Hoc certum est, quod si prior mala voluntas fuerit interrupta, tunc resumptio istius malæ voluntatis constituat novum peccatum.

Quandonam illa mala voluntas detinendi alienum sic interrumpitur, ut fiat numero distinctum peccatum?

R. 1°. Quoties concipit voluntatem, seu propositum efficax restituendi, et iterum resumit voluntatem non restituendi.

2°. Quoties supervenit causa à restitutione excusans, v. g. impotentia, modo tamen tunc non continuaverit propositum non restituendi, etiamsi potens esset vel fieret.

Non videtur hoc peccatum multiplicari ratione somni aut alterius distractionis supervenientis; nec etiam per hoc, quod injustus detentor novum actum injuriosum circa rem alienam omittat, v. g. eam cautiùs custodiendo, abscondendo, alienando, destruendo, domino petenti negando, &c.

quia hi actus profluunt ex priore injusta voluntate, & cum eadem unum actum injustæ detentionis continuatæ constituere videntur. Attendi tamen debet, an non per tales actus quædam specialis injuria adversùs dominum sit commissa. Circa hæc vide Num. 95 "de Peccatis," et quæ dicuntur in schemate 7.

IV. Quantùm ad moram culpabilem reflectat Confessarius præcipuè hæc tria:

1°. Tempus seu durationem istius moræ culpabilis; quia tamdiu fuit in actuali peccato.

2°. Confessiones eo tempore factas (si res restituenda fuerit notabilis) fuisse invalidas, adeoque repetendas; et pœnitentem se debere accusare de tot sacrilegiis, quot Sacramenta durante tali statu suscepit.

3°. An talis fregerit fidem datam de restitutione facienda: quod si sic, ordinariè ei neganda est absolutio, donec actu restituerit.

Merito etiam monentur rudiores, quod per absolutionem non auferatur obligatio restitutionis, ne putent remisso peccato restitui non debere.

Quomodo intelligantur verba Pastoralis dicentis absolvendos non esse, "qui aliena, si possunt, restituere nolunt," vide N. 126. "de Sacr. Pœnit."

COROLLARIUM.

I. *Casus ægroti restitutioni obnoxii.* II. *Media.* III. *Si sit publicum.* IV. *Nolens restituere nisi per hæredes.*

QUID agendum Confessario, qui deprehendit ægrotum usque nunc restitutionem distulisse?

I. R. Habitâ quantitate restitutionis faciendæ juxta methodum schematis 7. et supra dicta, petet rationem, cur tamdiu restitutionem distulerit, ut hinc videat, an fuerit justa causa excusans à restitutione statim facienda: hinc etiam noscet quàm grave sit peccatum omissionis restitutionis, &c.

2°. Si restitutio nondum facta sit, eum monebit ut, quam primùm potest, restituat.

His tamen cautè procedi debet, ut servetur honor et fama ægroti, et ut ipsa restitutio certò et securè quamprimum fiat, quæ duo simul sæpè sunt satis difficilia.

II. Media pro variis circumstantiis assignant Authores sequentia:

1°. Det ægrotus rem restituendam vel ejus valorem alicui personæ fideli, vel ipsi Confessario, ut per eos restitutio fiat.

2°. Si obligatio sit omnino occulta, poterit ægrotus tantam summam per testamentum aut codicillum relinquere illi, cui restitutio debetur.

3°. Vel declaret ægrotus in scriptis coram testibus et Notario sive Parocho, quod velit, ut ante omnia sumatur talis pecuniæ summa, ex sua hæreditate applicanda per Confessarium (quem proprio nomine in scriptis designet) ad rem, de qua ambo inter se convenerunt, et curet, ut ista declaratio statim tradatur in manus Confessarii.

4°. Potest etiam provideri restitutioni, si ægrotus ad se vocet personam privatam, cui merito fidat, et eidem dicat, se ei testamento vel codicillo relinquere talem pecuniæ summam, ut ex ea velit isti obligationi aut restitutioni satisfacere. Cavendum tamen, ne in testamento fiat mentio restitutionis aut obligationis, ne fama ægroti lædatur.

Quid si publicum sit eum esse restitutioni obnoxium?

III. R. Debet Confessarius ei injungere, ut publicè restituat, vel ut curet publicè, v. g. inter testes, ut sufficienter restitutioni provideatur, et ita scandalum tollatur.

Reflectere etiam debet Confessarius, ut inducat pœnitentem ad voluntatem et affectum erga rem alienam efficaciter retractandam, quod quilibet potest et facere tenetur, etiamsi actu restituere non possit.

Si temporis angustia non patiatur moram ad aliquod ex jam dictis mediis exequendum, non ideo absolutio neganda erit, si Confessarius videat ægroti animum promptum ad restituendum.

An satis non est, si moribundus potens restituere per se, dicat, se hoc jussisse hæredibus suis?

IV. R. Negativè: unde nec eum absolvi posse, Authores uno ore profitentur.

Ratio est: 1°. Quod tales non habeant absolutum propositum restituendi, sed conditionatum tantùm, nempe "si moriantur;" ita ut restituerent, si superviverent, quale propositum conditionatum non sufficit ad pœnitentiam.

2°. Illo modo non satis providetur securitati restitutionis quamprimùm faciendæ; imo manifestum periculum est, ne unquam restitutio fiat, quia hæredes vel non complebunt injunctam sibi restitutionem, vel eam usque ad finem vitæ similiter different, eamque hæredibus suis committent.

Vide hac super re De Cocq tract. 1. cap. 3. sect. 3.

Interim, si res non pateretur moram, ut per seipsum moribundus restituat, vel modus injungendi restitutionem hæredibus necessarius foret pro honore & fama ægroti, admittunt Doctores, talem ægrotum absolvi posse, modò habeat propositum restituendi absolutum, ac eam ita injungat, ut sufficienter consulat restitutioni quamprimum faciendæ.

N. 61. CUI RESTITUENDUM?

I. *Restitui debet possessori legitimo, sive sit dominus rei, sive non.* II. *Exceptis his quinque casibus: si res sit damnosa.* III. *Eleëmosynæ ficto titulo acceptæ.* IV. *Pretium operis turpis.* V. *Nimiæ expensæ.* VI. *Dominus ignotus.* VII. *Quandonam dominus censeatur ignotus.* VIII. *Monitum practicum.*

NON est quæstio, quin restitutio sic fieri debeat, ut res, si non immediatè, saltem mediatè et ultimatè ad verum suum dominum veniat, quia hic est modus naturalis reparandi æqualitatem læsam: sed quia sæpè aliquid obstat, ne immediatè domino restituatur, hinc statuitur hæc regula:

I. Res ordinariè restitui debet illi, a quo legitimo titulo possidetur, sive sit dominus rei, sive non: ratio est, quòd ille injuriam passus sit, quæ consequenter debet per restitutionem reparari.

Hinc inferes, furantem commodatum, locatum, depositum, pignus, &c. debere restituere commodatario, locatario, depositario, &c. pariter furantem res pupilli a curatore vel tutore, debere restituere curatori, vel tutori, non veris dominis.

Similiter eum, qui surripit pannum a sartore, linteamina a lotrice, debere illis, non dominis ablata reddere; alias enim prædicti exponerentur gravi incommodo, eorum officinæ desererentur, et judicabuntur tanquam parùm fideles.

Dictum est 1°. "Ordinariè," propter quinque exceptiones infra allegandas.

Dictum est 2°. "Illi, a quo legitimo titulo possidetur;" quia si sit possessor illegitimus, sive bonæ sive malæ fidei, res immediatè domino restituenda est per se loquendo; quia talis nullùm jus in illam rem habet: hinc res accepta a fure vel a possidente bonâ fide, sed sine legitimo titulo, immediatè domino suo tradi debet. Debent tamen moneri de restitutione jam facta, ne fur in peccato suo perseveret, et ne secunda restitutio fiat.

Nota, restitutionem censeri debite factam domino, quando fit ipsius dministratori, aut ejus negotia gerenti, *modo* admoneatur dominus de restitutione ipsis facta, et nil obstet, v. g. suspicio, ne forte res non sit perventura ad dominum suum.

Quandonam non debet res restitui illi, a quo legitimo titulo possidetur?

II. R. In his quinque casibus: 1°. Quando res restituenda apparet esse graviter nosciva ei, cui restitutio facienda est: ratio est, quod non habeat jus repetendi in hunc finem, nec sit rationabiliter invitus: tum etiam quia ex lege charitatis tenemur impedire malum proximi, saltem quando commodè possumus.

In simili ergo casu res debet reservari, ut congruo tempore restituatur, vel alii tradi tutius conservanda, vel etiam aboleri, si semper maneat æquè nociva.

Hinc si quis habeat librum alterius plane pestilentem, neque ulli utilem, non domino restituendus, sed abolendus est. Idem dicendum de pictura nullius usûs, nisi pravi. Si *verò* alicui talis liber vel pictura utilis esse possit, sed *non* domino, consignetur superiori.

Eadem ratione sæpe præstat restituere uxori providæ, quam marito decoctori rei familiaris.

III. 2°. Eleëmosynæ ficto paupertatis titulo acceptæ, sufficienter videntur restitui, si dentur veris pauperibus juxta voluntatem domini: putat tamen Peringuez, quòd si n eleëmosynam data fuisset summa notabilis, illa danti restituenda foret: quia tunc intentio dantis videtur restringi ad personam aut causam particularem.

IV. 3°. Accpta ob opus turpe, sic ut datio & acceptio sit contra justitiam, non potest accipiens retinere, nec etiam (scilicet patrato opere) restituere ei, qui dedit, sed in pios usus sunt convertenda, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 2. talis autem pia causa etiam quandoque censeri potest redditio rei acceptæ donatori, quando spes affulget, fore ut donator, exemplo donatarii, sit a malo avocandus.

Quo autem jure sic accepta in pias causas expendi debeant, non ita constat: quidam dicunt jure positivo, alii jure gentium, quod ex communi hominum apprehensione colligitur.

V. 4°. Sed raro, dum ob distantiam domini, vel aliter, nimis graves expensæ faciendæ forent, ut res immediate domino restituatur; tunc enim restitutio quandoque fieri potest pauperibus vel consanguineis domini. Hic casus

fundatur in præsumpta voluntate domini, quæ facilius habetur pro bonæ fidei possessore, cum dominus illi expensas refundere teneatur; sed admodum raro pro possessore malæ fidei.

Ut autem quis prudenter in hoc casu procedat, inquirere debet:

1°. An non speretur postea melior commoditas rem immediate domino restituendi.

2°. An restitutio fieri non possit minoribus sumptibus, restituendo aliam rem æquivalentem.

3°. An sciri non possit, quid dominus, noscens ubi res sit, velit de ea fieri.

4°. An non possit forte restituere creditori domini, aliive ejus locum tenenti.

VI. Quintus casus exceptus & magis ordinarius est hic: si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, ait S. Thom. quæst. 62. art. 5. ad 3. debet homo restituere secundum quod potest, dando in eleëmosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus sive vivus, præmissâ tamen diligenti inquisitione de persona, cui restitutio facienda est.

Quandonam dominus censetur omnino ignotus?

VII. R. 1°. Dominus non censetur omnino ignotus, nisi diligens inquisitio juxta rei gravitatem sit præmissa.

Nec 2°. si dominus solum sit ignotus in particulari, sed sciatur, quod res debeatur uni ex duobus vel pluribus; hi enim, pro rata dubii, rem dividere possunt ac debent.

Nec 3°. si damnum immediate illatum sit pluribus particularibus alicujus communitatis, v. g. civitatis, parochiæ, &c. sed iisdem, quantum potest, restitutio fieri debet proportionate ad damnum, quod quisque passus est.

4°. Nec dominus censetur ignotus, si mercatores, caupones, pistores et similes promiscue defraudaverint in pondere vel mensura, aut per monopolia pretia rerum injuste auxerint, sed debent, inquantum possunt iis ipsis resarcire damna, puta vendendo in posterum minori pretio, majori pondere, &c. uti melius poterunt damna reparare.

5°. Nec est ignotus dominus, si sit defunctus, et noscatur ejus hæres: item si noscatur ille, cui dona domini obvenire debent jure successionis: in his casibus non est licitum ista bona tradere piis causis, sed illi, cui postea advenire debebunt, sumptâ cautione, ne bis cogatur restituere, si forte dominus postea compareat.

An sufficit restitutionem facere creditori ipsius, ad quem res pertinet?

R. Regulariter negativè, excepto hoc casu, quo nescitur dominus, hæres & administrator; quia creditor juste præfertur piis causis, sed non domino, hæredi & administratori ejus.

Quo jure res restituendæ, domino omnino ignoto, expendi debent in pias causas?

R. Videtur esse de jure naturali: idque probatur eodem modo, quo Num. 18. hoc probatum est de bonis inventis. Cautelæ ibidem præscriptæ hic applicari debent.

VIII. Tantùm addendum est monitum S. Caroli Borromæi parte 2. cap. 17. institutionum Confessariorum; ne sibi vel Ecclesiæ suæ aut Monasterio addicant rem, cujus dominus omnino ignoratur. Quod etiam observari vult in votorum commutatione, & dum pro pœnitentia, Confessarius Missas injungit pœnitenti. Hoc monitum satis continetur in instructionibus Confessariorum hujus Diœcesis, Num. 9. ubi habetur; "Caveant etiam "Confessarii, ne quæ commoda temporalia sibi, vel suis, "occasione confessionis à pœnitentibus aucupentur."

N. 62. DE ORDINE CREDITORUM.

I. *Præfertur aliis Dominus rei in se existentis.* II. *Vel venditor rei non soluto pretio.* III. *An res vendita maneat hypothecata.*

NON refert, cui priùs solvat debitor, quando est in statu, ut possit omnibus suis creditoribus satisfacere, sed quæstio est:

Cui priùs possit aut debeat satisfacere, si non sit in statu ut omnibus satisfaciat?

I. R. 1°. Certum est quòd res existens in sua specie, cujus dominium non acquisivit debitor, quovis modo eam habeat sive juste, ut pignus commodatum, bona fide emptum, &c. sive injuste, ut furto, rapinâ, &c. debeat reddi domino posthabitis omnibus aliis creditoribus, ita ut si dominus ignotus sit, debeat talis res expendi in pios usus, ut dictum est Num. præcedenti. Ratio est, quòd quælibet res clamet dominum suum, & debitor non possit creditoribus suis satisfacere ex bonis alienis, sed debeat ex propriis.

II. Hinc res empta, & tradita, non soluto pretio, nec assecurato per pignus vel fidejussorem, aut saltem per promissionem emptoris, est venditori præ aliis creditoribus restituenda; quia in casu non transfertur dominium istius rei, sed manet apud venditorem, ut habetur lib. 2. Instit.

tit. 1. § 41. "Venditæ verò res & traditæ non aliter emp-
"tori acquiruntur, quàm si hic venditori pretium solverit,
"vel alio modo ei satisfecerit, veluti ex promissore vel
"pignore dato......sed si is, qui vendidit, fidem emptoris
"secutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri."

Hinc sæpius pro venditore judicatum refert Stockmans decis. 93. ubi addit, quod venditor non censeatur fidem emptoris secutus, si non diu post res emptas facultatibus lapsus sit emptor; si emptor mercibus comparatis statim foro cesserit; si institor seu factor mercatoris vendiderit merces, nisi specialiter expressum sit in ejus mandato; item si venditio facta sit in nundinis.

Pari modo Ecclesia, fiscus, minor retinent jus prælationis in bona sua, quæ per procuratorem sequentum emptorum fidem credito vendita sunt.

Circa idem notat Zypæus, fidem non habitam fere per mores credi solere, si solutio mox fieri debuit; habitam si illa in diem dilata sit.

Nota ex loco juris ante citato, venditorem amittere præferentiam, quando in venditione & traditione rei translatum fuit dominium.

Similiter si res empta non sit ampliùs apud emptorem, sed vel alia, quam permutavit, vel pecunia, quam ex rei traditione accepit, venditor non habet privilegium prælationis nec etiam eam vindicare potest ab ulteriore emptore.

III. Inquirendum superest, an res vendita & tradita, non soluto pretio, sic ut venditor emptoris fidem secutus fuerit, sive contentus fuerit ejusdem nudâ promissione, non maneat saltem tacitè hypothecata venditori, ut ideo præferentiam prætendere possit?

R. In Gallia obtinet juxta art. 3. edicti Regii anno 1669, ut venditor præferatur etiam Regi quoad res immobiles, ita ut habeat jus insequendi rem venditam quocumque transierit: quoad res mobiles verò habeat præferentiam, quamdiu sunt in manu primi emptoris.

Inter Authores nostrates præferentiam negant Wiggers, Layman, De Cocq, Braunman, Zoësius, &c. quia venditor, sequens fidem emtoris, transfert dominium rei suæ. Deinde, quia illa quasi-hypotheca non fundatur in ullo jure: ergo est merè fictitia.

Lessius tamen, Sylvius, Navarrus, &c. rem illam hypothecatam manere existimant; quia sic æquitas naturalis dictat, & sensus communis ita habere videtur; venditores enim justè solent res venditas statim repetere, si emptor

solvere detrectet. Verùm ad hoc responderi potest, quòd hoc ideo sit, quia vel venditores non sunt secuti fidem emptoris, vel quia res illa magis præstò est ad manum, ut ex ea venditor indemnizationem obtineat.

Finaliter oportet pro similibus consulere locorum consuetudines, & videre, quid usus constans introduxerit.

N. 63. DE ORDINE CREDITORUM, RE NON EXTANTE.

I. *Varii creditores* II. *Et hypothecæ.* III. *Ordo restitutionis re non extante.* IV. *Præcedunt privilegiati.* V. *Tum hypothecarii.* VI. *Inter quos prævalet.* VII. *Prior tempore.* VIII. *Exceptiones.* IX. *Sequuntur creditores personales.* X. *Eorum ordo.* XI. *Priùs petens solutionem.* XII. *Quid, dum creditori uni solvit præ aliis.* XIII. *An debita ex delicto præferenda debitis ex contractu.* XIV. *Certa incertis.* XV. *Pauper diviti.*

I. CREDITORES possunt esse varii: alii merè personales, seu chirographarii, qui solam debitoris personam obligatam habent; alii hypothecarii, qui personam debitoris ejusque bona obligata habent ratione pignoris aut hypothecæ.

2°. Alii creditores vocantur privilegiati, qui præferentiam habent ex statuto legis, vel æquitate naturali: alii non sunt privilegiati, sed sibi invicem æquales.

II. Alia hypotheca est tacita, quæ nascitur ex statuto legis; alia expressa, quæ statuitur conventione contrahentium.

Deinde alia hypotheca est generalis, quâ omnia bona debitoris subjecta sunt creditori; alia specialis, quæ hanc aut illam rem in particulari obstrictam tenet.

Observa etiam, quòd pignus distinguatur ab hypotheca rigorosè sumpta; nam hypotheca est rei immobilis & non traditæ, pignus verò rei mobilis & traditæ in debiti assecurationem. His positis quæritur:

Qualis sit restituendi ordo, dum res in se non ampliùs extat?

III. R. Attendi debent locorum consuetudines, quæ sæpe variant.

IV. 1°. Debita privilegiata sunt solvenda ante omnia alia etiam hypothecata. Sunt autem hæc privilegiata, scilicet expensæ necessariæ & moderatæ funeris pro marito, uxore, liberis & aliis, quos debito tenebatur sepelire. 2°. Expensæ factæ in conficiendo testamento, illo aperiendo,

& faciendo inventario. 3°. Expensæ necessariæ ad conservanda bona debitoris, seu domûs mortuariæ.

Moribus Belgicis etiam privilegiatæ sunt mercedes famulantium, artificum & rerum, quæ ad victum vel medicinam sunt traditæ. Item salaria Medicorum, Chirurgorum, &c. quæ juxta Voëtium quoad morbum postremum computantur.

V. Post privilegiata solvi debent debita hypothecata ante alia non hypothecata, inquantùm scilicet hypotheca se extendit; quia hypotheca datur in majorem securitatem solutionis.

Circa hypothecam nota ex Zypæo & Zoësia, quòd in hac patria debeat esse constituta coram Notario & Magistratu loci, in quo hypotheca sita est, & inregistrata in registro ejusdem loci; aliàs non tribuit ullam præferentiam, nec jus reale, nisi sit hypotheca tacita, quæ sine ulla solemnitate vim habet ex lege sive jure.

Quis est ordo inter creditores hypothecarios?

VI. R. Si sint hypothecarii ejusdem temporis, attentâ naturâ rei, præfertur ille, qui habet hypothecam expressam habentibus tacitam tantùm, habens generalem habentibus particularem tantùm.

VII. Si sint diversi temporis, regulariter præfertur ille, qui tempore prior est juxta regulam 44. juris in 6. "Qui "prior est tempore, potior est jure." Idem est, sive prior hypotheca sit generalis sive specialis, sive expressa sive tacita: imò etiamsi res obligata jam esset tradita posteriori.

Hæc prioritas intelligi debet non de tempore debiti contracti aut pecuniæ mutuatæ, sed de tempore quo hypotheca solemniter constituta est. Lege 8. codicis lib. 8. tit. 18.

VIII. Dictum est "attentâ naturâ rei:" item "regula- "riter;" quia jure communi & consuetudinibus locorum varii casus excipiuntur: sic v. g. Mechliniæ, hypotheca specialis posterior præfertur priori generali, ut refert Christinæus. Vide Wiggers & De Cocq.

IX. Post creditores hypothecatos veniunt personales sive chirographarii, qui nec sunt privilegiati, nec hypothecarii, inter quos non est servandus ordo prioritatis debiti, sed omnibus pro rata secundùm proportionem debitorum & facultatum debitoris, solvendum est æquè primò.

X. Admittitur tamen inter eos hic ordo: debita ex titulo oneroso, vel ex delicto solvi debent ante debita ex titulo gratuito, v. g. promissione, voto, &c. quia in his censetur subintelligi hæc conditio, si commodè & absque injuria alterius possit adimpleri.

Hinc non licet accipere dona aut legata ab illo, qui incapax est ad solvenda debita orta ex titulo oneroso.

Hinc etiam debet hæres defuncti priùs solvere debita onerosa defuncti quàm legata etiam pia, & priusquam res voto promissas. Vota tamen priùs solvi debent quam legata: quia ligant personam voventis.

An ille creditor, qui prius solutionem petit, aliis præferri debet?

XI. R. 1°. Inter creditores ejusdem ordinis, præferendus est, qui, antequam foro cessum est, prius solutionem petit; quia vi legum præ aliis creditoribus est privilegiatus: "Vigilantibus enim jura subveniunt:" ita ut ipsi debeat totum solvi, etsi cæteris creditoribus ejusdem rationis nil superesset.

2°. Dum omnes creditores ejusdem ordinis, vel simul petunt, vel nullus eorum petit solutionem, tunc cuique pro rata debiti solvendum est, nec tunc gratificationi locus est.

3°. Dum inter creditores est ordo prælationis, posterior petendo solutionem, non acquirit præferentiam præ illis, qui ipsum ordine prælationis præcedunt.

Hinc licet quidem petere solutionem præ cæteris creditoribus, qui jus prælationis non habent, & tali petenti, *sive* juridicè sive privatim, totum solvere, etsi cæteris ejusdem ordinis nil supersit; non licet tamen fraudulenter cum præjudicio creditorum, qui jus prælationis habent, petere, nec tali petenti cum aliorum injuria solvere.

Non licet etiam debitori monere creditorem, ut petat prior solutionem, & sic totum ei solvat; quia talis monitio est fraudulenta & injuriosa aliis creditoribus, sive sint ejusdem, sive diversi ordinis.

An si debita non valens solvere omnibus creditoribus, solverit uni nullum jus præferentiæ habent, hic creditor teneatur restituere aliis creditoribus, secundùm quod ipsi cum illorum præjudicio solutum est?

XII. R. cum Daelman distinguendo: Si ille creditor bonâ fide perrexerit, potest solutum tenere, donec alii viâ juris illud repetant, utì videntur repetere posse per legem 24. lib. 42. digest. tit. 8. Ratio est, quòd illud, quod talis creditor accepit, esset proprium debitoris, nec alteri in specie obligatum.

Si verò creditor ille solutionem acceperit, sciens debitorem inde fieri impotentem solvendo aliis creditoribus, tunc videtur restitutioni obnoxius, non præcisè qui alienum accepit, sed quia sic agendo cooperatus est injustæ actioni debitoris.

Inferes, à fortiori restitutioni obnoxios esse, qui munera, & alia gratuito titulo accipiunt ab illis, quos vident inde impares fieri debitis solvendis: unde meritò damnata est a Clero Gallicano anno 1703, sequens propositio: "Etiamsi "donatario perspectum sit, bona sibi donata à quopiam, "eâ mente, ut creditores frustrentur, non tenetur restitu-"ere, nisi eam donationem suaserit vel ad eam induxerit."

Excipe quæ debitor dat uxori & liberis necessaria ad statum justè acquisitum honestè conservandum.

Item licitè retinet donatarius, si tantumdem redonet donatori, ita ut ex dono non minuatur facultas satisfaciendi creditoribus.

An debita ex delicto præferenda sunt debitis ex contractu oneroso: an contra?

XIII. R. Varii variè sentiunt: probabilior videtur sententia Sylvii, Daelman, Collet, &c. quæ asserit nullum esse ordinem inter illa debita; quia jus positivum inter illa debita nullibi distinguit, nec unum debitum ex natura sua strictiùs ligat quam aliud.

An debita certa priùs solvenda sunt quam incerta?

XIV. R. Planior iterum veriorque videtur sententia Daelman; scilicet, nullum esse ordinem inter illa debita, quovis modo accipiantur, unde debitum, de quo certò constat, sed cujus dominus ignoratur, æqualiter cum cæteris debitis solvi debet, expendendo illud in pias causas. Si autem incertum sit, an quidquam debeatur certæ personæ, tunc pro rata dubii solvere oportet.

Si tamen spes esset, fore ut aliquando redeat melior fortuna debitori, & simul ut dominus incertus postea compareat, tunc posset debitum illius postponi.

An creditor pauper præferendus est diviti?

XV. R. Negativè; quia justitia commutativa personam non respicit, sed æqualitatem rei ad rem. Aliud foret, si creditor pauper esset in tali necessitate, ut charitas eum præferendum dictaret.

N. 64. DE JUSTIS CAUSIS DIFFERENDI RESTITUTIONEM.

I. *Causæ differendi restitutionem sunt triplices.*

Prænotandum 1°. sub restitutione hìc comprehendi solutionem, compensationem damni & alias satisfactiones.

2°. Causas excusantes quandoque valere pro toto, quandoque pro parte restitutionis tantùm, quandoque pro modico tempore, quandoque pro longiori.

3°. Faciliùs dominum consentire in dilationem debitorum ex contractu, quàm ex delicto.

4°. Aliquam causam, licèt non excuset à toto, posse excusare à tanto.

5°. Differentem ex justa causa restitutionem debere habere animum paratum & efficacem voluntatem restituendi.

Quænam igitur sunt causæ, ratione quarum dilatio restitutionis non est peccaminosa?

I. R. Sunt plurimæ, quæ omnes reduci possunt ad tres quasi classes:

Prima, est consensus creditoris liber & validus, sive ille sit explicitus sive implicitus, modò sufficienter innotescat.

Secunda, est voluntas creditoris rationabiliter præsumpta.

Tertia, est impotentia debitoris non perpetua, sive sit physica, sive moralis. De his ordine agemus.

N. 65. DE CONSENSU CREDITORIS.

I. *Prima gravis necessitas debitoris.* II. *Vel periculum animæ.* III. *Detrimentum proprium.* IV. *Aut abusus creditoris.* V. *Lucrum cessans aliquando non debet.* VI. *Aliquando debet.*

QUANDONAM censetur creditor consentire in dilationem restitutionis?

I. R. 1°. Quando debitor in se vel in suis, quos sustentare debet, patitur gravem necessitatem, de qua lib. 50. digest. regula juris 173. ait: "In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant."

Hæc intellige, si creditor etiam non sit in necessitate pari vel majori; quia tunc esset rationabiliter invitus circa dilationem, cùm juxta ordinem charitatis sibi potiùs cæteris paribus consulere, quàm alteri debeat.

Dicitur "in gravi;" quia in necessitate extrema omnia ad usum necessaria sunt communia.

II. 2°. Dum imminet gravis necessitas spiritualis debitori, vel suis; modò illud periculum non oriatur ex malitia, sed ex fragilitate, aut pusillanimitate, & non suppetat alia via commoda istud periculum avertendi: ita v. g. differre licet debitori, si alioquin ejus filiæ se prostituerent.

III. 3°. Si debitor alioquin pateretur magnum detrimentum in rebus propriis non debitis; modò iterum creditor

non patiatur simile detrimentum, & debitor possit postea restituere sine tali damno, quale in casu deberet subire.

Nomine detrimenti hìc intelligitur damnum, non tantùm in bonis fortunæ, sed etiam in naturalibus, fama, honore, &c.

4°. Si alioquin debitor deberet excidere à statu legitimè acquisito. Verùm hìc variæ requiruntur conditiones: 1°. Ut creditor non subeat simile periculum: 2°. Ut speretur moraliter restitutio brevì facienda sine tali jactura: 3°. Ut debitor suâ culpâ non conjecerit sese in hoc periculum.

Hinc juxta Sylvium non excusatur ille, qui ludis & ebrietatibus in hanc necessitatem lapsus est; nec ille, qui furtis, usuris, aliove modo injusto, statum suum auxit.

IV. 5°. Dum dominus prævidetur re suâ abusurus in sui, vel aliorum perniciem temporalem vel spiritualem. Vide Num. 61.

An est sufficiens causa differendi, si creditor non moneat debitorem?

R. Negativè: quia tempus ipsum aut res restituenda satis monet pro ipso creditore: deinde fortè creditor non reflectit ad debitum, aut ignorat ubi debitor sit, et ideo non monet: fortè tacet ex metu reverentiali, aut timore alterius mali vel incommodi.

An ille, qui ex justa causa restitutionem differt, teneatur de lucro cessante vel damno emergente, quod creditor interea patitur?

V. R. Certò non tenetur, si causa dilationis sit propter ipsum creditorem, v. g. ne re suâ abutatur, &c. quia tunc debitor non est causa, quòd restitutio non fiat, sed ipse creditor.

Eodem modo debitor ex contractu vel ex re accepta tantùm, qui non fuit in mora culpabili, non tenetur; quia non fuit injusta causa damni emergentis aut lucri cessantis.

VI. Debitor ex delicto videtur semper teneri; quia illud lucrum cessans aut damnum emergens verè sequitur ex injuria illata, & eatenùs voluntarium est, licèt hìc et nunc detur justa causa non restituendi; effectus enim potest esse voluntarius respectu voluntatis præteritæ, licet non sit voluntarius respectu voluntatis præsentis, ut dictum est Num. 28. "de Actibus Humanis."

N. 66. DE DILATIONE EX PRÆSUMPTA VOLUNTATE CREDITORIS.

I. *Præsumpta voluntas creditoris ob amicitiam.* II. *Aut publicam authoritatem.* III. *Ut in cessione fori.* IV. *Quid præstat, dum legitime impetratur.* V. *Privilegium Clericorum.*

QUANDONAM licitè differtur restitutio ob præsumptam voluntatem creditoris?

I. R. 1°. Si ex quibusdam exterioribus signis fundatè colligatur, creditorem esse contentum, ut restitutio differatur, v. g. ex benignitate, amicitia, vel alio speciali affectu.

Item dum præsumi potest, quòd creditor foret contentus, si sciret rationes, ob quas debitor restitutionem differt.

Hæc præsumptio nil prodest, dum creditor solutionem urget: sed tunc vel satisfaciendum, vel dilatio petenda est.

II. 2°. Si ex aliqua causa constet, quòd creditor non sit rationabiliter invitus circa dilationem, eò quòd sufficiens causa dilationem faciat esse justam, vel quia authoritas publica ob rationabilem causam supplet consensum creditoris, utì fit in literis moratoriis, gallicè "lettres de re-"tardement," quales etiam sunt "literæ quinquennales" vel conformitatis, de quibus De Cocq tract. 1. cap. 8. sect. 6.

Circa hoc dilationis beneficium observandum est, illud quidem valere in conscientia, sit si debitè obtentum, non tamen plus quàm verba sonant, nec aliter quàm secundum rationem petitæ dilationis: præterea debet istud beneficium obtineri sine obreptione & subreptione: nec debitor eo uti potest in damnum creditorum, bona sua occultando, amovendo, &c.

Hâc occasione quæritur: Quid dicendum sit de cessione bonorum seu fori, gallicè "faire faillite?"

III. R. Cessio fori est, cùm debitor omnibus suis debitis solvendis impar, quæ ipsi supersunt bona creditoribus cedit seu dimittit.

Id autem dupliciter fieri potest: 1°. Impetrando juxta leges & jura beneficium cessionis fori, & sincerè agendo coram judice. 2°. Illud beneficium non impetrando.

Qui sine impetratione cedit foro, hoc est, vel per fugam, vel per executionem judicialem, ex hac parte nullo modo excusatur à restitutione aut dilatione.

Quid præstat beneficium cessionis fori, dum est legitime impetratum?

IV. R. Hæc duo: 1°. Quòd debitor propter debita non possit incarcerari; 2°. Quòd licite retinere possit ea, quæ judex ei assignat, ne ipse vel sui egeant; nec præter hæc possit quis illum pro debitis aggredi.

Circa hoc statutum est à Carolo V. 20. Octob. 1541. ut qui literas ad cessionem faciendam impetrârunt, eas infra mensem in judicio offerant, cum synopsi jurata omnium bonorum, eademque derelinquant creditoribus dimissâ possessione, &c. Item quòd literæ cessionis debeant committi judici, ut designet, quænam cedenti retinere liceat. Si ad meliorem fortunam redierit, debet creditoribus integre satisfacere: si bona in fraudem creditorum alienaverit, viâ regiâ per leges revocantur.

Hinc graviter illicitum est, abscondere aliqua bona, & alia insuper à judice assignata accipere: ut constat ulteriùs ex judicio Facultatis Theologicæ Lovaniensis dato 4 Maii 1657, & confirmato in Synodo Namurcensi 1659. Item graviter peccant, qui, cùm vident sese foro cessuros, plurima ab aliis credito vel mutuo accipiunt: quia committitur aperta fraus vel dolus mâlus.

Tenetur etiam cedens foro industriâ, labore et parcimoniâ curare, ut acquirat, unde creditoribus satisfacere possit; quia debita non sunt extincta, ut vulgò plures putant, sed tantùm sunt dilata.

Neque excusatur, licet cum creditoribus ante composuerit de solvendo v. g. 33 vol 40 in 100; quia creditores inviti & coacti componendo accipiunt quantùm possunt; non autem renuntiant juri suo, quod habent ad alteram debitorum partem.

An debitor, si clanculò cedat foro, non obtento beneficio cessionis, potest sibi quædam servare?

R. Daelman: Nil potest sibi reservare ex illis, quæ injuste aut fraudulenter acquisivit; sed facta cessione privata, licite sibi reservat necessaria ad tenuiter vivendum. Vide Daelman hoc loco quæst. 5. observ. ultimâ.

V. Finaliter nota, Clericos, etiam prima tonsura tantùm initiatos, non conjugatos, gaudentes privilegio fori, propter debita incarcerari non posse, licet foro non cesserint; sed statuit Gregor. IX. lib. 3. decret. tit. 23. cap. 3. Clericum

conveniri non posse, nisi inquantùm solvere valet, modò idoneam cautionem, id est, juramentum præstet, se soluturum, cum ad pinguiorem fortunam devenerit.

Hoc privilegium concessum est in favorem totius Ordinis Clericalis; cui proinde particularis Clericus valide renuntiare non potest, ut observant Canonistæ.

Hoc privilegiò non gaudent Clerici, qui in fraudem creditorum bona sua dissipant, vel fraudulenter se gesserunt pro Laïcis, sicuti generatim fraus destruit effectum privilegii qualiscumque.

N. 67. DE DILATIONE OB IMPOTENTIAM NON PERPETUAM DEBITORIS.

I. *Impotentia.* II. *Physica.* III. *Et moralis.* IV. *Non debet fieri per bona altioris ordinis.* V. *Nisi raro.* VI. *Altiora per inferiora compensantur.* VII. *Monitum.*

QUÆNAM est impotentia, ob quam debitor licite differt restitutionem?

I. R. Est impotentia non perpetua, physica, vel moralis.

II. Impotentia physica est impossibilitas restitutionis statim faciendæ, undecumque oriatur.

III. Moralis est, v. g. inculpabilis ignorantia debiti, item extrema necessitas, quæ excusat, quamdiu durat, nisi fortè debitor per ipsam rei ablationem creditorem in extremam necessitatem conjecerit.

Dicitur "non perpetua," quia impotentia perpetua non solùm est causa differendi, sed simpliciter à restitutione excusat.

Impotentia moralis aliquando adesse dicitur, dum quis non potest restituere nisi per bona alterius ordinis; hinc quæritur:

Utrùm excusetur à restitutione, qui non potest restituere nisi per bona ordinis superioris?

R. Prænotandum, quòd bonorum naturalium sit triplex ordo: in supremo sunt vita, membra, sanitas, ingenium, &c. in medio sunt honor & fama: in infimo sunt bona fortunæ, divitiæ & res temporales pecuniâ æstimabiles.

IV. Hoc notato, respondetur debitorem non teneri restituere cum jactura bonorum superioris ordinis, quando illa judicio prudentum sunt longè majus detrimentum,

quàm damnum compensandum. Sic per se loquendo non teneris cum jactura propriæ vitæ restituere famam tui æqualis, nec debes vendere libertatem, ut solvas debita, ut ait S. Thomas 2. 2. quæstione ultima art 6. ad 3. "Propter pecuniam....persona liberi hominis secundùm "jura civilia non obligatur, sed solùm res; quia persona "liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ."

V. Sed contingere potest, quòd bonum altioris ordinis amittendum judicio prudentum minùs, vel saltem non magis æstimetur, quàm bonum inferioris ordinis restituendum: sic plura millia aureorum pluris æstimantur, quàm levis infirmitas, aut fama vilis personæ; hoc ergo casu restitutio boni inferioris ordinis fieri debet cum dispendio boni altioris ordinis, alioquin creditor esset rationabiliter invitus.

An si quis restituere non possit bonum altioris ordinis per æquale, teneatur restituere per bona inferioris, si possit?

VI. R. Affirmativè, & hæc est aperta sententia S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2 ad 1. dicentis: "Quando id, "quod ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, "debet fieri compensatio, qualis possibilis est; putà cum "aliquis alicui abstulit membrum, debet recompensare "vel in pecunia vel in aliquo honore, considerata condi-"tione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri. "(Et ad 2.) Si non possit famam restituere, debet ei "aliter recompensare."

Ratio idem dictat: licèt enim vita hominis, membra, fama, &c. sint supra omne pretium, & ita non æstimabilia pretio secundum se; in ordine tamen ad usus humanos pretio æstimari possunt; sic homo potest libertatem vendere, vitam & membra pro stipendio periculo exponere; a fortiori ergo compensari potest & debet injusta ablatio membri, famæ, &c. quâ homo ab usu impeditur, & insuper mœrore affligitur.

VII. Non debet tamen Confessarius promiscuè compensationem illam injungere, quia honorati & nobiles solent eam respicere ut nimis vilem, & eis magis satisfit per petitionem veniæ aut exhibitionem honoris. Pauperiores facilè talem compensationem admittunt: unde eis fieri debet juxta arbitrium viri prudentis, aut conventionem partis.

N. 68. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESTITUTIONE.

I. *Causæ excusantes à restitutione.* II. *Interitus rei.* III. *Præscriptio.* IV. *Impotentia perpetua.* V. *Principali restituente.* VI. *Solutio creditori creditoris.* VII. *Remissio creditoris.* VIII. *Compositio.* IX. *Authoritas judicis.* X. *Compositio cum Pontifice.* XI. *Non excommunicatio creditoris.*

QUÆNAM sunt causæ, quæ excusant à restitutione, obligationem ejus tollendo?

I. R. Sunt præcipuè novem: quinque se tenent ex parte debitoris, & quatuor ex parte creditoris.

II. Ex parte debitoris sunt quinque sequentes: prima, "interitus rei," dum scilicet obligatus solo titulo rei acceptæ desinit habere rem alterius in se & in æquivalenti. Si tamen res debeatur ex contractu, interitus rei non semper excusat. Vide Num. 42.

III. Secunda est "legitima præscriptio," juxta dicta *Num.* 30.

IV. Tertia est "debitoris impotentia," scilicet ratione suî perpetua; ad impossibile enim nemo tenetur.

V. Quarta, dum principalis inter obligatos in solidum restituit, liberatur secundarius, ut dicetur agendo de cooperantibus.

VI. Quinta, solutio facta creditori creditoris; modò debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii creditores priores privilegiati, aut hypothecati. Id tamen non licet creditore invito, nec in foro externo admitteretur, nisi res, quæ restituitur, fuerit obligata secundo creditori, vel causâ debitoris creditor illi alteri sit factus debitor; ut si gerens ejus negotia mutuum acceperit.

Quænam sunt causæ ex parte creditoris excusantes debitorem à restitutione, obligationem ejus tollendo?

VII. R. Prima est remissio creditoris, seu ejus, cujus interest, dum habet conditiones requisitas.

Sunt autem hæ quatuor: Prima, ut sit vera remissio debiti, & non merus consensus in dilationem; hinc compositio cum illo, qui foro cedit, non est remissio, ut dictum est Num. 66.

Secunda, ut remittens possit validè debitum condonare, hoc est, debet simul habere dominium & administrationem rei, quam remittit: unde non valet remissio facta à pupillo,

Religioso, procuratore, &c. nisi habeant id specialiter in mandatis.

Tertia, ut remissio sit spontanea & liberalis: unde non valet illa, quæ fit ex metu, ignorantia, fraude, &c. ut si dicat debitor: non solvam tibi, nisi dimidium vel partem dimittas; quod non raro contingit in potentibus debitoribus. Idem dicendum ait La Croix, si creditor partem remittat, quia cogitur subire magnas molestias in petendo, solicitando, diu expectando, &c. item si debitor finxerit se longè pauperiorem, quàm sit, aut aliena falsa motiva attulerit.

Quarta, ut remissio non sit jure irrita: sic Trid. Sess. 24. cap. 12. "de Reform." irritam facit remissionem, quam attentarent facere præsentes in officio chori, ut absentes reciperent distributionem, etiam in casu, ubi distributio præsentibus accrescit.

VIII. Secunda est libera & spontanea compositio qua creditor cum debitore dubiæ fortunæ liberè omnino convenit de minori summa.

Nota, hanc compositionem non esse similem illi, quam faciunt communiter creditores cum illis, qui foro cedunt; sed esse partialem debiti remissionem; unde requirit easdem conditiones, ac ipsa remissio: nec tenetur debitor licèt postea ad pinguiorem fortunam devenerit, reliquum summæ debitæ supplere.

IX. Tertia est "authoritas judicis," seu remissio ex legitima causa authoritate judicis debitori facta.

Debet ad hoc judex præter necessariam authoritatem habere legitimam causam, scilicet vel ex delicto saltem juridicè existente, vel ex exigentia boni communis.

2°. Judex non potest inniti falsæ præsumptioni aut probationi: hinc illicitum est tenere id, quod quis sibi per sententiam erroneam aut aliunde injustam adjudicatum novit; quia sententia non transfert dominium, sed tantùm declarat secundùm allegata & probata, cui res competat.

3°. Non sufficit judicem aut jus aliquid dumtaxat permittere aut tolerare, v. g. denegando actionem, sed debet esse vera remissio ipsius debiti: hinc non est judicialis remissio, quando excommunicato non datur actio petendi debitum, nec quando emptori minùs quàm ad dimidium decepto, non datur actio, nec quando actio negatur sub præscriptione Carolina, &c.

X. Tertia est compositio cum summo Pontifice quoad bona, quorum incertus est dominus, & incerta est quanti-

tas debiti, ut diximus N. 54. in fine. Pontifex id potest, quatenùs habet summam potestatem in bona piis causis destinata, quorum aliqua ad hunc usum applicat, reliqua debitori saltem tanquam pauperi relinquit, supplens ex thesauro Ecclesiæ, quod creditori ratione partis debitori relictæ obvenire potuisset.

Circa hanc compositionem notandum, quòd si dominus seu creditor postea compareat, debeat ipsi reddi residuum, vel ex quo alter factus est ditior; quia illa compositio non fit cum præjudicio creditoris innocentis, ut notat De Cocq.

An debitor liberatur à restitutione, si creditor ejus excommunicetur?

XI. R. Negativè, quia licèt jura negent excommunicato actionem debitum juridicè repetendi, privatim tamen illud repetere potest, debetque ipsi solvi; quia non privatur communione fidelium utili & necessariâ.

Pro causa à restitutione excusante à pluribus additur "compensatio:" sed quid de ea sit, dicetur ubi de furto.

An debitor, qui immemor sui debiti, tantumdem donat suo creditori, liberatur à debito?

R. Per se loquendo negativè; quia donum gratuitum & debitum ex justitia inter se pugnant.

Dicitur "per se loquendo;" quia si ex signis aut conjecturis colligatur, quòd illud velit habere pro soluto, liberabitur: sic qui obligatur ad dandum piis causis, v. g. beneficiatus omittens horas canonicas, si ille immemor sui debiti det eleëmosynas, censetur liberatus propter virtualem intentionem omnium dantium eleëmosynas, satisfaciendi cuivis obligationi ex peccato vel negligentia contractæ.

N. 69. AN INGRESSUS IN RELIGIONEM TOLLAT OBLIGATIONEM RESTITUTIONIS?

I. *Debitis gravatus illicite profitetur.* II. *Exceptiones.* III. *Professio est valida.* IV. *Non tamen excusat à restitutione.*

I. RESP. 1°. Debitis gravatus per se loquendo illicitè Religionem ingreditur, si per hoc restituendo impotens fiat; quia solvere debita, est opus præcepti, & ingredi Religionem, est tantùm opus consilii.

II. 2°. Licitè Religionem ingredi potest, si manens in sæculo equidem nunquam speratur futurus potens, ut aliqualiter creditoribus satisfaciat; item si ex diuturniori

mora in sæculo oriretur ipsi grave periculum salutis; item si monasterium in se assumat onus solvendi debita; & tandem si debitor ipse in monasterio æquè potens maneat ad solvendum debita, quàm in sæculo.

III. 3°. Debitis gravatus, licèt illicité, validè tamen profitetur; quia votum illud est de meliori bono, quantùm est ex parte materiæ, licèt non sit tale ex parte voventis: Sixtus V. quidem anno 1587. Bullâ Cum de omnibus, prohibuerat & irritam fecerat professionem ære alieno obstrictorum; sed Clemens VIII. anno 1602, sustulit irritationem Bullæ Sixtinæ, relinquens tamen in suo vigore prohibitiones & pœnas in Sixtina taxatas.

An debitor Religionem professus absolvitur ab obligatione restituendi?

IV. R. Negativè, nisi aliunde adsit impotentia aut alia justa causa.

Ad quid ergo tenetur, qui debitis gravatus Religionem professus est?

R. Tenetur, quantùm in ipso est, curare, ut per opera statum suum non dedecentia debitis satisfaciat, & si ille debitor quædam contulerit monasterio, hæc subjiciuntur oneri restitutionis; quia successio transit cum onere.

Eodem modo, si huic Religioso obveniant quædam legata, dona, stipendia Missarum &c. tenetur ex his satisfacere creditoribus, accedente saltem licentiâ Superioris, quæ meritò præsumitur quoad ea, quæ conceduntur ad honestas recreationes.

An si ipse Religiosus non possit restituere, ad id teneatur monasterium loco ipsius?

R. Dist. Si scienter talem debitorem admiserit, tenetur satisfacere intantùm, quantùm ipse in sæculo manendo sperabatur aut videbatur satisfacturus; quia eatenus recipientes injustè cooperati sunt illicitæ professioni, ac adeo damno istorum creditorum.

Si autem ignoraverit debitum, non tenetur pro eo solvere, sed ex charitate & æquitate concedere debet isti professo, ut honestâ arte, quantùm disciplina monastica permittit, procuret, ut debita solvat.

N. 70. DE COOPERANTIBUS INJUSTITIÆ.

S. Thom. 2. 2. quæst. 62 art. 7.

I. *Cooperans peccat.* II. *Et tenetur restituere.* III. *Novem modi cooperandi.* IV. *Dividuntur in positivos & negativos.* V. *Directos & indirectos.* VI. *Ut cooperans teneatur, requiritur culpa.* VII. *Damnum secutum.* VIII. *Et influxus in damnum.*

TRACTATUS hic de cooperantibus admodum necessarius est, non tantùm pro materia injustitiæ, sed etiam pro omni specie peccatorum, prout agendo "de Actibus "Humanis" Num. 131. insinuatum est.

Quænam oriuntur ex cooperatione injustitiæ ?

I. R. 1°. Peccatum injustitiæ, quod aggravatur ratione scandali in sociis cooperantibus, ratione gravitatis injustitiæ, & ratione modi cooperandi.

II. 2°. Onus restitutionis titulo injustæ acceptionis, excepto participante tantùm in re bonâ fide : hinc damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 39. "Qui "alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum "tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati."

Quot sunt modi cooperandi injustitiæ ?

III. R. Sunt novem principales, sub quibus cæteri intelliguntur, expressi his versiculis:

"Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
"Participans : mutus, non obstans, non manifestans.'

Quomodo hi novem modi dividuntur ?

IV. R. 1°. Sex primi modi dicuntur positivi ex eo, quòd influant in injustitiam per positionem alicujus actûs aut quasi-actûs. Tres reliqui vocantur "negativi" seu "privativi;" quia influunt per negationem actûs ex justitia debiti.

V. 2°. Alii dicuntur "directi," alii "indirecti :" directè censetur in damnum influere, qui expresso actu id vult; ut mandans, consulens, consentiens, palpans, &c. & etiam sæpius receptans & participans : unde modi directi cum positivis sæpe confunduntur. Indirectè influere censetur, qui influendo damnum expressè non vult : & hinc modi indirecti cum negativis confundi possunt.

Quid requiritur, ut quis tanquam cooperans ad restitutionem teneatur ?

VI. R. 1°. Requiritur culpa seu injuria formalis contra patientem damnum; id enim requiritur, ut quis teneatur titulo injustæ acceptiònis, juxta Num. 42.

Hinc quidquid cooperantem excusat ab omni culpa, ut est ignorantia vel inadvertentia inculpabilis, etiam ipsum liberat ab onere restitutionis.

Excipitur participans in re tantùm bonâ fide, qui sine culpa teneri potest titulo rei acceptæ.

VII. 2°. Requiritur damnum effectu secutum, ut dictum est Num. 41.

VIII. 3°. Requiritur influxus in damnum, seu ut cooperans sit causa damni: De quo sit:

N. 71. QUO SENSU COOPERANS DEBEAT ESSE CAUSA DAMNI?

I. *Non quidem physicus sed moralis.* II. *Talis esse potest etsi damnum equidem fuisset positum.* III. *Signa cooperationis.* IV. *Cooperatio dubia.*

I. RESP. hoc sensu: Quòd sua actione debeat verè influxisse in damnum, non quidem physicè, sed moraliter: positivè tamen, ut teneatur uno ex sex primis modis, sed pro tribus ultimis sufficit privativè seu damnum non impediendo, quod ex justitia impedire debebat.

Nota, idem esse influere in damnum, ut fiat, & influere in damnum, ut non reparetur, seu ut restitutio non perficiatur.

Ex principio proposito sequitur, quòd si fur aut alius injustus damnificator, ex mandato, consilio, consensu, &c. v. g. Petri, nullatenus fuerit motus ad inferendum damnum, nec moveatur, ut illatum non restituat, Petrus non teneatur ad restitutionem, etiamsi fur damnum mandatum, consultum, &c. intulerit; quia licet Petrus sic mandando, &c. affectu peccârit contra justitiam, non tamen est vera causa damni; quia influxus non fuit efficax.

An, ut quis sit causa efficax damni, requiritur, ut sine ejus influxu damnum non fuisset positum?

II. R. Negativè; quia causa efficax est, ex qua physice vel moraliter effectus sequitur, sive ille effectus aliunde causatus fuisset, sive non; & ita si Joannes moveat Petrum ad inferendum damnum, teneatur ad restitutionem ut cooperans, licet certissime constet, quòd eodem modo Paulus movisset Petrum, casu quo Joannes id non fecisset.

Quid, si Petrus absque ulla causa cooperante idem damnum intulisset, eò quòd jam ex se promptus & paratus esset ad illud?

R. Veteres quidam docuerunt, quòd tunc cooperans influit tantùm partialiter, adeoque tantùm pro parte teneretur restituere: verùm nunc communis et vera sententia docet, quòd teneatur ad totum, si Petrus verè motus fuerit ex cooperatione Joannis ad celeriùs, faciliùs, animosiùs, &c. idem damnum inferendum.

Aliud esset, si malefactor omnimodè paratus inferre damnum, per illam causam cooperantem nullo modo motus fuisset.

Obj. I. Talis cooperans non est efficax causa damni; quia malefactor ex seipso jam erat causa efficacissima, ut supponitur: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia duæ causæ morales possunt simul concurrere ad eundem effectum, & duo motiva totalia possunt elicere eandem actionem.

Obj. II. Talis cooperans non influit nisi in modum furti accidentalem, v. g. ut citiùs, animosius, &c. furtum fiat: ergo non debet plus restituere quàm quousque modus fuit damnificativus, neque est causa efficax substantiæ actionis, sed tantùm modi seu circumstantiæ actionis.

R. Neg. assump. nam talis cooperans non consulit, v. g. modum furti abstractim, sed furtum sub tali modo: adeoque non tantum in modum, sed etiam in substantiam actionis influit.

Undenam colligitur, cooperantem verè influxisse in damnum, sive fuisse causam efficacem damni?

III. R. In primis si utatur mediis à cooperante suggestis: item si fecerit aliqua, quæ cooperans suggessit, quæque aliàs non facilè fecisset; & generatim præsumi debet, cooperationem fuisse efficacem, quando nata erat movere animum executoris, & damnum secutum est, nisi ex circumstantiis eruatur contrarium.

Ad quid tenetur, qui dubitat, an efficaciter in damnum influxerit?

IV. R. Si dubium sit fundatum, tenetur ad restitutionem pro rata dubii, ut dictum est Num. 54.

Quid, si plures eidem damno cooperati sunt, sed dubitetur, quis fuerit causa efficax?

R. Si cooperati sint ex mutua conspiratione, singuli tenentur suo ordine in solidum, deficientibus aliis.

Si sine mutua conspiratione damnum illatum sit, singuli tenentur secundùm ratam dubii, ordinem cooperandi & influxum, ut ex infra dicendis magis patebit.

N. 72. DE MANDANTE.

I. *Mandans est qui movet alium.* II. *Mandato expresso vel tacito.* III. *In sui gratiam.* IV. *Tenetur de damno præviso.* V. *Quid de damno per errorem causato.* VI. *Aut quod patitur mandatarius.* VII. *Quid si scias tuo nomine damnum fieri,* VIII. *Vel ratum habeas.*

QUISNAM ad restitutionem tenetur tanquam mandans?

I. R. Ille, qui suo mandato sive expresso sive tacito movet alterum ad damnum inferendum in sui, hoc est, mandantis gratiam, sive mandans id faciat rogando sive jubendo, sive authoritate polleat sive non.

II. Dicitur: "sive expresso sive tacito;" quia non requiritur, ut mandans expressis verbis actionem damnificativam jusserit, sed satis est, quod aliquo signo manifestaverit suam voluntatem, ex qua alter moveatur, ut in gratiam mandantis damnificet proximum, sive mandans illud damnum explicitè intenderit, sive tantum implicitè in signo manifestativo suæ voluntatis, ut si dominus suis significet sibi gratum fore, si tale furtum committant, aut coram iis conqueratur, quòd nemo factam sibi injuriam ulciscatur; quâ ratione occisio S. Thom. Cantuariensis imputata est Henrico II. Angliæ Regi conquerenti coram Aulicis suis, quòd pacem in Regno suo cum uno Sacerdote habere non posset.

III. Dicitur: "in sui gratiam," & per hoc mandans distinguitur à consulente aliisque cooperantibus.

Additur 3º. "sive authoritate polleat sive non;" quia ut quis teneatur tanquam mandans, non debet esse superior mandatarii, sed sufficit, quod pretio, precibus, dolo vel minis alium moverit ad damnum suo nomine inferendum.

Quantò magis tamen mandans authoritate pollet in mandatarium, tantò magis & facilius solet mandato præsertim tacito alterum movere ad damnum in suî gratiam inferendum.

An mandans tenetur aliquando de damno, quod non mandavit?

IV. R. Affirmativè: tenetur enim de omni damno ex mandato secuto, quando id moraliter sive humano modo potuit prævidere vel timere secuturum: hinc tenetur herus de morte Petri, si jusserit servo mutilare Petrum, & servus

mutilando Petrum occidat. Item si jubeat succendi horreum Petri & simul comburatur horreum vicini, cujus periculum prævidere poterat, tenetur de utroque incendio. Si mandatarius ex militia sua excedat limites mandati, inferatque damnum, quod prævidere non potuit, de damno, quod excedendo infert, non tenetur mandans: v. g. si mandans jusserit incendere sylvam Petri, & mandatarius Petrum occidat; cum absque occisione posset incendere, mandatarius tenetur de homicidio, non mandans.

Quid, si mandatarius jussus occidere Petrum, per errorem occidat Paulum?

V. R. Aliqui dicunt mandantem teneri de morte Pauli; quia mors Pauli efficaciter sequitur ex mandato; verum hoc alii negant; quia mors Pauli non fuit mandanti voluntaria, cum supponatur, quod illam moraliter non potuerit prævidere.

An mandans tenetur restituere damna, quæ obveniunt mandatario occasione executionis mandati: v. g. jussus est occidere Petrum, qui seipsum defendens mandatarium graviter lædit vel occidit?

VI. R. Si mandatarius liberè & scienter mandatum periculosum acceptaverit, præcipuè pacto pretio, tunc mandans ad nil istorum obligatur; quia scienti & volenti non fit injuria, ut explicatur Num. 37.

Quod si alii patiantur damna, quæ mandatarius non censetur vel non potuit validè condonare, ut si ob crimen mandatarii ejus parentum bona confiscentur, mandans parentibus ad restitutionem tenetur.

Item si mandatarius fuerit a mandante deceptus, fraude inductus, vel moraliter coactus ad acceptandum mandatum periculosum, mandans ei restituere tenebitur.

An tenetur ad restitutionem ut mandans, qui scit alium paratum esse ad damnum suo nomine inferendum & illum non impedit, v. g. cohibendo vel significando quod illud damnum nullatenus velit?

VII. R. Dist. Si ille executor sciat suum propositum esse cognitum isti, cujus gratia damnum vult inferre & iste non contradicat nec obstet, ut potest, tenetur de damno, si non ut "mandans" saltem ut "consentiens;" quia tacito consensu & approbatione censetur alter motus ad damnum inferendum.

Si verò executor nesciat suum propositum alteri esse cognitum, & alter non teneatur illud damnum ex justitia impedire, non tenebitur iste alter ad restitutionem damni;

quia non habetur influxus moralis: quòd si teneatur ex justitia impedire, & non impediat, tenebitur tanquam "non obstans."

An qui approbat damnum alteri illatum, vel illud ratum habet suo nomine factum, tenetur ad restitutionem?

VIII. R. Non tenetur saltem ut "mandans," si neque expressè, neque tacitè mandaverit; nam approbatio vel ratihabitio non est causa efficax damni jam positi.

Dictum est: "saltem ut mandans," quia qui sic ratum habet damnum suo nomine factum, potest esse causa efficax, quod damnificator non restituat, vel aliud adhuc damnum inferat: proinde talis potest teneri ut consulens, consentiens, &c.

Obj. Regula 10. juris in 6. habet: Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari: ergo, &c.

R. Regula hæc præsertim intelligitur de contractibus, qui sequenti ratihabitione confirmantur, & quasi de novo ineuntur.

2°. Ratihabitio comparatur mandato, quoad culpam & pœnas in jure expressas.

N. 73. QUANDONAM MANDANS A RESTITUTIONE LIBER EST?

I. *Causæ excusantes mandantem.* II. *Revocato mandato, potest adhuc teneri ut consulens,* III. *Vel non obstans.*

I. RESP. Quando ejus mandatum non habet tres conditiones Num. 70. requisitas, scilicet 1°. dum excusatur ab omni injuria formali ob ignorantiam, vel inadvertentiam invincibilem; 2°. dum damnum effectu non sequitur, & 3°. dum mandatum ejus nullo modo influxit in damnum.

Ad videndum autem, utrum mandatum in damnum influxerit, oportet attendere præcipue hæc tria: 1°. vim seu gravitatem mandati, 2°. modum & circumstantias mandandi, & 3°. mentem seu animum mandatarii

Quoad animum mandatarii notandum, an motus fuerit mandato, necne; sic potuit, v. g. nudiustertius motus fuisse mandato, & hodie motu proprio mandatum exequi: & contra potest nudiustertius motus non fuisse, & hodie mandato moveri, ac vi illius damnum inferre: consequenter teneretur mandans in hoc posteriori casu, non in priori; hæc etiam in aliis causis positivis locum habent.

An mandans revocando suum mandatum semper liberatur a restitutione?

II. R. Si revocatio sit seria & efficax & innotuerit mandatario cæterisque ei subordinatis ante damni illationem, tunc mandans non tenetur amplius ut "mandans." Vide quæ sunt Num. 28. "de Act. Humanis."

Dictum est: non tenetur amplius ut "mandans," quia potest adhuc teneri sub alia qualitate: ac 1°. quidem sub qualitate "consulentis," si nimirum mandando, simul motiva, media vel modos suggesserit mandatario, aut mandato suo animum mandatarii corruperit, ita ut ille ex damnificationis præmeditatione, media vel modos excogitaverit stante mandato, tunc, si vi illorum mandatarius adhuc procedat ad damnificationem, mandans tenebitur, qua "consulens," ad restitutionem etiam revocato mandato.

III. 2°. Teneri potest sub qualitate "non obstantis," idque ex duabus causis: 1°. quia ex iniquo illo mandato contraxit mandans obligationem ex justitia impediendi omne damnum proximo ex mandato imminens: 2°. si mandans sit superior mandatario aut aliter, ex officio teneatur damnum impedire.

Quid si mandatarium deterrere & impedire non possit?

R. Tenetur tunc monere damnificandum, ut sibi consulat, etiam cum suo damno æquali, si sit spes ita damnum impediendi.

N. 74. DE CONSULENTE.

I. *Consulens.* II. *Consulentes doctrinaliter,* III. *Et consulentes apertè malum.* IV. *Aperiens tantùm opinionem suam non tenetur.* V. *Tenetur docens ex ignorantia culpabili.* VI. *Quid consilium fraudulentum.*

QUISNAM hìc intelligitur nomine consulentis?

I. R. Ille, qui alterum movet ad damnum proximo inferendum suadendo, precibus, blanditiis aut promissis, media aut motiva suggerendo, facilitatem aut utilitatem ostendendo, aut etiam injustum factum excusando, vel apparentem justitiam eidem affingendo, &c. non tamen in utilitatem consulentis, ut sic a mandante distinguatur, juxta dicta Num. 72.

Quot sunt classes consulentium?

II. R. Duæ: prima est eorum, qui dant consilium de veritate aut liceitate actionis, v. g. dicendo contractum esse licitum, cum tamen sit illicitus, restitutionem non

debere fieri, cum tamen sit facienda. Tales iniqui consultores fuerunt adolescentes enutriti cum Roboam, de quibus 3. Regum cap. 12. V. 10 & 11.

III. Secunda classis est eorum, qui non consultantur super veritate aut liceitate actionis, sed quasi malitiam actionis supponendo, alicui consilium dant ad malam & injustam actionem executioni mandandam, ut fecit Achitophel 2. Regum c. 16. V. 21. De hoc posteriori modo agemus Num. seq.

Quisnam priori modo consulens tenetur ad restitutionem?

IV. R. Qui docet simpliciter, bonâ fide dicendo opinionem suam, sibi ita videri, non tameu constare, nec velle, se esse authorem, ut aliquis eam opinionem sequatur, &c. regulariter non tenetur ad restitutionem; quia hic modus efficaciter non influit in damnum.

V. 2°. Qui docet aliquid esse justum quoad praxim, sic ut dicat illud tutò fieri posse, qualiter intelliguntur communiter dicta Pastorum & Confessariorum, dum suos instruunt; si illud à parte rei sit injustum, tenebitur docens talem errorem ad restitutionem damni secuti, si erret ex ignorantia culpabili.

Quandonam ignorantia censetur docenti culpabilis?

R. Quando omisit debitam pietatem, studium aut sufficientem casûs considerationem, prout ejus functio, officium sive professio & magnitudo negotii postulabant, quæ si adhibita fuissent, error ille non accidisset: hinc terribile est, ait Steyaert, docere vel scribere de Jure & Justitia. Applica hìc, quæ dicta sunt Num. 43.

Quomodo intelligenda est regula 62. juris in 6. "Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur?"

VI. R. Regula potest intelligi de foro externo, in quo non datur actio contra consulentem, si consilium non fuerit fraudulentum saltem præsumptivè.

Dicunt quidam, quòd ly fraudulentum idem sit ac culpabile: culpa enim lata in jure dolo æquiparatur.

Neesen & Billuart explicant hoc modo: scilicet, quòd dans malum consilium regulariter non teneatur illi, cui consilium dedit, nisi fuerit fraudulentum; sed quòd teneatur tertio, contra quem consilium dedit; ratio est, quòd petens & accipiens consilium sit sciens & volens, sicque ipsi injuria non fiat, dum consilium fraudulentum non est; sed tertius injuriam patitur, qui justè conqueri potest, quòd quis contra ipsum se immisceat consilio dando in re, quam non

sufficienter novit. Si tamen consulens esset talis ex officio, etiam ipsi consilium petenti teneretur, quia omissione diligentiæ debitæ, ipsi injuriam facit.

Hinc collige, quandonam consulens obligetur ad restitutionem illi, cui consilium dat, quandonam tantùm tertio, quandonam utrique.

Collige 2°. quòd sicut non excusatur ille, qui consulit injustum ex ignorantia vincibili, à fortiori non excusetur Probabilista, qui doceret aliquid practicè justum esse, quia illud est speculativè probabile: probabilitas enim minùs abstergit malitiam, quàm ignorantia vincibilis. Quod generatim contra Probabilistarum principia est notandum.

N. 75. DE CONSULENTE ACTIONEM CUJUS MALITIA SUPPONITUR.

I. *Consulens supponendo malitiam* II. *Est triplex.* III. *Tenetur ad restitutionem.* IV. *De consulente minus malum.* V. *De consulente ut differatur.* VI. *De consulente majus damnum.* VII. *Nudè narrans factum subtile.* VIII. *Movens exemplo.*

I. SECUNDA classis consulentium juxta numerum superiorem est, qui quasi malitiam actionis supponendo, consilium dant ad malam actionem executioni mandandam.

Quotupliciter id fieri potest?

II. R. Tripliciter: 1°. Precibus, blanditiis aut promissis alliciendo, prout suasit Herodias filiæ suæ, ut peteret caput Joannis Baptistæ, Mar. cap. 6. V. 24. hoc modo etiam usa est Dalila respectu Samsonis, Jud. cap. 16. V. 16.

2°. Proponendo actionem injustam sub specie utilitatis, voluptatis vel honoris: sic Caiphas Joannis cap. 11. V. 50. suasit mortem Christi.

3°. Actionis facilitatem ostendendo, quod præsertim fit suggerendo instrumenta, media, modos, &c. sic Jonadab filius Semmaa fratris David influxit in incestum, quem commisit Amnon cum sorore sua Thamar, 2 Reg. cap. 13. V. 5.

Quomodo taliter consulentes tenentur ad restitutionem?

III. R. Evidens est, quòd teneantur tertio, cui consilium injusta fuit causa damni: si tamen abfuerit dolus & fraus, & specialis obligatio rectè consulendi, non tenentur ipsi petenti consilium, quia, ut supponitur, scienter & volenter malum consilium sequitur: jam autem juxta

regulam 86. juris in 6. damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet non aliis imputare.

An consulens minus malum parato inferre majus, tenetur ad restitutionem?

IV. R. 1°. Qui efficaciter determinato ad inferendum alicui personæ determinatæ majus malum, consulit minus eidem inferendum eo animo, ut majus avertat, quod aliter avertere non potest, non tenetur ad restitutionem istius damni minoris; quia rem damnificandi utiliter gerit. Hoc facto excusari potest Ruben, Genes. cap. 37. v. 22.

Aliud est, si consuleret minus malum pravo animo, puta ut alter faciliùs vel tutiùs hoc exequi possit.

2°. Si volenti inferre damnum alicui personæ indeterminatæ, consulit, ut illud inferat, v. g. Petro; tenetur Petro de damno illato; quia est vera causa, cur hic determinatus damnificetur.

3°. Qui parato grave damnum inferre Joanni, consulit ut potiùs Petro inferat levius, tenetur Petro ad restitutionem; quia est vera causa damni Petro illati: aliud esset, si damnum Joannis aliter averti non possit, damnumque Petri esset tam leve, ut ab ipso in gratiam Joannis contemnendum, vel à Joanne compensandum judicaretur.

4°. Qui volenti inferre damnum Petro & Paulo, consulit ut Paulo parcat, eatenus non facit Petro injuriam, nisi prævideat Petrum idcirco magis damnificandum fore.

5°. Qui capax impedire omne damnum, consulit alicui, ut inferat minus eidem personæ, cui majus fuisset illatum, peccat & ad restitutionem tenetur

An ad restitutionem tenetur, qui parato damnum inferrehodie, consulit, ut illud potius inferat cras?

V. R. Tenebitur, si verè consulat damnum, non animo impediendi, sed quia cras erit opportunius: item si imprudenter suggerat modum securius vel tutius damnificandi.

Non tenebitur, si consulat dilationem animo impediendi damnum, v. g. quia sperat cras defuturam occasionem, vel furis animum mutandum.

An qui parato inferre damnum quinquaginta florenorum, consulit, ut inferat damnum centum florenorum, teneatur de centum florenis?

VI. R. Affirmativè, si nimirum minus damnum & excessus ille consulantur per modum unius; quia tunc in totum damnum influit: si autem minus damnum sit disparatum à majori, quod consulitur, videtur fieri posse, ut consulens in illud minus damnum non influat tanquam

"consulens," attamen influet ordinariè tanquam "consentiens," & ut talis ad restitutionem tenebitur.

Quid censendum de illo, qui simpliciter narrat modum aliquem, quo impunè, aut subtiliter, v. g. aliquod furtum factum est, aut fieri potest, & aliquis istâ cognitione abutatur, ad alterum damnificandum?

VII. R. Si ille advertere non potuerit & debuerit, quemquam ex auditoribus istâ cognitione abusurum, sed hoc narraverit instructionis aut recreationis gratiâ, non tenetur restituere; quia notitia speculativa non est de se mala, imò ad plura potest esse utilis.

Si autem abusum illum moraliter prævidere potuerit, tunc ad restitutionem tenebitur, quia interpretativè censetur dedisse consilium.

Hinc perniciosi sunt libelli linguâ vulgari conscripti, similia proponentes, utpote qui indistinctè ad plurimorum manus perveniunt.

An qui solo exemplo movet alium ad damnum inferendum, restituere teneatur?

VIII. R. Negant Salmanticenses, &c. multi alii, ut *Billuart*, Antoine, affirmant, si imitationem sui exempli moraliter potuerit prævidere; quia talis ponit actionem malam & periculosam ratione circumstantiarum, ex qua prævidere potuit & debuit damnum probabiliter tertio obventurum: deinde æque efficaciter movere possunt exempla, quàm verba, juxta adagium: "Verba movent, exempla trahunt."

N. 76. QUANDONAM CONSULENS A RESTITUTIONE LIBERATUR?

I. *Efficaciter consilium revocare potest consulens doctrinaliter;* II. *Item qui precibus induxit.* III. *Non ita qui sub specie utilitatis, &c.* IV. *Aut qui media vel modos suggessit.* V. *Disparitas inter mandatum & consilium.*

RESP. Quando consilium ejus non habet tres conditiones requisitas, ut dictum est Num. 73. "de Mandante."

An consulens revocando consilium suum semper a restitutione liber est?

I. R. 1°. Si consilium consistat in falsa doctrina, & consulens ante executionem damni illud revocet, ostendendo se falsum docuisse, ac rationes & motiva anteriora

dissolvendo sufficienter ad captum potentis consilium, restituere non tenetur; quia tunc efficaciter tollitur causa inferendi, & motio à consulente impressa.

II. 2°. Similiter qui precibus, blanditiis aut promissis damnificationem induxit, & ante damnificationem ostendit & significat, sibi displicere actum, quem suaserat, se mutasse propositum, & revocare promissa, regulariter a restitutione liberatur: quia ita causalitas & vis consilii tollitur, nisi fortè ex corruptione alterius per malum consilium impressa & perseverante damnum inferatur.

Nota simili ferè modo consensum aut recursum ante damni executionem efficaciter revocari.

III. 3°. Consulens sub specie utilitatis, voluptatis aut honoris, simplici revocatione non excusatur a restitutione damni, etiam post revocationem illati; quia non obstante hâc revocatione, manet regulariter tota vis consilii seu pondus rationum, atque earum impressio facta in mente alterius.

IV. 4°. Eâdem ratione consulens ostendendo actionis facilitatem, media, &c. etiamsi ante damnum illatum revocet consilium, adhuc tamen regulariter tenebitur restituere; quia causalitas talis consilii revocatione non tollitur, nisi fortè consulens simul ostenderet modos vel media, quæ suggessit, non esse convenientia, sed periculosa, ita ut alter, iis relictis, excogitârit alia, in quæ consulens non influxit.

Observa, quòd, cùm præsertim ex hoc quarto consulendi modo, v. g. ostendendo furi methodum conficiendi claves, quibus seras aperiat, nata sint sequi alia plura damna, consulens teneatur de omnibus damnis, quæ ex tali consilio committuntur & moraliter prævideri possunt committenda: sicuti & tenetur, qui tradidisset furi instrumenta ad furandum aptata.

V. Observa etiam multo faciliùs mandatum efficaciter revocari, quam consilum; quia influxus mandati dependet a sola authoritate mandantis; sed influxus consilii, in tertio & quarto casu, revocato consilio, solet perseverare; quia quantumcumque revoces, ipsum maleficium apparet adhuc utile, delectabile, facile, &c. et consequenter alter adhuc movetur tuo consilio, motus utilitate, modis, mediis, &c. ut damnum exequatur.

Ex dictis colligitur, quod consulens non sit liber a restitutione, si postquam damnum consuluit, consulat ejusdem restitutionem, et alter promittat se eam facturum, nisi illa

de facto sequatur; unde veraciter dicitur "Malum consilium consultori pessimum;" tanto magis, quod tam strictè ad restitutionem obligatus, sæpe nullam utilitatem ex pravo consilio reportet.

N. 77. DE CONSENTIENTE.

I. *Consentiens.* II. *Tenetur ad restitutionem, dum in damnum influit.* III. *Quod fit dupliciter.* IV. *Scilicet cooperando,* V. *Et partialiter operando, ut dum quis dat iniquum suffragium.* VI. *Etsi sciret jam sufficientia præcessisse.*

QUISNAM hìc intelligitur nomine consentientis?

I. R. Ille, qui suo consensu exteriùs manifestato, scilicet verbis, risu aut aliis æquivalentibus signis, in actionem damnosam concursu positivo moraliter influit.

Nomine consensûs intelligitur etiam favor, approbatio et suffragium, sive electionis sive resolutionis.

Quandonam consentiens tenetur ad restitutionem?

II. R. Quando consensus ejus verè in damnum influxit, executorem animando ut faciat, vel ut animosiùs, atrociùs vel confidentiùs faciat, quàm sine tali consensu fecisset: sic 3. Reg. consensit Achab, ut Jezabel uxor ejus scriberet literas nomine Regis de occidendo Naboth; sic etiam suffragantes sententiæ iniquæ, bello injusto, electioni personæ indignæ, &c. influunt in damnum ut consentientes, et ad restitutionem tenentur.

Aliàs, si consensus in opus injustum sit merè internus, vel opus a consensu alicujus nullatenus pendeat, talis consentiens ad restitutionem non tenetur; quia in opus non influit: sic privata persona audiens bellum injustum esse decretum, injustam sententiam esse latam, &c. et illa approbans, regulariter non tenetur ad restitutionem; quia quamvis graviter peccet affectu contra justitiam, cum tamen opera illa nullatenus ab ejus consensu pendeant, in eadem consentiendo influere non potest.

Per accidens tamen ratione animationis, consilii, &c. posset similis teneri ad restitutionem, si eatenùs consensum aliorum causet, ut contingere natum est, ubi inter cæteros est vir magnæ authoritatis.

Quomodo consensus in damnificationem influit?

III. R. Dupliciter, scilicet vel tanquam causa partialis

operans, putà cum aliis suffragando electioni indigni, vel tanquam causa cooperans, v. g. si pater dicat filio: per me licet ut fureris, &c.

IV. Consensus hoc posteriori modo regulariter influit, dum ille qui consentit, est superior potens, aut vir magnæ authoritatis, seu generatim talis, cujus dissensus alterum a damnificando deterruisset.

De priori influendi modo quæritur:

An quis per suum suffragium, consentiendo, v. g. electioni indigni ad officium, beneficium, teneatur ad restitutionem, dum sine ejus suffragio equidem per aliorum suffragia indignus electus et promotus fuisset?

V. R. Certum est 1°. Quod talis ad restitutionem teneatur, si valor electionis requireret omnium suffragia; quia tunc singuli causam damni præbent.

2°. Item ad restitutionem tenetur, si suffragium suum dederit, antequam essent sufficientia suffragia data pro electione indigni, etsi certo sciret, alios sufficientia suffragia pro indigno daturos; quia ut dictum est Num. 49. qui prævenit damnificationem, etiam prævenit restituendi obligationem.

3°. Item si ignoret numerum suffragiorum pro indigno esse sufficientem, ut si secreto dent vota sua; quia tunc est par ratio suffragantium in initio et in fine.

4°. Item si adhuc foret spes, fore ut alios ab iniquo suffragio posset avocare; quia tunc suffragio suo est causa positiva damni nondum efficaciter illati.

Idem dicendum de eo, qui nollet suffragari tunc, cùm videt defectu sui suffragii indignum promovendum, iniquam sententiam ferendam, &c. quia tunc, qui tacet, consentire videtur, cùm ex officio teneatur aut impedire aut suffragari.

In his punctis communiter Authores conveniunt: unde proprie tantum controvertitur, an ille, qui certo sciens sufficientia vota jam indigno accessisse, idque irrevocabiliter, suo suffragio illis accederet, teneatur ad restitutionem?

VI. R. Affirmativè cum Wiggers, Daelman, Billuart, &c. contra Lessium, Sylvium, &c. ratio est, quod electio concludatur nomine suffragantium non habito respectu, quis prior vel posterior suffragatus fuerit, ut patet ex eo, quod si solum postremum votum foret simoniacum, tota electio esset irrita: tale proinde suffragium æquè influit in electionem indigni, ac suffragia priora.

Objicies cum Sylvio: Per priora suffragia numero sufficientia res acta est et conclusa: ergo posterior suffragando nullo modo in electionem influit.

R. Negando assump. quia suffragia data nullum jus tribuunt eligendo, nisi post conclusionem electionis et sententiam denuntiatam, quæ omnia fiunt æquè in vim suffragii ultimò dati, quàm priorum.

Inst. Damnum in casu erat positum saltem inchoativè, et inimpedibiliter: ergo votum hujus nil operatur.

R. Trans. assump. nego conseq. quia per suum votum concurrit ad positionem completam, et in effectu istius damni. Deinde poterat & debebat impedire, saltem ne damnum suo nomine & operatione poneretur, dum aliter impedire non poterat.

Aliud fortè dicendum foret de casu, in quo ex præcedentibus suffragiis res jam irrevocabiliter conclusa esset et resoluta executio, non expectato hujus suffragio, utpote ad electionis vel resolutionis valorem non necessario: quamvis enim talis consentiendo peccaret, cùm tamen damnum jam plenè et efficaciter datum sit, nullamque vim electioni vel resolutioni istud suffragium addat, illius causa non est; nisi quatenùs fortè illius damni executionem impedire posset, quo casu saltem tenebitur ut "mutus," vel "non obstans," aut alios ad faciliùs, animosiùs, &c. illud exequendum movisset; et sic teneretur ut "consulens."

An ergo non licet suffragari electioni minùs digni, quando dignissimus eligi non potest, et alioquin eligeretur indignus?

R. Hoc certò licitum est: quia talis suffragans utiliter gerit rem communitatis, & suo suffragio prodest, inquantùm potest.

Ex dictis videre est, quàm sit periculosum esse membrum communitatis, ad quam spectat officia vel beneficia conferre, cum sæpe plus ex affectu carnali, quàm ex æqua meritorum ponderatione procedatur. Temerarium tamen foret, statim aliquem accusare injustitiæ, ex eo, quòd suffragium suum non dederit illi, qui vocabatur dignissimus; quia in similibus sæpe variant judicia hominum, ut uni videatur dignissimus, qui ob aliam qualitatem alteri minùs dignus videtur.

N. 78. DE PALPONE.

I. *Palpo tenetur restituere* II. *Licèt damnum directè non intendat.* III. *Imò sæpe palpatione revocatâ.*

QUIS hìc dicitur palpo?

I. R. Ille, qui adulatione, laudatione, ignaviæ, aut pusillanimitatis exprobratione, contumeliæ acceptæ exaggeratione, irrisione, susurratione et similibus modis movet alium ad damnum inferendum, vel ad non reparandum illatum.

Modi familiares sic cooperandi sunt dicendo: ignavus es, si hoc patiaris, dedecet te vel statum tuum, perdis honorem, &c. prout non infrequenter accidit in viris militaribus, et nobilibus quibusdam sicarios ad duellum incitantibus. Exemplum præbet Scriptura S. in Jezabel 3. Reg. cap. 21. V. 7. dicente marito suo Achab: "Grandis au-" thoritatis es, et bene regis Regnum Israel, &c."

II. Nota, non esse necessarium, ut palpones directè intendant alterius damnificationem; sufficit enim quòd prævideant aut prævidere possint et debeant, eam ex iniqua hac agendi ratione sequi posse, quod meritò adverti debet contra detractores, susurrones et similes.

An palpo revocatâ palpatione semper à restitutione liber est?

III. R. Si alterum solummodo moverit adulatione, laudatione, aut simili modo, tunc comparatur consulenti, qui allicit precibus, blanditiis, &c. si vero instigaverit alterum exprobratione ignaviæ aut pusillanimitatis, &c. comparatur consulenti sub specie utilitatis, honoris, &c. unde dicta de revocatione consilii Num. 76. palponi applicari debent.

N. 79. DE RECEPTANTE.

I. *Receptans influit,* II. *Dando recursum,* III. *Aut protectionem.* IV. *Receptans furem quatenùs talem tenetur.* V. *Non autem receptans materialiter tantùm.* VI. *De occultante furem.* VII. *De receptante ex metu.* VIII. *De intercedente apud judicem.* IX. *De Advocato patrocinante malefactori.* X. *De emente à militibus.*

QUISNAM intelligitur nomine receptantis?

I. R. Ille, qui dando aut promittendo recursum receptationis aut protectionis, malefactori præbet fiduciam aut

securitatem ad damnum inferendum vel non restituendum: gallicè "recéleurs," vocantur, suntque omni fure deteriores: etiam magis solent influere, quam ipse mandans aut consulens.

Quomodo præstatur recursus receptationis?

II. R. Ipsum malefactorem aut ejus instrumenta, vel res furto ablatas recipiendo, occultando, item easdem emendo, distrahendo, &c.

Tales sunt caupones, qui filios-familias alliciunt, pecunias aut alias res a parentibus ablatas occultant, et sæpe sibi vindicant in pretium compotationum. Item veteramentarii, qui promiscuè omnia ad ipsos delata vili pretio coëmunt, vel ex hoc solo convicti, quod facilè res illas suspicari potuerint esse furtivas.

Quomodo præstatur recursus protectionis?

III. R. Explicitè vel implicitè offerendo malefactori munus a manu, v. g. vi defendendo; vel ab obsequio, v. g. ei serviendo; vel a lingua, v. g. verbis defendendo, falsum testimonium pro eo dicendo, &c.

Tales sunt Belli-duces aut Magnates, qui milites aut *subditos*, furta aut rapinas exercentes fovent ac protegunt: item Principes, qui officiales justo majora salaria ac indebita stipendia extorquentes defendunt. Exemplum habetur Judicum cap. 20. ubi Benjamitæ pertinacissimè crimen commissum defendunt.

Quæritur 1°. An tanquam receptans teneatur, qui scienter recipit hospitio malefactorem, v. g. furem, nil de furto participando?

IV. R. Qui furem "formaliter," seu quatenus talem recipit, obnoxius est restitutioni, dum scilicet ex receptione ei præbetur securitas, fiducia aut ansa ad damnificandum vel non restituendum: qui vero recipit furem "materialiter," seu non quatenus talem, ad restitutionem eatenus non tenetur, nisi ex officio aut aliter ex justitia denuntiare aut apprehendere deberet, quo casu tenebitur ut "mutus" vel "non obstans."

V. Recipitur fur materialiter tantùm, si hospitio recipiatur ut alius hospes, viator, amicus, aut consanguineus, sic tamen ut id fiat sine ullo respectu vel cooperatione ad maleficium præteritum vel futurum, puta præbendo ei ansam consumendi aut distrahendi ablata.

Quid de illo, qui occultat furem, dum a ministris justitiæ quæritur?

VI. R. Si fur quæratur ad solam captivitatem vel punitionem, sine respectu et spe recipiendi ea, quæ abstulerat,

tunc eum occultans vel ostendens ansam evadendi, non tenetur de ante ablatis, nec de iis, quæ fur postea forte auferet, si sic agendo non dederit ei spem recursûs pro futuro.

Si autem fur quæratur, quia adhuc penes illum est res furtiva, ut vel hæc recuperetur, vel alias cogatur ad restitutionem ablatorum, et quam potens est facere, tunc si illum occultando fiat, ut cum re furtiva aufugiat, vel restitutio obtineri non possit, tenebitur talis occultans ad restitutionem; quia est causa damni.

Pariter ad restitutionem tenetur, qui occultat furem inveteratum, aut alium malefactorem, de quo moraliter prævidere potest, quod liberatus nova damna illaturus sit.

Quid si gravi metu coactus quis malefactorem recipiat?

VII. R. Daelman, Braunman, Boudart, &c. quod ruri, dum villici turbas nebulonum in domum suam recipere coguntur, & permittere ut furto ablata abscondant, non censeantur moraliter in furtum influere; quia receptio in domum "se solâ," non contribuit ad furtum: deinde cum id faciant villici metu gravissimorum malorum, domini rerum ablatarum non sunt rationabiliter inviti.

Idem per se loquendo non est de hospite in civitatibus, nec de integra quadam communitate, quia tali casu damnum communiter impediri potest, malefactores apprehendendo et judici tradendo.

Quid dicendum de illis, qui apud judicem pro malefactoribus intercedunt, ut a morte liberentur?

VIII. R. Hoc per se pium esse patet ex Prov. cap. 24. V. 11. "Erue eos qui ducuntur ad mortem." Hæc intercessio in primis pia est, dum crimen per seductionem, inopiam aut similem occasionem subitam et fere non prævisam, commissum est.

Sed illicitum est, intervenire pro aliquo, ut quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat.

Similiter ex communi consensu Authorum illicitum est intercedere pro homicidis aut furibus malignis et inveteratis; quia pro talibus intercedens posset esse causa scelerum ulteriorum, et ob quamdam speciem recursûs ad restitutionem teneri; unde qui similibus prodesse vellet, de remedio, ne postea ad scelera redeant, providere deberet.

Quid de Advocatis et similibus, qui in judicio malefactorem defendunt?

IX. R. 1°. Advocatus, qui in causa civili injustitiam clientis contra propriam conscientiam defendit, et per hoc

causa est, quod injuste occupetur vel detineatur alienum, indubiè ad restitutionem tenetur; quia socius est criminis et fraudis.

2°. Advocatus in criminalibus potest (sine fallacia tamen) reum defendere & crimen ejus occultare, in quibus ipsemet reus potest se defendere et excusare, v. g. quando culpa est occultà, aut ne quidem semi-plenè probata, quando non servato juris ordine vexatur, &c. defenditur enim tunc, non ut malefactor, sed ut jus habens: consequenter ab omni restitutione liber est Advocatus, etiamsi fur post liberationem denuò furetur.

Tenetur tamen ex charitate Advocatus furem seriò admonere de restitutione facienda, et curare meliori modo quo potest, ut effectu fiat.

3°. Advocatus, qui per fallacias, falsos testes, aliosve modos injustos furem è manibus judicis liberavit, si inde fiat, quod restitutio impediatur vel novum damnum inferatur, quod prævideri aut timeri debebat, tenetur defectu furis ad restitutionem.

An licitum est emere ea, quæ milites promiscuè venalia offerunt?

X. R. Licitum est à militibus emere prædas juste ablatas ab hostibus etiam innocentibus.

Sed qui emit a militibus res alienas injuste ablatas, tenetur easdem restituere dominis, idque tam ratione receptationis, quam injustæ participationis in re; et adhuc minùs fas est, ait Steyaert, si a militibus spoliatus, ideo spoliares alios milites.

Licitum tamen est a militibus accipere res, quas in individuo perdidisti: et si res tuæ apud milites cum aliis rebus sint confusæ vel permixtæ, v. g. grana conjecta in communem massam, potes inde accipere tantum, quantum de tuo admixtum est.

N. 80. DE PARTICIPANTE.

I. *Participans est duplex.* II. *Participans tantùm in re.* III. *Quo titulo teneatur.* IV. *Exceptio in accipiente solutionem à fure.* V. *Participans in actione est duplex* VI. *Teneretur si influat.* VII. *Participans ex metu gravi.* VIII. *Quandoque potest excusari.* IX. *Observandum.* X. *Propositio damnata.*

I. OMNIS cooperans est quidem vere participans modo generali; sed præterea specialis est modus, quo quis sine

mandato, consilio, &c. influit participando; estque modus ille duplex, nimirum participando tantùm in re, et participando in actione injusta.

Quis dicitur participans tantùm in re?

II. R. Ille, qui post furtum commissum accipit partem rei ablatæ, sic ut in ipsum furtum non influat, nec in omissionem restitutionis istius furti.

Quo titulo participans tantùm in re tenetur ad restitutionem?

III. R. Dist. si bonâ fide, seu inscius de re furtiva participet, tenetur solo titulo rei acceptæ, adeoque non nisi inquantùm de re aliena participata habet in se vel æquivalenti: si vero mala fide, seu consius de re furtiva participet, simul tenebitur titulo injustæ acceptionis pro parte scilicet accepta.

An est participans in re, qui a fure, v. g. recipit justam solutionem?

IV. R. In primis non licet accipere in solutionem res, quæ adhuc alieno dominio sunt subjectæ, v. g. vestes furtivas.

Regulariter tamen licet accipere solutionem ex pecuniis furis, etsi accipiens timeret inter pecunias furis etiam esse furtivas: quia pecuniæ illæ furtivæ per "commixtionem" transierunt in dominium furis, ut colligitur ex lege Si alieni nummi, 78. digest. "de Solutionibus" I. 46. tit. 3.

Si autem constaret, quod talis non viveret nisi de injuste acquisitis, non esse licitum ab illo solutionem accipere, cum illæ pecuniæ sint in specie alienæ.

Similiter licet regulariter a fure accipere donationem rei, quæ non est in specie aliena, per quam tamen fur non fiat impotens ad restitutionem, nec ei ansa detur ad ulterius furandum: multò magis igitur licet illis vendere bona, præsertim immobilia, vel mobilia quæ servantur, cum per contractum emptionis minùs fiant impotentes, quam per donationes.

Dicta de furibus applicari possunt usurariis, aliisque qui ex injustitia lucrum faciunt.

Quis dicitur participans in actione alterius injusta?

V. R. Est duplex, unus qui accipiendo partem ex re furtiva, eatenus animat fures ad damna inferenda vel non restituenda: hoc fere semper locum habet, dum quis scienter ex re furtiva participat; quia acceptari in casu, est signum cujusdam consensûs.

Alter participans in actione injusta est, qui actioni injustæ per modum con-causæ efficientis cooperatur. Sic ad lapidationem Stephani Actor. cap. 7. V. 57. concurrit Saulus, ut reflectit S. Augustinus serm. 14. " de Sanctis."

Tales etiam sunt, qui furibus assistunt aperiendo domum, infringendo murum, scalas commodando, portando, sustinendo vel applicando, vigilem aut exploratorem agendo, prædas avehendo, claves adulterinas fabricando, item usurariorum aliorumque injustorum factorem agendo, &c.

Omnes hujusmodi in actione injusta participantes ad restitutionem teneri, apertum est.

An omnis, qui præstat auxilium operanti injustè, participat in actione injusta et ad restitutionem tenetur?

R. Negativè: quia fieri potest, ut auxilium præstitum nil efficiat, nec influat in injustitiam, v. g. si famulus numeret pecunias, quas dominus daturus est ad usuras.

Similiter non tenetur, si damnum sequatur ex sola malitia operantis, abutentis auxilio, quod ei ob justum finem præstitum fuit, & cujus abusus non potuit moraliter prævideri; ut dum quis viro integræ famæ vendit venenum, quo is alium interficit. Ita etiam excusantur vendentes taxillas, chartifolia, &c.

VI. Pariter si auxilium, quod malefactori præstat, non consistat in actu immediatè causativo injustitiæ, sed tantùm mediante malitiâ malefactoris, qui scitur eo mediante damnificationem injustam illaturus; tunc si illa actio conferat ad damnificationem, malefactorem facilitando, aut assecurando, sic conferens auxilium regulariter ad restitutionem tenetur.

Sed difficultas est, quid judicandum sit de illis, qui metu mortis, vel alterius gravis mali quædam auxilia præstant malefactoribus, v. g. commodant scalas, eas deferunt, furem sustentant, &c.?

VII. R. Si tale auxilium per se et quasi immediatè tendat ad ipsam actionem injustam facilitandam, ut evertere muros, ignem in acervum conjicere, furantem sustentare, &c. tale auxilium præstantes nec metu mortis excusantur, quia actiones illæ prout hìc et nunc fiunt, sunt vera cooperatio injustitiæ, adeoque intrinsecè malæ, sicque nullo fine cohonestari possunt.

VIII. Si verò illæ actiones non sint de se et immediatè damnificativæ, sed quasi indifferentes, ut commodare scalas, eas deferre, &c. tunc putant Henno, Billuart, aliique

contra Sylvium, quod metus mortis aut gravioris mali, quam sit ipsa damnificatio, excuset a culpa et restitutione; quia licitum est ponere actionem secundùm se indifferentem ad bonum finem, licet ex malitia alterius inde sequatur damnum tertii, maxime quando bonus effectus est majoris momenti, quam damnum, quod ex illa sequitur per accidens.

Hinc communiter excusant Authores eos, qui gravi metu coguntur recipere fures, eorum instrumenta, vel prædas longiùs avehere, quia similes actiones, dum ex necessitate fiunt, magis determinantur ad damnum a se avertendum, quam ad alteri nocendum: vel dicendum, quod domini non censeantur rationabiliter inviti, dum similes actiones non nisi cum gravissimis incommodis possunt ab innocentibus evitari.

IX. Notandum pro hac quæstione, multùm attendi debere apprehensionem communem prudentum, utrùm quis censeatur participare vel non.

2°. Si alio modo possit occurri istis malis, v. g. monendo Magistratum, id fieri debere; alioquin incurri obligationem restitutionis.

3°. Quantò actio ex metu præstita magis appropinquat cooperationi injustæ, tanto majorem debere esse rationem, ob quam quis se habeat permissivè.

X. Obj. Damnata est propositio 51. ab Innocentio XI. in qua dicitur: "Famulus qui subservit hero, deferendo "scalam....non peccat mortaliter, si id faciat metu nota-"bilis detrimenti, &c." ergo si metus non excuset a mortali, etiam non excusat a restitutione.

R. Negando conseq. nam illa propositio justè damnata est, 1°. Quia excusat famulum ob metum levis mali, putà "Ne torvis oculis aspiciatur," &c. 2°. Quia excusat illum, qui "multoties hero ita subservit:" nos autem dicimus, metum non esse justam causam, si alio modo possit incommodum vitari, ut potest famulus in dicta propositione, deserendo scilicet istum famulatum.

Obj. 2°. Christiani captivi remigantes in triremibus Turcarum non excusantur a damnis, quæ eorum auxilio inferunt Turcæ, licèt illi agant metu mortis: ergo, &c.

R. Negando conseq. quia isti captivi remigando oppugnant rempublicam Christianam, pro qua etiam vitam profundere debent. Quod si tantùm ageretur de damno aliquo temporali, putat Daelman, eos non improbabiliter excusari posse, sicuti excusantur rustici, qui tempore belli metu mortis avehunt prædas.

N. 81. DE CAUSIS NEGATIVIS.

I. *Causa negativa* II. *Est triplex.* III. *Mutus.* IV. *Non obstans.* V. *Non manifestans.* VI. *Ut quis ita teneatur, requiruntur quatuor.* VII. *Ut damnum ex non impeditione sequatur.* VIII. *Ut illud culpabiliter impedire neglexerit.* IX. *Ut rationabiliter potuerit impedire.* X. *Ut teneatur ex justitia.* XI. *Observatio.*

QUINAM censentur tanquam causæ negativæ cooperari damno, causalitate nimirum morali & privativa?

I. R. Illi, qui non impediunt damnum, quod impedire rationabiliter possunt, et ex justitia tenentur. Causa igitur negativa consistit in omissione positiva in commissione saltem morali.

Quotuplex est causa negativa damni?

II. R. Est triplex: mutus, non obstans, non manifestans.

III. "Mutus" est ille, qui tacet, cum posset & deberet loqui prohibendo, monendo, reprehendendo, clamando, &c. ne alter damnum faciat, aut ut illatum restituat.

IV. "Non obstans" est ille, qui cum posset & deberet, per auxilium, custodiam, &c. impedire damnum, aut procurare restitutionem, illa tamen omittit.

V. "Non manifestans" est ille, qui cum posset et deberet, non denuntiat malefactorem, ut furtum faciendum impediatur vel factum restituatur.

Quænam requiruntur, ut quis teneatur ad restitutionem tanquam causa negativa damni?

VI. R. Hæc quatuor: 1°. Ut damnum sequatur ob non impeditionem. 2°. Ut culpabiliter impedire omiserit. 3°. Ut rationabiliter potuerit impedire. 4°. Ut ex justitia teneatur impedire.

VII. Defectu primi non tenetur de damno, qui illud impedivit ut poterat, et eo non obstante est secutum: nec tenetur ille, qui quidem neglexit impedire damnum, quod tamen non ex negligentia, sed aliunde secutum est, v. g. non custodivit rem contra fures, sed illa periit casu fortuito, incendio, &c.

VIII. Circa secundum, ut damnum culpabiliter impedire neglexerit, repetenda sunt, quæ ante de culpa dicta sunt Num. 42 & 43.

IX. Ratio tertii est, quod nemo censeatur se velle obligare ex officio vel contractu ad impediendum damnum alterius, quando id non potest sine gravi suo detrimento, nisi illud sit implicitè vel explicitè deductum in pactum.

Cæterùm, quandonam ratione illius per accidens impedire non teneatur, morali judicio prudentum determinandum relinquitur.

X. Ratio quarti est, non posse inveniri rationem restitutionis, ubi non violatur justitia commutativa: unde si tantùm ex charitate, vel alia virtute, à justitia distincta, impedire teneatur, non tenebitur ad restitutionem, quamvis peccet coram Deo. Vide Num. 24. "de Actibus Humanis."

Authoritates SS. Patrum & canones hìc objici soliti, vel agunt de obligatis ex officio, vel solùm volunt, quòd contra non impedientes sit præsumptio societatis occultæ, et quòd ideo possint puniri.

Ex quo capite oritur obligatio ex justitia impediendi damnum?

R. 1°. Ratione officii: sic tenentur Belli-duces, Magistratus, Tutores, &c.

2°. Ratione contractûs impliciti vel expliciti: sic tenentur custodes urbium, agrorum, sylvarum, &c. Vide ubi de culpa Num. 42. Est etiam obligatio in omni homine, ne per se aut per suos damnum aliis inferatur.

XI. Bene observandum, ne pro causa dumtaxat negativa habeatur, qui ad causam positivam reducendus est, ut v. g. qui a fure, ne obstet verbis vel factis, pecuniam accipit, vel id promittit gratìs, dicens v. g. furi: si velis furari non loquar, nec impediam: talis enim non mutus, vel non óbstans, sed consentiens dicendus est juxta Num. 77. Qui obligatum ex justitia ad impediendum damnum impedit, item qui obstare vel clamare volentem, licet ad id ex justitia non obligatum, impedit vi, fraude, vel alio modo injusto, tenetur certò ad restitutionem, juxta Num. 41. sed tantùm tanquam causa negativa, nisi impediendo damnificatores animasset, vel securiores reddidisset.

N. 82. DE CONFESSARIO OMITTENTE MONERE PŒNITENTEM DE RESTITUTIONE FACIENDA.

I. *Confessarius furem non monens, non tenetur tertio.* II. *Nisi censeatur consentire.* III. *Vel dicat non esse restituendum.* IV. *Aut è contra.* V. *Monitum pro Confessariis.*

AD quid tenetur Confessarius, qui non monet pœnitentem obligatum restituere, de restitutione facienda?

I. R. Dicendum videtur cum communi sententia contra paucos, quod Confessarius, sive ex officio curam animarum habeat (ut Episcopus & Parochus) sive non, sive inculpabiliter ob inadvertentiam vel oblivionem naturalem, sive culpabiliter ob ignorantiam crassam vel affectatam pœnitentem monere omittat, teneatur postea, si opportunitatem habeat, servato sigillo sacramentali, pœnitentem monere obligationis restitutionis; sed si id non velit vel non possit facere, quod ideo non teneatur restituere tertio, supposito quod Confessarius "merè omiserit" monere pœnitentem de restitutione facienda.

Ratio est, quod Confessarius, nec ex officio, nex ex contractu, nec aliunde teneatur impedire damnum istius tertii, cui restitutio debita est, & consequenter, dum omittit monere non violat jus ipsius, cum tantùm teneatur ex officio procurare bonum spirituale ipsius pœnitentis.

An equidem ille Confessarius non tenetur compensare damna suo pœnitenti, si ipse ex non monitione quædam patiatur?

R. Videtur affirmandum cum Daelman & aliis; quia pœnitens accedit ad Confessarium, ut procuret bonum spirituale sine detrimento temporali. Hoc tamen intellige de casu, ubi Confessarius tacendo culpam committit.

II. Dictum est supra: "in supposito, quod merè omi-"serit," &c. 1°. Quia si pœnitens tanquam dubius de restitutione facienda, Confessarium interroget, et is nil respondeat, ejus taciturnitas reputabitur consilium vel consensus in non restitutionem, adeoque tanquam positivè cooperans ad restitutionem tenebitur tertio.

III. 2°. Quia si Confessarius expressè dicat, non esse restituendum, iterum tanquam consulens aut consentiens ad restitutionem tenebitur: unde debet errorem cognitum dedocere; et si pœnitens interea factus sit impotens ad restituendum, qui alioquin restituisset, tenetur ipse Confessarius restituere; quia consilio suo est efficax causa damni.

IV. 3°. Ob eandem rationem ex justitia obligatur Confessarius, qui pœnitentem culpabiliter obligavit ad restitutionem, ad quam non tenebatur, efficaciter revocare errorem.

4°. Si inculpabiliter dixerit restitutionem non debere fieri ubi debebatur, & debere fieri ubi non debebatur, tenetur ex justitia errorem cognitum dedocere; quia tenetur causam damni inculpabiliter positam revocare, ne aliàs fiat causa culpabilis: non tamen tenetur damnum illatum ante cognitum errorem compensare.

V. Concluditur, Confessarios cautos esse debere in dando consilio, dum agitur de materia justitiæ: ad evitandum autem oblivionem, sequantur monitum S. Caroli Borromæi: "Nec eos Confessores imitentur, qui ubi agitur de restitu-"tione, neque ad finem confessionis de ea facienda cum "pœnitente loqui differunt, unde postea non recordantur."

N. 83. DE CUSTODIBUS SYLVARUM, &c. DAMNUM NON IMPEDIENTIBUS.

I. *Custodes negligentes tenentur ad restitutionem damni illati.* II. *Et quandoque ipsius mulctæ.* III. *De corrumpentibus custodes.* IV. *De famulantibus.*

AN custodes sylvarum, pascuorum, tributorum, &c. tenentur ad restitutionem tanquam cooperantes negativè, si eorum negligentiâ fiat, quod ligna exscindantur, tributa defraudentur, &c.?

I. R. Tales custodes, quorum negligentia est causa damni, peccant contra justitiam ratione officii vel pacti, & contra religionem ratione juramenti præstiti: tenentur etiam ad restitutionem in solidum, deficientibus principalibus.

An etiam tenentur ad restitutionem mulctæ, quam delinquentes solvere debuissent?

II. R. Affirmant Bonæ Spei, Ethica amoris, Collet, &c. negant Sylvius, Lessius, &c. Wiggers, cui adhærent Steyaert & Daelman, rectiùs videtur distinguere; scilicet si mulctæ sint statutæ, non ut puræ pœnæ, sed in ordine ut damna aliqualiter reparentur, tunc custodes tenentur ad restitutionem illarum; quia tunc custodibus injecta censetur obligatio illas conferendi in utilitatem damnum passi, & communiter, ait Steyaert, præsumitur, quod respublica ad mulctas attendat, maximè, dum illæ mulctæ uni tertio elocantur.

Si verò illæ mulctæ constitutæ sint per modum pœnæ, quâ respublica aut Princeps solùm intendit impedire damna; tunc non tenentur per se loquendo ad solvendas mulctas, nisi quatenùs tacendo, vel easdem connivendo, in causa sunt, quod plura damna inferantur.

An liceat custodibus simulare aut se abscondere, ut damnificantes deprehendantur in flagranti delicto?

R. A peccato immunes sunt, si id faciant, ut damnificantes semel in facto deprehensi efficaciùs corrigantur.

III. Qui minis, precibus, datâ pecuniâ, aliove modo corrumpunt custodes, ne suo officio fungantur, fiunt rei

peccatorum, quæ custodes committunt, & insuper peccant peccato scandali, tenenturque de damnis, deficientibus furibus, & ipsis custodibus: custodes autem pecuniam acceptantes à damnificantibus, fiunt causæ influentes in damnum positivè, ut dictum est circa finem Num. 81.

Qui non ex officio vel pacto, sed ex sola charitate rem alienam custodit, & furibus taciturnitatem promittit, sive sit data pecunia sive non, fit etiam causa positiva damni, ut ex eodem Num. citato constat.

Notant hic Salmanticenses & Henno, quòd non sit credibile juramentum custodum se extendere eò usque, ut teneantur etiam quædam minima furantem denuntiare: qua in re consulenda est consuetudo & sensus juramentum petentis. Magis certum apparet, quòd non debeant denuntiare, quando surripiens est in tanta necessitate, ut non possit aliter vitam suam aut suorum servare: sed videndum, an iniquitas non mentiatur sibi.

IV. Prædicta etiam applicabis famulantibus domesticis cum hac exceptione, quòd juxta communiorem opinionem Theologorum, illi tantùm teneantur ex justitia impedire furta extraneorum, & furta aliorum domesticorum solùm ex charitate; nisi fortè res esset specialiter ipsorum custodiæ tradita, aut se specialiter ad illius custodiam obligassent.

N. 84. DE ORDINE RESTITUTIONIS INTER COOPERANTES.

I. *Cooperantes tenentur in solidum, vel pro parte.* II. *Hoc ordine.* III. *Primo loco rei detentor.* IV. *Secundo mandantes.* V. *Tertio executor.* VI. *Quarto quinque cæteræ causæ positivæ.* VII. *Idque sine ordine.* VIII. *Pro rata influxûs.* IX. *Quinto causæ negativæ.* X. *Earum ordo.*

I. PRÆNOTANDUM, quòd non omnis cooperans semper sit causa efficax totius damni, sed aliquando partis tantùm, adeoque tantùm pro illa parte, in quam influxit, ad restitutionem teneatur; qui verò influit in totum damnum obligatur "in solidum," hoc est ad restituendum totum; intelligendo semper, non absolutè, sed velut conditionatè, hoc est, si alii cooperantes deficiant, vel ipse ante alios ad restitutionem teneatur, ut statim videbitur.

An est aliquis ordo restituendi inter cooperantes?

II. R. Affirmativè cum S. Th. quæst. 62. art. 7. ad 2. quia non omnes sunt æque principales in damnificando, sed unus potest esse subordinatus alteri: ergo debent censeri subordinati ordine ad restituendum.

Hic ordo non statuitur secundùm majorem vel minorem influxum, sed secundùm quod aliquis est principalior in facto, ait S. Thomas: unde fieri potest, quòd causa minùs influens quàm altera, teneatur tamen ordine prior ad restitutionem, quàm altera.

Quis est ordo restitutionis inter obligatos in solidum?

III. R. Primo loco, seu ante omnes alios tenetur detentor rei alienæ extantis in se vel in æquivalenti, sive bonâ sive malâ fide acceperit.

Si res aliena nullo modo extet, adhuc primo loco tenetur ille, qui malâ fide eam consumpsit, sive istius rei utilitatem percepit; quia juxta regulam 39. juris in 6. "Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere."

Hinc si plures simul malâ fide rem consumpserint, aut de ejus utilitate participaverint, singuli pro rata suæ partis tenentur primo loco.

Excipe 1°. Si mandans concedat executori rem ablatam, aut ejus partem, in mercedem, qui eam consumpsit, absque eo, quòd inde factus sit ditior. 2°. Si mandans jubeat aliis rem consumere, v. g. herus jubet ovem furtivam consumi a famulis suis: in his & similibus casibus mandans tenebitur primo loco; quia in se suscipere videtur onus restituendi præ cæteris.

IV. Secundo loco tenetur mandans, seu qui vi, fraude, minis, precibus, blanditiis, &c. alterum ad damnificandum induxit in suî gratiam, quia, ut ait S. Thomas, est principalis in facto. Quòd si quis his modis alium induceret ad mandandum, tenetur ipse tanquam mandans mandantis restituere ante alium.

Si executor nomine omnium positivè cooperantium damnum intulit, omnes simul tenentur tanquam mandantes, & executor, quà talis, post ipsos; nisi sit etiam unus illorum, quorum causâ factum est, ut si multi communi consensu in aliquod damnum conspirent, illudque unus nomine omnium exequatur.

V. Tertio loco tenetur executor, quia post mandantem est principalis damni causa, & damnificat mandantis nomine.

VI. Quarto loco, sive post executorem tenentur reliquæ quinque causæ positivæ, scilicet consulens, consentiens, palpans, receptans & participans in actione injusta: ratio

est, quòd hi subserviant executori sicut executor subservit mandanti.

VII. Non videtur in his ullus ordo admittendus contra Danes; sed tenentur æquè primò ad suam partem, quia nullus eorum est causa principalis alteri, nec alteri est subordinatus, nec etiam alteri subservit tanquam ejus instrumentum, sed unusquisque eorum per se in suo ordine agit; sic palpans non est instrumentum consulentis, nec contra.

Potest tamen adhuc fieri, ut unus ex his præ aliis teneatur, ex eo quòd fortè sit mandans respectu aliorum; item fieri potest, ut consulens simul subeat vices executoris: v. g. si Advocatus scienter injustæ causæ patrocinetur, est executor respectu illius, cui consilium dedit, ut talem litem susciperet.

Hinc in casibus quibusdam particularibus bene oportet attendere ad particulares circumstantias, ne à debito ordine aberretur.

An illæ quinque causæ positivæ tenentur omnes æquè multum restituere, ubi omnes ad damnificationem concurrunt?

VIII. R. Negativè, sed quisque tenetur æquè primò *ad* partem damni majorem vel minorem, prout magis vel minùs efficaciter in damnum influxit, quod prudentum judicio moraliter determinandum est.

IX. Quinto loco post omnes causas positivas tenentur causæ negativæ, nempe mutus, non obstans, non manifestans; causæ enim negativæ tantùm tenentur, quia non impediverunt damnum, quod causæ positivæ intulerunt; ergo positivæ tenentur ante negativas.

X. Inter causas negativas communiter hic ordo admittitur, ut mutus & non obstans teneantur ante non manifestantem; quia mutus & non obstans debent per se & immediate damnum avertere: non manifestans verò debet tantùm aliis revelare, ut ipsi avertant.

Hinc custodes & præfecti particulares priùs tenentur quàm generales; quia particularibus incumbit immediatè impedire damna: generalibus autem invigilare tantùm, an particulares debite officio suo fungantur.

"Non obstans" quibusdam videtur prius & strictius obligari quàm "mutus;" quia facto damnum efficacius impediri solet, quam verbo.

Ordo impediendi ob particulares circumstantias quandoque immutatur: unde etiam ordo restituendi inter causas negativas facile inverti potest.

N. 85. ELUCIDATIO QUORUMDAM DICTORUM.

I. *Quid sit teneri primo loco.* II. *Quid secundo loco.* III. *Teneri æquè primò.* IV. *De obligatis æquè primò.* V. *Quid, dum unus cooperans restituit.*

QUID significat teneri primo loco, secundo, tertio, &c. ut Num. præced. dictum est?

I. R. Teneri primo loco, est aliquem sic obligari, ut ante omnes alios restituere teneatur totum, ad quod primo loco tenetur; ac ipso restituente, vel condonationem à domino obtinente, cæteri omnes fiant liberi; uno verò ex cæteris restituente, ipse eidem totum refundere teneatur.

II. Secundo loco teneri significat, quod debeat restituere ante omnes alios tertio, quarto aut quinto loco obligatos, ita ut si ipse restituat, aut remissionem obtineat, liberentur omnes subsequentes; & si quis ex sequentibus restituat, ipse eidem totum refundere teneatur: ille tamen qui primo loco tenetur, si secundo loco obligatus restituerit, eidem totum refundere tenetur in conscientia, licèt in odium delicti negetur actio: item si ei facta sit remissio, non ideo liber est, qui primo loco tenetur.

Eodem modo dicendum de illo, qui tenetur tertio, quarto aut quinto loco.

Quid est teneri æque primò seu eodem loco?

III. R. Est ad restitutionem obligari æquè immediatè, ita ut nullus teneatur in solidum nisi deficientibus aliis ejusdem loci seu ordinis; & nullo deficiente, singuli obligentur ad aliquam partem juxta proportionem sui influxûs; quòd si aliquis eorum deficiat, cæteri simul ejus partem supplere tenentur: si unus eorum totum restituerit, alii tenentur ei suas partes refundere; si uni sit facta remissio, alii non liberantur à suis partibus seu quotis.

Observandum, quòd æque primò teneri non dicatur hoc sensu, quasi singuli tenerentur ad partes æquales: sed singuli tenentur pro rata influxûs, ut dictum est Num. præcedenti.

Quinam sunt illi, qui æquè primò ad restitutionem tenentur?

IV. R. Sunt illi inter quos non est ordo, quod colligitur ex numero superiori, ut sunt, v. g. plures mandantes inter se: item consulens, consentiens, palpans, receptans, & participans in actione injusta inter se.

Ex dictis resolve sequentia. Joannes causa cooperans totum restituit: an cæteri cooperantes sunt liberi?

V. R. Dist. 1°. Si sit ordo inter eos, & Joannes teneatur ante alios cooperantes, hi erunt liberi: v. g. Joannes est consulens, & alii sunt muti, vel non obstantes.

2°. Si alii cooperantes ordine præcedant Joannem, tenentur ei totam restitutionem factam refundere: v. g. alii sunt mandantes, & Joannes tantùm est consentiens.

3°. Si nullus sit ordo inter Joannem & alios, sed omnes teneantur æquè primò, tenentur alii Joanni refundere suas quotas secundùm influxum.

Joannes causa cooperans accepit remissionem restitutionis: an alii cooperantes sunt liberi?

R. Dist. eodem modo: si Joannes sit obligatus, vel remissionem obtinet ante alios, alii sunt liberi: si post alios, alii non sunt liberi; si Joannes teneatur eodem ordine cum aliis, alii non liberantur quoad suam partem, sed tantùm ab eo, quòd amplius non teneantur supplere partem Joannis si ipse deficiat, quam supplere debuissent, si ipsi non fuisset facta remissio.

Tres æquè primò ad restitutionem tenentur: uni fit remissio, secundus partem suam restituere non potest: ad quid tenetur tertius?

R. Tenetur tertius ad restituendam suam partem, & insuper ad mediam partem impotentis. Patet ex dictis.

Ex his colligat Confessarius ad quid obligandus sit pœnitens, qui confitetur se cooperatum esse damno ordine restitutionis secundo, tertio vel pari; scilicet antequam absolvi potest, debet omnino seriò promittere, quòd velit omni viâ urgere præcedentes vel pares, ut restituant: Si autem illud efficere non possit, vel qui priùs aut pari ordine tenebatur non velit, ipse pœnitens defectum aliorum supplere tenetur.

N. 86. DE INJURIIS IN PARTICULARI, ET EARUMDEM RESTITUTIONE.

I. *Ordo honorum & injuriarum.*

POSTQUAM in præcedentibus actum est de injuria ac restitutione in generali, de circumstantiis restitutionis, causis excusantibus, & de cooperantibus injustitiæ, agendum nunc est de injuriis in particulari, idque secundùm varia bona, in quibus homo injuriam pati potest.

Quot sunt bona, in quibus aliquis injuriam pati, & restitutionem exigere potest?

I. R. Reduci possunt ad quatuor classes.

1°. Bona, quæ dicuntur fortunæ seu temporalia, in quibus homo patitur injuriam per furtum & rapinam.

2°. Bona famæ & honoris, quæ violantur per detractionem, contumeliam, calumniam, judicium temerarium, &c.

3°. Bona corporis, quæ læduntur homicidio, mutilatione, stupro, adulterio, &c.

4°. Bona spiritualia tam naturalia, quam supernaturalia, quibus nocumentum infertur seductione fraudulentâ, veneno, maleficio, &c.

De horum bonorum injuria ac restitutione velut à minoribus ad majora ascendentes, agemus primò.

N. 87. DE FURTO ET RAPINA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 66.

I. *Furtum generatim* II. *Dividitur.* III. *Strictè sumptum definitur,* IV. *Et dividitur in simplex & qualificatum.* V. *Furti qualificati sunt quinque species:* VI. *Peculatus,* VII. *Plagiatus,* VIII. *Abigiatus,* IX. *Sacrilegium,* X. *Et rapina.* XI. *Quæ differt specie à furto.*

I. FURTO & rapinâ generatim sumptis comprehendi possunt omnes injuriæ, quas aliquis patitur in bonis temporalibus seu fortunæ, vel in jure ad similia bona: sive dictæ injuriæ fiant aperte sive occulte, sive commissione sive omissione, sive operando sive cooperando.

Quomodo dividitur furtum generatim sumptum?

II. R. Tripliciter: scilicet in "occultum," quod est furtum propriè dictum, "violentum," quod est rapina, & "fraudulentum," quod committitur in contractibus per injustas fraudes & deceptiones. Plura huc reducenda vide in Catechismo Romano ad septimum Decalogi præceptum.

Vox "furtum" igitur accipitur tripliciter, 1°. latissimè ut supra: 2°. latè, prout comprehendit furtum strictè dictum & rapinam; 3°. strictè & proprie, de quo hìc potissimùm agitur.

Quid est furtum proprie & strictè dictum.

III. R. Est occulta acceptio rei alienæ, invito rationabiliter domino.

Dicitur "occulta," scilicet respectu domini vel illorum, qui rem custodiunt, quantum est ex intentione furis, qui intendit accipere rem, domino ignorante.

Dicitur "rei alienæ," & intelliguntur non tantùm res mobiles, sed etiam immobiles, & jura: item sive res spectent ad aliquem jure proprietatis, sive tantùm quoad usum, custodiam, &c.

Dicitur "acceptio," & intelligitur non tantùm ablatio, sed etiam occupatio & detentio.

"Domino," id est ille, cui res aliquo jure subjecta est.

"Invito," sive positivè sive negativè, sive sit invitus simpliciter, sive secundum quid.

"Rationabiliter," id est sic, ut non habeatur justa causa id faciendi independenter à consensu domini.

Quomodo dividitur furtum?

IV. R. In simplex & qualificatum. Simplex est jam definitum: qualificatum est illud, cui adest aliqua qualitas seu circumstantia, ratione cujus augetur ejus enormitas, & bono communi specialiter adversatur.

V. In jure assignantur quinque species furti qualificati, *scilicet* peculatus, plagiatus, abigiatus, sacrilegium, & rapina.

VI. Peculatus est, dum quis aliquid ex bonis publicis furatur, aut in suos usus convertit: tale crimen est surripere ex ærario publico, falsificatio monetæ, rasura pecuniæ, &c. ejus pœna est capitalis.

VII. Plagiatus est, dum quis hominem abducit, ut vendat in servum, prout fecerunt fratres Joseph, Genes. cap. 37. contra hoc crimen statuit Deus Exodi cap. 21. & Deuter. cap. 24. pœnam mortis.

VIII. Abigiatus est, dum furtive abducuntur pecora: ad hoc crimen reducuntur furta instrumentorum necessariorum ad agriculturam: pœna est suspendium.

IX. Sacrilegium est, dum furto aufertur res sacra, vel res profana ex loco sacro, in quo tanquam in asylo vel custodia erat constituta: ad sacrilegium etiam spectat simonia juris divini, item dum solemniter professus aliquid retinet aut recipit sine venia sui superioris: & generatim, dum res sacra convertitur in usus profanos.

Quid est rapina?

X. Est violenta rei alienæ acceptio invito rationabiliter domino.

Violentia consistit in eo, quòd fiat domino aliquo modo præsente & vidente, & superaddit furto injuriam specialem

in personam domini, sive dominus exteriùs renitatur sive non renitatur ob impotentiam, metum aut verecundiam.

An rapina specie differt à furto?

XI. R. Affirmativè: quia licet repugnent virtuti justitiæ eodem modo, nempe per defectum, repugnant equidem sub diversa ratione, cum in rapina interveniat specialis injuria in dominum, propter adjunctam violentiam.

Hinc peccatum rapinæ debet speciatim in confessione exprimi.

N. 88. DE GRAVITATE PECCATI FURTI ET RAPINÆ.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 6.

I. *Furtum & rapina in genere mortalia.* II. *Quandoque venialia.* III. *Quantitas materiæ ad furtum mortale.* IV. *Sufficit stipendium diurnum honesti operarii.*

QUANTUM peccatum est furtum & rapina?

I. R. Sunt peccata ex genere suo mortalia. Probatur ex 1. ad Corinth. cap. 6. ubi dicitur: " Neque fures...... " neque rapaces Regnum Dei possidebunt:" deinde graviter repugnant charitati & justitiæ proximi, tenduntque ad evertendam communem pacem.

Obj. Prov. cap. 6. V. 30. dicitur: " Non grandis est " culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esuri- " entem impleat animam."

R. S. Thom. ad. 1. " dicendum, quod furtum dicitur " non grandis culpa duplici ratione: 1°. Propter necessi- " tatem inducentem ad furandum, quæ diminuit vel tota- " liter tollit culpam, ut infra dicetur. Unde subditur: " ' Furatur enim, ut esurientem impleat animam.' Alio " modo dicitur furtum non esse grandis culpa per compa- " rationem ad adulterium: unde subditur de fure, quòd " deprehensus reddet septuplum: qui autem adulter est, " perdet animam suam."

Quotupliciter potest furtum fieri veniale?

II. R. Præcipue duobus modis, scilicet ex imperfecta deliberatione actûs & ex parvitate materiæ.

Prior modus non facile supponitur in actu exteriori ablationis rei alienæ, sed facilius fieri potest in damnificatione, & in actibus internis.

Ratione parvitatis materiæ furtum, v. g. unius assis est veniale.

Aliqui addunt duos alios modos: 1°. Ex ignorantia leviter culpabili, quòd res sit aliena. 2°. Quòd dominus in materia gravi non sit multùm invitus, vel tantum sit invitus quoad modum accipiendi: verum hi duo modi absolutè reduci possunt ad parvitatem materiæ: quia licèt materia sit in se gravis, in ordine tamen hujus ablationis potest dici levis.

Furtum rei levis potest fieri mortale variis modis, ut postea dicetur.

Quæ quantitas requiritur, ut furtum sit mortale ex parte suæ materiæ?

III. R. Quidam Authores determinant quantitatem respectivè ad personas, quibus damnum infertur, ita ut materia mortalis esse possit, si auferatur à paupere, quæ mortalis non foret si auferretur à divite: verùm hoc hodie videtur antiquatum, & communiter nunc statuitur quantitas absoluta, non respiciendo an persona, à qua aufertur, sit dives, an pauper; ratio est, quòd dives non habeat minus jus in res suas, quàm pauperior, adeoque dum æqualis utrimque quantitas aufertur, eatenus non minùs infertur injuria ditiori, quam pauperiori.

Cum his consistit, quòd pœnitens in confessione exprimere debeat, an a paupere, an a divite rem abstulerit: sed hoc non est ratione furti, sed propter incommoda & sequelas, quæ ex furto in pauperem commisso profluere solent, ut lucrum cessans, damnum emergens, inedia, dolor, &c. verum hæc omnia furto intrinseca sunt.

Si dicas, quòd dives non sit ita invitus quoad furtum, v. g. 24 assium: resp. quòd præsumatur iuvitus proportionatim ad materiam: quòd si constet dominum non esse multum invitum, tunc quidem fieret veniale, ut supra dictum est, sed independenter an dominus sit dives vel pauper.

Quænam quantitas videtur absolutè sufficiens ad furtum mortale ex parte materiæ?

R. Communior & plausibilior sententia habet, quòd sufficiat merces seu stipendium diurnum viri honestâ arte laborantis, id est tres aut quatuor solidi pro hoc tempore & pro hac patria; quia sicut labor diurnus solet æstimari gravis, ita & stipendium correspondens.

IV. Dicitur: "tres aut quatuor solidi;" quia quantitas illa non potest physicè vel mathematicè determinari, sed moraliter tantum: & fortassis ideo latet, ait S. Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. ult. agens de peccatis venialibus: "Ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigres-

"cat." Et Enchiridii cap 17. ait. "Sunt quædam, quæ nescire, quam scire, sit utilius." "Dicitur etiam: "pro "hoc tempore et pro hac patria:" quia ubi pecunia est abundantior vel rarior, major vel minor quantitas requiritur, et quo tempore pecunia hìc erat rarior, minor quantitas sufficiebat, cum respectivè ad illa soleat augeri vel minui stipendium diurnum operarii.

N. 89. DE PALLIIS AUT EXCUSATIONIBUS FURTORUM.

I. *Licet accipere alienum in necessitate extrema.* II. *Postea quandoque reddendum.* III. *Non licet in necessitate communi.* IV. *Nec etiam in gravi.* V. *Propositio damnata.* VI. *Necessitas pascendi animalia.*

DUO sunt præcipui tituli, sub quibus tegi solent furta, scilicet tituli necessitatis & justæ compensationis. Hinc quæritur:

An liceat in necessitate furari, seu potiùs, an liceat accipere alienum propter necessitatem?

R. Oportet distinguere triplicem necessitatem, extremam, in qua periclitatur vita, gravem, in qua periclitatur sanitas, aut status, et communem, quam passim patiuntur pauperes. Vide dicta "de præcepto eleēmosynæ" Num. 144.

I. Licitum est accipere alienum sive occultè sive manifeste, inquantum opus est ad subveniendum necessitati extremæ: ratio est, quòd tunc omnia sint cummunia, ut dictum est Num. 16.

Si id licitum sit ad subveniendum propriæ necessitati extremæ, idem licebit pro necessitate proximi, nisi ipsi possem succurrere ex meis.

Unicus hic casus excipitur, nempe dum per acceptionem alieni, dominus conjiceretur in similem necessitatem.

An censetur esse in extrema necessitate, qui petendo aut mendicando potest suam extremam necessitatem sublevare?

R. Negativè: nemo enim censetur esse in extrema necessitate, qui medio licito potest illam sublevare: nec dici debet istud medium indecorum viro honesto; necessitati enim nil est indecorum: præterea talis prætextus aperiret ostium pluribus furtis et perturbationi reipublicæ.

An ablata ob extremam necessitatem restitui debent?

II. R. Si res ablata transactâ necessitate adhuc extet,

indubiè est restituenda, quia necessitas extrema non confert jus ad rem alienam, nisi in quantum necessaria est ad ipsam sublevandam: unde si ad evitandam mortem usus sis equo alieno, transactâ necessitate, illum reddere debes.

Si res sit consumpta, v. g. vinum, panis, &c. nil restitui debet, etiamsi necessitatem passus ad meliorem fortunam deveniat: excipe, nisi ipse habeat alibi bona, et sic censeatur potiùs rem alienam accipere mutuò; tunc enim reddi deberet, nec talis est in necessitate extrema simpliciter, sed tantùm secundùm quid.

Quid dicendum de necessitate communi et gravi?

III. R. Apud omnes certum est, quod non liceat accipere alienum ob necessitatem communem.

IV. Nec etiam licitum est accipere alienum ob necessitatem gravem qualemcumque distinctam ab extrema; quia ob talem necessitatem bona non fiunt communia: ratio est, quod cum casus gravis necessitatis sint valde communes, facilè sequeretur reipublicæ perturbatio, si tunc alienum surripere foret licitum.

V. Hinc damnata est hæc propositio 36. ab Innocentio XI. "Permissum est furari, non solum in extrema, sed "etiam in gravi necessitate."

Conveniunt tamen Authores peccatum illius, qui ex gravi necessitate furatur, diminui tantò magis, quantò necessitas est major.

Obj. I. S. Thom. non distinguit inter necessitatem gravem et extremam; ergo, &c.

R. Neg. ant. Patet ex art. 7. in "Corp." et ad 2.

Obj. II. Res, quas aliqui superabundanter habent, ex jure naturali debentur pauperum sustentationi, ait S. Thom. atqui id verum est non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate: ergo pauperes, res illas, uptote sibi debitas, accipere possunt in gravi necessitate.

R. Ex argumento sequeretur, quod non solùm in gravi, sed etiam in communi necessitate id liceret, quod nemo dixerit. Deinde dum quis aliquid tenetur alteri dare, non ideo alter potest illud surripere: et maximè hìc, ubi non est debitum justitiæ, sed solius charitatis et misericordiæ.

An rustici tenentur ad restitutionem, quorum pecora tempore belli præ necessitate indifferenter comedunt de pascuis alienis?

VI. R. Danes & Steyaert excusant quidem tales à peccato, sed non ab obligatione restitutionis seu potius solutionis; quia censentur depascere alienum per modum mutui.

Daelman excusat eos a peccato et restitutione hoc titulo, quod sint quasi pars exercitûs, et ita jure belli aliena prata depascantur, sicuti ex his pratis subministratur pabulum equis militum. Id verum est, quando invadunt pascua illorum, qui in bello sunt adversarii: quod si invadant pascua illorum, quibuscum in pace sunt, dici potest, quod interveniat aliquis contractus virtualis et universalis, quo damnificatis relinquitur jus compensationis, ut si fortè ad similem necessitatem devenerint, etiam pecora sua in aliena pascua immittere possint.

Similiter ex conventione generali admitti solet, ut una sylva subministret ramusculos pro conficiendis ligamentis alteri sylvæ, sic ut hæc maneat priori ad similem vicem obligata.

In his et similibus semper cavendum a nocumentis non necessariis: alioquin incurritur obligatio restitutionis.

N. 90. DE RECUPERATIONE SEU COMPENSATIONE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 3 *&* 5.

I. *Compensatio* II. *Est duplex,* III. *Manifesta,* IV. *Et occulta.* V. *Quæ per se semper est illicita.* VI. *Juxta alios per accidens potest esse licita, positis conditionibus.*

QUID est compensatio?

I. R. Dicitur in jure debiti et crediti inter se contributio.

Potest fieri dupliciter, vel tantumdem retinendo, vel tantumdem surripiendo ex rebus debitoris, quantum debitor obligatur.

Quotuplex est compensatio?

II. Duplex, manifesta videlicet et occulta.

Quid est compensatio manifesta?

III. R. Est debiti & crediti inter se contributio sciente debitore: v. g. Joannes debet Petro 100 pro panno, et Petrus debet Joanni 100 pro vino: debitum et creditum compensantur, et satisfactum est utrique.

An compensatio manifesta semper est licita?

R. Si agatur de retinendo rem alteri debitam, eò quod alter mihi æqualem rem debeat, licita est talis compensatio.

Item licitum est recuperare rem suam in flagranti actionis furtivæ, vel quando ea nondum est in loco tuto reposita,

quia id habet rationem justæ defensionis; quinimò plures Authores dicunt, illud etiam licite fieri "cum vi moderata," si res recuperanda in specie extet & aliter recuperari non possit, modò absit scandalum aliaque inconvenientia.

Si verò manifeste accipiatur res ab altero possessa, quia alter rem illam, vel æqualem debet; ordinarie talis compensatio est illicita; quia est contra ordinem juris, & pacis publicæ perturbativa.

Quænam compensatio dicitur occulta?

IV. R. Illa, quæ fit inscio debitore. Potest autem fieri tripliciter: 1°. Recuperando rem suam occulte in individuo ab alio injuste detentam: 2°. Surripiendo occulte a debitore æquivalens rei debitæ, si solvere aut restituere nolit: 3°. Occulte retinendo ex bonis debitoris tantum, quantum mihi debet.

An compensatio occulta est licita?

V. R. S. Thom. art. 5. ad 3. dicit: "Qui verò furtim "accipit rem suam apud alium injuste detentam, peccat "quidem, non quia gravat eum, qui detinet (& ideo non "tenetur ad restituendum aliquid vel ad compensandum) "sed peccat contra justitiam communem, dum ipse sibi "usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso. "Et ideo tenetur Deo satisfacere, & dare operam ut "scandalum proximorum, si inde ortum fuerit, sedetur."

Hinc eam semper esse illicitam sustinet Steyaert, & alii Lovanienses.

Deinde licet læsio ordinis juris quandoque non esset nisi veniale peccatum; aliæ tamen inordinationes graves inde sequi natæ sunt, ut scandala, infamia, periculum duplicis solutionis, periculum frequentis abusûs contra bonum commune, &c. hinc plerique Authores, etiam illi, qui eam licitam defendunt, dicunt eam in praxi periculosam, ac adeo generaliter dissuadendam.

VI. Sylvius tamen, Wiggers, De Cocq, Billuart, Collet, &c. docent eam per accidens posse esse licitam, positis conditionibus sequentibus.

1°. Ut debitum sit certum & liquidum, seu certò constet, rem esse tuam. Item ut sit debitum ex justitia, non ex charitate aut alia virtute.

2°. Ut non possit aliâ ratione, v. g. viâ juris, recuperari, nisi cum gravi detrimento & incommodo.

3°. Ut absit periculum scandali & infamiæ, ne v. g. sic recuperans habeatur ut fur.

4°. Ut caveatur, ne debitor hoc modo bis solvat aut reddat.

5°. Ut accipiatur res eadem in specie si fieri possit, nec fiat injuria tertio, accipiendo rem ejus, v. g. debitori commodatam.

6°. Ut compensatio non fiat ex re debitoris apud creditorem deposita vel commodata; hoc enem prohibent jura cap. BONA FIDES "de deposito:" nec potest fieri compensatio ex re Civitati aut Principi debita, v. g. ex vectigalibus: sic etiam qui condemnatus est ad dandam pecuniam vel quid aliud, non potest uti compensatione.

7°. Ad evadendam difficultatem objectionum, addit Billuart, requiri, ut hæc omnia constent non proprio judicio ipsius compensantis, sed judicio alicujus viri prudentis, ne iniquitas mentiatur sibi.

Verùm tot conditiones & cautelæ, quæ vix unquam adesse omnes possunt, merito arguunt hujus sententiæ infirmitatem: deinde semper militat ratio S. Thomæ, quòd compensans peccet contra justitiam communem, dum ipse sibi usurpat rei suæ judicium, juris ordine prætermisso.

Quidquid sit, certum interim est, famulantes, licèt à parte rei stipendium minus acciperent, quam valet labor, quem subeunt, propterea tamen uti non posse compensatione occultâ, ut constat ex hac propositione 37. damnata ab Innocentio XI. " Famuli & famulæ domesticæ possunt " occultè heris suis surripere ad compensandam operam " suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt." Quod Authores etiam extendunt ad casum, quo famulus coactus fuit ex penuria, &c. pro minori stipendio servire.

N. 91. DE FURTIS MINUTIS.

I. *Furtum rei levis fit grave.* II. *Propter effectum.* III. *Vel ex intentione.* IV. *Vel ex coalescentia materiæ.* V. *Propositio damnata.* VI. *Monitum.*

DICTUM est Num. 88. furtum ex genere suo esse peccatum mortale, posse tamen est veniale ex imperfecta deliberatione actûs, & ex parvitate materiæ.

An furtum semper est veniale, quando materia, quæ aufertur, est levis?

I. R. Negative: potest enim fieri mortale septem modis sicut quodlibet peccatum veniale ex parvitate materiæ fieri potest mortale, ut videri potest Num. 165. " de Ac- " tibus Humanis."

II. Præcipuè tamen furtum leve quoad materiam, fit mortale tribus modis: 1°. Mortaliter peccat auferens materiam levem, habens voluntatem, affectum, aut intentionem auferendi rem notabilem, si occasio adesset.

III. 2°. Peccatur mortaliter toties, quoties quis aufert rem levem intendens per plura minuta furta pervenire ad summam notabilem: sic v. g. qui ex intentione furandi quinque florenos, singulis vicibus abstulisset unum assem, fecisset eatenus 100 peccata mortalia. Ratio est, quòd singula furta proveniant ex intentione mortaliter mala.

Malè proinde resolvit Daelman quæst. 5. observ. 4. quòd talis, licet mortalia peccet ratione intentionis, non committat tamen tot peccata mortaliter, quot committit furta: indubiè enim actus ex intentione mortaliter mala procedens, est peccatum mortale.

IV. 3°. Licet quis nec intentionem habuerit auferendi rem gravem, nec etiam per minuta intenderit pervenire ad summam notabilem, tamen qui ab uno vel etiam a diversis sæpe minuta furatur, peccat mortaliter eo ipso quo advertens, vel advertere potens & debens se pervenire ad materiam notabilem, eandem complet. Unde actus priores erunt peccata venialia ex parvitate materiæ; sed actus, quo completur materia sufficiens ad mortale, erit mortalis; quia ille ultimus actus censetur esse circa materiam gravem, eò quòd priores materiæ coalescant cum ultima, & ita volendo ultimam, interpretativè vult materias priores.

Propter eandem rationem dicendum est, quòd si, v. g. nono furto levi compleverit materiam gravem & mortaliter peccaverit, iterum peccet mortaliter addendo decimum furtum leve, & sic de cæteris. Vide Num. 161. "de Ac-"tibus Humanis," ubi etiam dictum est, quomodo materiæ parvorum furtorum coalescant.

V. Circa hanc materiam damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 38. "Non tenetur quis sub pœna peccati "mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, "quantumcumque sit magna summa totalis."

Ex dictis inferes, quòd caupones, mercatores, aut habentes officinam, qui defraudant in numero, pondere vel mensura, etiamsi singulis vicibus tantùm intendant leve quid furari, singulis tamen vicibus peccent mortaliter; quia intentio illorum est per tales defraudationes pervenire ad summam notabilem.

Quòd si ab initio illam intentionem non habuerint,

peccant equidem singulis vicibus mortaliter, postquam materiam gravem compleverunt.

Dicunt multi Authores, requiri majorem quantitatem materiæ ad esse mortale, dum per minuta furta a diversis vel ab eodem diversis vicibus res auferuntur: sed id rejicit Braunman tanquam in praxi nocivum, quia ad esse mortale sufficit notabilis quantitas absoluta damni, aut rei alienæ, quæ detinetur injuste.

An dum singuli ex pluribus inferunt eidem damnum leve, quod simul sumptum est grave, materiæ coalescant?

R. Negative, nisi sibi mutuo cooperentur. Vide Daelman quæst. 5. "de furto" observ. 4.

An qui summam notabilem per minuta furta accepit, tenetur sub mortali totam restituere?

R. Negative, sed ut sit immunis a peccato mortali injustæ detentionis, sufficit restituere intantùm, ut illud, quod retinet, non sit ampliùs materia gravis.

VI. Notant tamen Authores, id in praxi periculosum: unde Confessarii respectu omnium furum inexorabiles esse debent, & obligare pœnitentes ad restitutionem omnium, etiam minutorum furtorum, ut sic a majoribus efficacius deterreantur.

Quomodò practice procedendum sit cum eo, qui confitetur se furatum, videri potest in schemate 7.

N. 92. DE FURTIS QUORUMDAM IN PARTICULARI.

I. *Furta filiorum-familias.* II. *Quandonam mortalia.* III. *Et quandonam restitutioni obnoxia.* IV. *Furta conjugum.* V. *Furta parentum in filios.* VI. *Furta famulantium.* VII. *Pro alendis pecoribus.* VIII. *Furta Religiosorum.* IX. *Monitum.*

QUID censendum de furtis filiorum-familias ex bonis parentum?

I. R. Si filius quantitatem notabilem surripiat a parentibus graviter invitis, certum est, illum peccare mortaliter.

II. Dicitur "quantitatem notabilem:" quia omnes admittunt, quòd materiæ quantitas hic debeat esse major pro peccato mortali, quam dum aufertur aliquid ab extraneis: cujus ratio est, quod proles habeant quoddam jus remotum in bona parentum, quæ post mortem ad ipsos devolvi debent: item quia parentes non ita solent esse inviti.

Dicitur "a parentibus graviter invitis:" pro quo notandum est, eos vel tantum esse invitos quoad modum surripiendi, vel esse invitos etiam quoad substantiam ablatam.

Si sint tantum inviti quoad modum, admitti solet, quod requiratur major quantitas, ut peccetur mortaliter ex parte materiæ, quam dum sunt inviti quoad substantiam: item admittitur, quod si tantum displiceat modus, non ipsa actio, non oriatur necessitas restitutionis.

III. Dum autem parentes simul inviti sunt quoad substantiam, & quantitas est satis notabilis, non sunt excusandi a mortali filii, nec ab obligatione restitutionis.

Pro similibus attendi debet status parentum, an opulenti, an res ipsis angusta sit, &c. item ætas filiorum & finis, in quem ablata consumunt: consuetudo etiam loci, seu quid parentes talis conditionis in tali loco filiis suis concedere soleant, respicienda est.

Maxime etiam attendendus est modus, quo filius utitur in surripiendo: an v. g. effringendo cistas, contrahendo debita nomine parentum falso sigillo, v. g. recipiendo reditus censuum parentibus debitos, &c.

Practice ut plurimum debent obligari aliquam restitutionem vel veniæ petitionem, etsi parentes tantum inviti forent quoad modum; quia hoc est optimum remedium contra relapsum.

Quod si filius-familias teneatur quid notabile parentibus restituere, & non posset, tunc obligandus est, ut in divisione hæreditatis tantumdem permittat a sua portione subtrahi; nisi parentes valide restitutionem remisissent.

An maritus in uxorem, & vice versâ uxor in maritum furtum committere potest?

IV. Affirmative: ille, si dissipet bona invitâ uxore, quorum dominium spectat ad eam, ut sunt paraphernalia & dotalia: uxor verò in pluribus casibus furtum committit, accipiendo occultè & invito marito bona communia. Videri tamen debet, quænam juxta consuetudinem loci permittantur uxoribus, v. g. ad dandas eleēmosynas, succurrendum pauperibus consanguineis, honestum ornatum, &c. ut dictum est N. 145 "de Charitate."

V. Etiam ipsi parentes quandoque furtum committunt in filios, surripiendo ex bonis Castrensibus, vel quasi-Castrensibus, quorum dominium & administratio ad filios spectat. Vide Num. 10.

VI. Famuli & ancillæ multoties furto peccant, v. g. dum utuntur compensatione occultâ, ut dictum est Num. 90.

Item si operam debitam non præstent, quod etiam pro aliis operariis reflecti debet.

Insuper furto peccant proportionatim ad gravitatem materiæ, dum esculenta & poculenta pretiosa, vel quæ eis negari solent, in suos usus convertunt, nisi præsumi posset consensus domini, saltem quoad substantiam ablatam, v. g. si dominus id sciens non contradicat, vel rogatus facile concedat, &c.

Interim semper graviter solent esse inviti domini, si famulantes similia surripiant ad dandum vel vendendum extraneis: pariter judicant Authores eos graviter peccare, si bona notabilia invitis dominis dent pauperibus.

Circumstantia aggravans in hac materia est, si famulantes absumant rem eorum custodiæ commissam.

Quid censendum de furtis, quæ famulantes committunt ad alenda pecora, v. g. eis dando plus, quam dominus voluit, vel ea quæ dare prohibuit?

VII. R. Ea sunt peccata, & satis familiaria; & si inde causetur damnum notabile in re familiari, est peccatum mortale & obligatio restitutionis.

Si autem pecora intantum meliorentur, ut dandum quasi compensetur, non erunt obligati ad restitutionem, nec tam facile peccabunt mortaliter.

VIII. Religiosi in hac materia fere similes sunt filiis-familias, ita ut furtum committant, si de re quadam invitis superioribus disponant: sed insuper peccant peccato sacrilegii contra votum paupertatis.

IX. Universale monitum Authorum est, in similibus furtis non esse simulandum, ne multiplicentur, etsi constaret dominos tantum esse invitos quoad acceptionis modum; sed aliquam semper restitutionem injungendam aut petitionem veniæ, vel ut diligentiori curâ & operâ malefacta compensent.

N. 93. DE INJURIIS CONTRA HONOREM ET FAMAM

I. *Fama strictè dicta.* II. *Honor* III. *Differt à fama,* IV. *Et à cultu.*

QUID est fama?

I. R. Sumpta in bonam partem prout de ea hìc agitur: “ Est communis plurium bona existimatio ac sermo de “ vita & moribus alicujus.”

Dicitur "communis plurium:" quia opinio aut sermo unius hominis de vita & moribus non reputatur simpliciter fama.

Dicitur "existimatio ac sermo:" 1°. quia fama theologicè & essentialiter sumpta consistit in sola opinione bona & judicio interno: non videtur tamen fama completa, nisi sermone, id est, verbis exterius spargatur & manifestetur. 2°. Quia fama "formaliter" est in existimatione et sermone aliorum, & si alii habeant æstimationem positivam; (v. g. dum actu est communis rumor de probitate alicujus) dicitur "fama positiva;" si autem de aliquo non habeatur rumor malus, nec etiam bonus, dicitur "fama negativa:" ad hanc unusquisque jus habet, donec probetur malus vel defectuosus.

Additur "de vita et moribus alicujus," ad ostendendum, 1°. Quod fama "radicaliter" sit in ipso homine, cujus dicitur esse fama; quia alii existimant in ipso, de quo est fama, esse fundamentum talis famæ seu existimationis, v. g. quod habeat eas virtutes, quas fama ei tribuit: unde patet, quod alia sit fama vera, alia falsa.

2°. Significatur, quod fama principaliter contineat opinionem virtutis, v. g. quod quis sit castus, justus, &c. secundariò opinionem bonarum qualitatum, tam naturalium, ut quod sit docilis, boni ingenii, &c. quam acquisitarum, ut quod sit doctus, dives, &c.

Quid est honor vulgò respectus?

II. R. Est testimonium nostræ opinionis de excellentia alterius aliquo modo præsentis.

Testimonium illud datur inter homines tribus modis: 1°. Per verba honorifica, v. g. vocando Dominum. 2°. Per actus honorificos, v. g. inclinatione. 3°. Per res exteriores, ut per oblationem munerum, erectionem statuæ, &c.

Erga Deum fit testificatio honoris etiam solâ cogitatione; quia est scrutator cordium.

Nota, illam excellentiam consistere, 1°. in virtute, 2°. in aliis perfectionibus, tam naturalibus quam acquisitis, sicuti de fama dictum est: unde etiam honor "radicaliter" est in honorificato, "formaliter" in honorante.

Quomodo differt honor à fama?

III. R. 1°. Quod fama potissimùm consistat in opinione interna plurium de perfectione alicujus; honor in testimonio externo, etiam unius, de excellentia alicujus.

2°. Fama est de absente, honor de præsenti in se aut in alio.

3°. Fama est de perfectione simpliciter, honor de excellentia perfectionis respectivè ad honorantem vel ad alios.

IV. Honor differt a cultu in eo, quod cultus sit honoratio cum submissione honorantis: unde Deus honorat Sanctos, sed eos non colit.

Per quæ læditur honor et fama?

R. Præsertim per hæc tria: honor læditur per contumeliam, sub quæ comprehenduntur irrisio, subsannatio, convicium et improperium.

2°. Fama læditur externè per detractionem, sub qua continentur calumnia et susurratio.

3°. Fama internè læditur per judicium temerarium, sub quo intelliguntur suspiciones & dubitationes temerariæ.

N. 94. DE CONTUMELIA.

I. *Contumelia* II. *Differt à convicio,* III. *Et improperio.* IV. *Item à blasphemia.*

QUID est contumelia?

I. R. Est injusta et aperta alieni honoris violatio. Fit dupliciter: verbis vel factis.

Dicitur "injusta," ut significetur nec contumeliam esse, nec peccatum, si ex justa causa & authoritate alicui objiciantur verba duriora, v. g. propter correptionem aut disciplinam servatis debitis circumstantiis: & hoc modo Christus Luc. cap. 24. V. 25. appellavit Discipulos "stultos "et tardos corde," & Apostolus Galatas "insensatos:" rarò tamen, ut notat S. Thomas art. 2. ad 3. similes objurgationes adhibendæ sunt.

Dicitur "aperta;" quia ut sit contumelia, debet fieri palam personæ præsenti vel quasi præsenti, v. g. dum inhonoratur minister, aut imago alicujus, vel alia res, quatenus ad ipsum spectat. Sufficit etiam, quod persona præsens habeatur in opinione contumeliam facientis, aut quod fiat absenti, eâ intentione, ut ad notitiam illius perveniat.

An contumelia coincidit cum convicio & improperio?

R. Licèt sæpius hæc tria pro eodem sumantur, reipsa tamen distinguuntur.

Contumelia est, dum alicui objicitur defectus culpæ, ut si alicui injuriosè dicas, quod sit fur.

II. Convicium est, dum objicitur defectus culpæ vel pœnæ tam animi, quam corporis: unde exprobans alicui,

quod sit fur, convicium et contumeliam facit; sed objiciens alicui, quod sit illegitimus, stupidus, cœcus, calvus, &c. facit convicium, non contumeliam.

III. Improperium est, dum alicui objicitur sua minoratio vel indigentia, ut si alteri objicias suam paupertatem vel auxilium, quod ei præstitisti in necessitate; sic Eccli. cap. 20. de improperante dicitur: "Exigua dabit, et multa "improperabit."

Putat interim Sylvius, hæc tria vitia quidem differre ex parte materiæ, ejusdem tamen esse speciei: attamen qualitas vitii objecti in confessione exponi debet, quando notabiliter auget dehonorationem.

Quomodo contumelia differt à blasphemia?

IV. R. Sicut genus à specie, seu sicut magis commune a minùs communi; quia omnis blasphemia est contumelia in Deum vel Sanctos, prout habent relationem ad Deum.

Quomodo contumelia differat a detractione, videbitur infra.

N. 95. DE DIVISIONE ET GRAVITATE CONTUMELIÆ.

I. Dividitur in simplicem & detractoriam. II. *Item in formalem & materialem.* III. *Ex genera suo mortalis.* IV. *Quandonam in individuo.* V. *Circumstantiæ attendendæ.* VI. *Dupliciter fit venialis.*

QUOMODO dividitur contumelia?

I. R. Una dicitur simplex, quæ non involvit detractionem, alia dicitur detractoria, quæ continet simul detractionem, v. g. quâ exprobratur crimen occultum, simul lædens famam & honorem.

II. A quibusdam alia dicitur contumelia "formalis," quæ est læsio honoris directè intenta: alia "materialis," quæ continet læsionem honoris, non quidem directè intentiam, sed tamen voluntariam & peccaminosam, v. g. quâ garrulus ex inadvertentia culpabili alienum honorem dilacerat.

Assigna contumeliam sine detractione, & contra.

R. Si quis injuriosè impingat alapam personæ honoratæ, lædit ejus honorem, non famam: et contra, dum quis manifestat defectus occultos personæ absentis, lædit ejus famam, sed non semper honorem. Sæpe interim hæc vitia concurrunt.

Cui virtuti opponitur contumelia?

R. Contumelia sicut et detractio per se repugnat charitati et justitiæ proximi.

An omnes contumeliæ sunt ejusdem speciei?

R. Affirmat Henno de contumeliis simplicibus; quia licet honor sit divisibilis, constat tamen partibus ejusdem rationis. Contrarium sustinere videtur Antoine, aliique.

Quantum peccatum est contumelia?

III. R. Est ex genere suo peccatum mortale; quia, "Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis;" Matth. cap. 5. V. 22. Et ad Rom. cap. 1. contumeliosi ponuntur inter eos, qui digni sunt morte.

Quandonam contumelia est in individuo peccatum mortale?

IV. R. 1°. Quando exprobrans habet intentionem graviter lædendi alterius honorem.

2°. Quando talia objiciuntur, quæ nata sunt lædere graviter honorem proximi, sive adfuerit intentio sive non, modò voluntariè objiciantur, sicuti si quis ex ludo alium incautè graviter percutiens, culpâ non caret, ait S. Thomas.

V. Pro circumstantiis contumeliam aggravantibus, attendi debent:

1°. Intentio contumeliam proferentis.

2°. Qualitas personæ contumeliâ affectæ, an sit superior, an sacra, &c. quia tantò gravior est contumelia, quò persona, quæ inhonoratur, est honore magis digna.

3°. Qualitas contumeliam proferentis, & numerus personarum præsentium.

4°. Aggravatur ratione effectuum, v. g. quod simul lædatur fama, oriantur scandala, quod contumeliam passus provocetur ad gravem iram, blasphemias, odium, &c.

5°. Cum voces non ubique & apud omnes in eadem significatione sumantur, sed eadem vox multò pejus sonet in uno loco quam in alio, hinc pro judicanda gravitate contumeliæ, necesse est, ut attendatur apprehensio hominum illius statûs, conditionis & loci; et ita communis appellatio "stulti" non apprehenditur statim ut graviter contumeliosa: Sylvius, Toletus, Soto aliique excusant a mortali contumelia viros et mulierculas infimæ sortis, qui inter rixas se invicem contumeliis onerant, et quælibet effutiunt: quia nulla aut exigua fides habetur similibus dictis, nec inde graviter lædunt, nec læduntur.

Qui autem habent consuetudinem contumelias effutiendi, aliter tractandi videntur, nec sunt tam facilè absolvendi: ratio est, quod soleant dare scandalum præsentibus, et

illos, quibus contumelias inferunt, exacerbare: sic sæpe graviter peccant parentes, qui proles suas solent appellare patibularios, sagas, meretrices, filios diaboli, &c. effectus probat rem, quia videmus quod proles hinc discant contumaciam, iracundiam, inobedientiam, &c.

Docet S. Thomas quæst. 73. art. 3. ad 2. contumeliam secundùm se esse gravius peccatum, quam detractionem, inquantùm contumelia involvit majorem contemptum proximi; cum tamen fama sit bonum præstantius honore, hinc dum contumelia & detractio considerantur secundùm objecta propria, sic erit detractio gravius peccatum, quam contumelia.

Undenam contingit contumeliam tantùm esse veniale peccatum?

VI. R. 1°. Ex imperfecta deliberatione, v. g. ex semiplena advertentia, vel ex motu iræ secundò-primo.

2°. Ex levitate materiæ, quæ ponderari debet respectivè ad personam lædentem & læsam; quia eadem materia est gravis respectu unius, et levis respectu alterius: sic dum Plebeius vocat Plebeium stultum, erit levis; et *gravis*, si subditus vocet prælatum stultum.

Quæst. 72. art. 2. ad 1. docet S. Thom. posse esse sine peccato et pertinere ad Eutrapeliam, quod dicatur aliquod leve convicium, non ad dehonorationem nec contristationem ejus in quem dicitur, sed joci aut delectationis causâ, si debitæ circumstantiæ observentur.

Loco sit. art. 4. docet contumeliam magis oriri ex ira, sicuti detractio oriri solet ex invidia: unde efficacissimum remedium contra contumeliam & detractionem est cavere ab ira, vindicta & invidia.

Quo sensu dicit Christus, Matth. cap. 5. V. 22. "Qui "dixerit (fratri suo) fatue, reus erit gehennæ ignis?"

R. Intelligi debet, dum attentis circumstantiis & qualitatibus facti, personæ, astantium, &c. censetur inde honor ac fama alterius notabiliter lædi; & præsertim dum compellatio procedit ex gravi odio vel aversione proximi.

N. 96. DE RESTITUTIONE EX CONTUMELIA.

I. *Restitui debent honor læsus aliaque damna.* II. *Modi reparandi honorem.*

AD quid obligatur, qui alteri contumeliam intulit?

I. R. Ad resarcienda damna inde alteri exorta: damna autem illa sunt, 1°. læsio honoris:

2°. Quandoque læsio seu damnum famæ.

3°. Damnum in bonis fortunæ vel corporis: utì etiam est dolor & alienatio animi illius, qui contumeliam passus est.

Quomodo restitui debet honor læsus?

R. Si honor sit læsus privatim, seu inter quatuor oculos, sufficit illum privatim reparare: si verò sit publicè coram aliis læsus, vel saltem aliis innotuerit, etiam publicè coram aliis est reparandus, ut diminutio dignitatis personæ læsæ resarciatur in opinione eorumdem, apud quos læsus est.

Quomodo, qui contumeliam intulit, hoc præstabit?

II. R. 1°. Per signa honoris, benevolentiæ, &c. v. g. alium invitando, honorificè appellando, &c.

2°. Per confessionem suæ ignorantiæ & exhibendo debitum honorem, quod præcipuè usuvenit, dum quis ex ignorantia læsit honorem: ita fecit Paulus Act. cap. 23.

3°. Per signa humiliationis, submissionis vel doloris, v. g. petendo veniam, aut excusationem: qui modus observari debet ab inferioribus respectu superiorum, & valde conveniens est inter æquales: rarò autem superiores tenentur veniam petere à subditis: "Ne (ait S. August.) "dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur au-"thoritas;" sed hoc supplere possunt per publica signa benevolentiæ et æstimationis.

4°. Si modis prædictis honor restitui non possit, offerri potest compensatio per pecunias, aliosve favores.

Cæterùm quis modus ex præscriptis hìc & nunc necessarius sit vel sufficiens, relinquitur prudentiæ Confessarii.

Idem modi serviunt pro reconciliatione proximi & satisfactione personæ offensæ per derisionem, subsannationem, &c.

Ad quid tenetur, qui omittit honorem debitum præstare?

R. Si in illa omissione involvatur contumelia interpretativa, tunc tenetur, ut supra: si verò sit mera & simplex omissio honoris, non tenetur ad restitutionem; quia tantùm læsa est virtus observantiæ.

Notant Authores, quod quamvis parentes non exigant summo jure restitutionem a prolibus de contumelia non ita gravi, expediat tamen, ut Confessarii satisfactionem injungant inquantùm possunt; quia est remedium efficax contra relapsum.

N. 97. DE DERISIONE.

I. *Derisio.* II *Fit variis modis.* III. *Ejus gravitas.*

QUID est derisio?

I. R. Est vitium, quo quis jocando objicit alteri aliquod vitium, ut erubescat.

Dicitur "jocando," & ita quoad modum distinguitur à detractione, contumelia, &c. quæ fiunt seriò.

Dicitur etiam "ut erubescat," quo denotatur finis ac objectum formale derisionis.

Derisio itaque tollit tranquillitatem animi, & parit erubescentiam: & hinc patet, esse speciale peccatum, cùm distinctum habeat finem à fine contumeliæ & detractionis.

Derisio, sicut fit variis modis, ita variè nominatur:

II. 1°. Quæ fit ore, verbis, aut cachinnis, dicitur "irrisio:" sic milites irridebant Christum Dominum, Luc. cap. 22. V. 64. dicentes: "Prophetiza, quis est, qui te "percussit?"

2°. Si fiat rugato naso, exerendo linguam, contorquendo caput, &c. dicitur "subsannatio:" sic Judæi subsannârunt Christum in cruce, Marc. cap. 15. V. 29. "mo-"ventes capita sua."

3°. Si fiat factis, dicitur "illusio," & sic milites, Matth. cap. 27. V. 29. "genu flexo" ante Christum "illudebant ei."

Hi modi tamen specie non differunt; quia conveniunt in eodem fine & objecto formali.

Quantum peccatum est derisio?

III. R. Esse aliquando peccatum mortale, probatur ex Prov. cap. 19. V. 29. ubi dicitur: "Parata sunt deriso-"ribus judicia:" & Proverb. cap. 3. V. 34. "Ipse" (Deus) "deludet illusores." Contingit autem illam esse mortalem simili modo, quo de contumelia diximus Num. 95.

Gravissimum peccatum est, ait S. Thom. q. 75. art. 2. irrisio Dei: secundum locum tenet irrisio parentum: unde Proverb. cap. 30. V. 17. "Oculum, qui subsannat "patrem, effodiant corvi."

Tertio loco justorum derisio gravis est, quando est de virtute ipsa, & simplicitate justi, soletque esse valde nociva, utpote homines à bene agendo avertens: exemplum habetur in Anna uxore Tobiæ senioris cap. 2. V. 22. & in uxore Job cap. 2. V. 9.

Etiam derisio erit peccatum mortale, dum proximum notabiliter offendit & pudefacit, vel alios defectus causat, quales notantur Proverb. cap. 22. V. 10 "Ejice deriso- "rem, et exibit cum eo jurgium, cessabunt causæ et con- "tumeliæ."

Periculosum etiam est, alterum de levi malo deridere, qui prævidetur inde graviter perturbandus.

Aliàs derisio de levi malo aut defectu, neque multùm offendens, sæpe venialis est: imò nullum erit peccatum, si fiat "moderatè," ut derisus à peccato resipiscat; item si amici sine periculo offensionis sibi invicem quædam levia jocando objiciant recreationis causâ.

Sed attendendum est, utrùm non adsint tales, qui libenter alios derident, & ad minimam suî derisionem excandescunt.

N. 98. DE DETRACTIONE.

I. *Detractio,* II. *Est occulta,* III. *Et injusta.* IV. *Alienæ famæ denigratio.* V. *Differet specie à contumelia.* VI. *Ejus divisio.* VII. *Pro praxi.*

QUID est detractio?

I. R. Est occulta et injusta alienæ famæ denigratio seu læsio.

II. Dicitur "occulta," saltem respectu illius, cui detrahitur, quantum est ex intentione detrahentis et sic distinguitur à contumelia.

III. Dicitur "injusta," eodem modo, quo dictum est de contumelia, Num. 94.

IV. "Alienæ famæ denigratio seu læsio," ut significetur, quod fama non debeat tota tolli, sed sufficiat, quod minuatur vel obscuretur: quantòque plus de fama minuitur, tantò majus est detractionis peccatum.

Notari tamen debet, quod ut quis sit reus peccati detractionis, non debeat fama actu esse diminuta, sed satis sit, quod ille per verba infamantia aut aliter posuerit causam, licèt infamia per accidens non sit secuta.

Quomodo det actio differt a contumelia?

V. R. Præcipuè dupliciter: 1°. Quoad modum, quod detractio fiat occultè, et contumelia apertè: 2°. Penes objectum; quia contumelia directe lædit honorem, et detractio famam. Ex quibus patet, detractionem specie differre a contumelia.

Quomodo dividitur detractio?

VI. R. Eodem modo ut contumelia. Unde vide Num. 95.

An omnes detractiones sunt ejusdem speciei?

R. Id controvertitur sicut de contumelia. Qui negant, dicunt famam constare partibus inter se specie distinctis, ita ut pars famæ, quâ quis reputatur "castus," specie differat a parte famæ, quâ dicitur "justus," adeo ut lædens famam in dictis materiis duplex specie peccatum committeret.

Huic respondent, qui affirmativam partem sustinent, quod defectus pudicitiæ et justitiæ, considerati in ordine ad læsionem famæ, se habeant pure materialiter, sicut species argenti vel auri se habent materialiter ad furtum commissum.

VII. Quidquid sit de ista speculatione, omnes admittunt pro praxi, unam detractionem esse notabiliter graviorem alterâ; ac adeo in confessione exponendum esse, in qua materia et quomodo detractio commissa sit.

N. 99. DE GRAVITATE DETRACTIONIS.

I. *Est peccatum mortale ex genere.* II. *Variè augeri potest.* III. *Fit dupliciter veniale.*

CUI virtuti repugnat detractio?

R. Repugnat charitati et justitiæ commutativæ.

Quantum peccatum est detractio?

I. R. Est ex genere suo peccatum mortale: dicitur enim Proverb. cap. 24. V. 9. "Abominatio hominum detractor;" & ad Rom. cap. 1. "Detractores contumeliosi" dicuntur "digni morte." Item "detractores Deo odibiles."

II. Gravitas detractionis multis modis augeri potest; ac 1°. quo defectus, qui manifestatur, est magis probrosus.

2°. Quo persona, cui detrahitur, est dignior, maximè si fama ejus sit aliis necessaria vel utilis, ut si Pastor: item quo detrahens magis obstrictus est personæ læsæ, v. g. si filius detrahat parentibus.

3°. Quo defectus vel crimen, quod revelatur, magis divulgari natum est, v. g. si detrahatur coram garrulis, vel per libellos famosos, quod etiam in foro externo graviter solet puniri.

4°. Eo gravior est, quo magis est persuasiva, ut dum detrahens affectat sincerè et prudenter loqui.

5°. Quo majora mala ex ea resultant, ut si infamia redundet in communitatem aut familiam, filia impediatur a convenienti matrimonio, operarius rejiciatur ut minùs fidelis, &c.

6°. Quo plures fuerunt præsentes, qui audierunt detractionem.

7°. Quo finis detractionis est magis perversus: hinc qui detrahit ex odio vel invidia, magis peccat, quam qui ex garrulitate.

8°. Cæteris paribus etiam graviùs peccat, qui falsum imponit, quam qui revelat verum.

Undenam contingit detractionem esse peccatum veniale?

III. R. Ex imperfecta deliberatione et ex levitate materiæ.

Circa imperfectam deliberationem certum est, posse fieri venialem, v. g. ob ignorantiam aut inadvertentiam non graviter culpabilem: verùm maximè attendi debet, an detractio non sit voluntaria in causa, quod sæpe locum habet respectu garrulorum et garrularum, qui propterea non facilè a mortali sunt excusandi.

Quomodo detractio fit venialis ob levitatem materiæ?

R. Quando ipsa est tantùm leviter nociva famæ illius, cui detrahitur.

Ad hoc cognoscendum videri debet, quid et quo sensu, sive quâ intentione dictum sit, item de quali homine dictum sit, an sit integræ famæ in illa materia, an sit respectu ipsius leviter vel graviter probrosum, an communiter ut leve soleat accipi. Plura collige ex sequentibus.

N. 100. DE MATERIA DETRACTIONIS.

I. *Materia detractionis* II. *Est peccatum probrosum.* III. *Etsi tantum veniale.* IV. *Vel materiale.* V. *Item defectus probrosi.* VI. *Nomina generalia.* VII. *Et vitium in genere.* VIII. *Debet res esse probrosa illi, cui detrahitur.* IX. *Item respectu audientium.* X. *Attendenda.* XI. *Casus primus.* XII. *Casus secundus.*

QUIDNAM vocatur materia detractionis?

I. R. Omne illud, ex cujus manifestatione sequitur injusta alienæ famæ ablatio vel diminutio.

Dupliciter dividi potest materia detractionis: scilicet in illam, quæ versatur circa delicta, seu peccata probrosa; et 2°. in illam, quæ versatur circa defectus probrosos, sive voluntarii sint, sive involuntarii.

II. Igitur, ut peccatum sit materia gravis detractionis, debet esse graviter probrosum, v. g. dicere de honesta filia, quod sit fornicata.

III. Et quidem peccatum veniale potest esse materia gravis, quando nempe reputatur graviter probrosum, ut si quis diceret Pontificem vel Episcopum esse mendacem, seu habere mentiendi consuetudinem.

IV. Eodem modo peccatum tantùm materiale, quando connotat defectum aliquem graviter probrosum, potest esse materia gravis: et ita graviter detraheret, qui diceret de filia honesta, quod violentum omnino stuprum sit perpessa; quia hoc facto multò vilior habetur.

Quando autem peccatum non habetur ut graviter probrosum, tunc, etiamsi sit mortale, est tantùm materia levis detractionis, v. g. si quis de plebeio in hac patria diceret, quod fuerit ebrius.

Nota hic contra quosdam rudiores nil excusare, sive peccatum sit vere commissum, atque defectus vere subsistat, sive non: licèt enim dicatur verum, adhuc fama alterius læditur injustè, quamdiu occultum est, quod revelatur.

Et hoc adeo verum est, ut sit pura detractio, dum sine causa revelatur alterius crimen occultum, licèt alter ob illud crimen incurrisset infamiam juris: talis enim adhuc *jus habet*, ut non reputetur palam malus, qui nihil palam mali gessit.

Quinam defectus dicuntur esse materia detractionis?

V. R. Quicumque defectus occulti probrosi, quales sunt defectus natalium; quod quis sit illegitimus, spurius, quod habeat notam infamiæ in familia, quod propinquus ejus sit v. g. suspensus.

Inter defectus hìc etiam computabis revelationem, quâ quis dicitur carere bonâ qualitate, v. g. dicendo: non est tam pius, non est tam doctus, tam modestus, &c. imò ipsa taciturnitas de aliquo quandoque importat defectum, ut videbitur infra.

VI. Nomina generalia vitiorum etiam sunt materia detractionis, v. g. dicendo: est avarus, libidinosus, iracundus, superbus, &c. debet tamen distingui significatio vocis: quia quandoque nomen generale tantùm sumitur pro propensione ad actum sine actu, et hoc non est ita probrosum, v. g. dicere: est iracundus, sed iram moderatur. Aliquando nomen generale importat frequentiam actuum, quod magis probrosum est, v. g. "est libidinosus."

VII. Gravis sæpe materia detractionis est in his et similibus modis; "Si vellem dicere quæ scio, ipsum pudore "afficerem. Novi aliquid, quod nemo de illo suspicaretur. Multa scio, sed tacere jubet charitas." Talia

dicta ordinariè magis nocent famæ, quam si defectus aut vitium in particulari explicaretur; quia præbent ansam suspicandi quæcumque probrosa obvia in particulari, quorum forte nulla subest ratio.

Quomodo illa, quæ sunt materia detractionis, debent esse probrosa?

VIII. R. Ex dictis habetur, quod manifestatio criminis vel defectûs sic debeat esse probrosa, ut bona existimatio de tali homine sit nata lædi in animis audientium.

Ex quo sequitur, quod materia detractionis debeat esse probrosa: 1°. Illi, cui detrahitur, reddens eum in æstimatione viliorem.

IX. 2°. Respectu illorum, qui detractionem audiunt, ita ut mutare nata sit bonam æstimationem, quam habent de alio.

Hinc volens judicare de gravitate detractionis, debet attendere:

X. 1°. Locum ubi dicitur; quia v. g. in Italia ebrietas est probrosa, libido non item; in Belgio contrarium est.

2°. Conditionem persônarum, tam detrahentis, quam illius, cui detrahitur; quia quod uni est probrosum, v. g. Sacerdoti, Prælato, &c. non ita est respectu alterius, v. g. Laici, aut hominis communis sortis. Item quod asseritur ab uno, qui noscitur mendax, non tam multùm lædit famam, quam quod asseritur a viro gravi.

3°. Similiter oportet attendere mores temporis, secundùm quos aliquid, quod jam est graviter probrosum, olim non fuit tale, vel è contra. Pro cæteris circumstantiis vide dicta "de Contumeliis" Num. 95.

Joannes detrahit, et erroneè putat esse graviter probrosum, quod communiter et ab audientibus reputatur leviter probrosum, quomodo peccat?

XI. R. Peccat graviter ex conscientia erronea, sed non tenetur sub gravi ad restitutionem.

Joannes detrahit, et ipse cum auditoribus rectè judicat esse tantum leviter probrosum, quod tamen unus vel alter auditor ex sua simplicitate ut graviter probrosum accipit: quomodo peccat Joannes?

XII. R. Videtur tantum peccare leviter; quia non dependet ab opinione unius vel duorum, an aliquid sit graviter vel leviter probrosum, sed ab opinione communi hominum: sicuti non peccaret mortaliter fur unius assis, licet aliqui judicarent assem esse materiam gravem.

No. 101. UNDENAM CESSET INJUSTITIA DETRACTIONIS?

I. *Cessat injustitia detractionis.* II. *Si infamandus consentiat.* III. *Si amiserit jus ad famam.* IV. *Si adsit justa causa.* V. *Triplex publicitas :* VI. *Juris,* VII. *Facti,* VIII. *Et famæ.*

I. RESP. Injusta non erit detractio, consequenter nec detractio propriè dicta, si adsit unum ex istis tribus:

II. 1°. Si proximus non sit invitus, quod ejus fama lædatur, vel consentiat in ipsam læsionem; sic dicebantur Patres Societatis Jesu consentire, ut peccatum sive defectus eorum immediatè denuntiaretur superiori sine prævia monitione fraterna.

III. 2°. Quando proximus amisit jus ad famam pro tempore & loco, ubi revelatio fit: v. g. si crimen proximi sit vere publicum.

IV. 3°. Si aliquid reveletur ex justa & rationabili causa: sic non tantùm licitè, sed etiam ex obligatione revelatur & denuntiatur Confessarius, qui solicitavit pœnitentem ad turpia.

Ratio primi est, quod homo sit dominus suæ famæ; adeoque possit consentire in suî diffamationem.

Hoc tamen non licet sine justa causa; quia præcipit Ecclesiasticus cap. 41. V. 15. "Curam habe de bono "nomine:" unde nec licet infamare consentientem sine justa causa. De infamatione suî postea latiùs agetur.

Quomodo quis amittit jus ad suam famam?

R. Id fit aliquando per publicitatem criminis aut defectûs.

Quotuplex est hæc publicitas?

V. R. Distingui debet triplex, scilicet publicitas "juris, facti & famæ, seu communis rumoris."

VI. Publicitas "juris," est notitia, quæ habetur ex sententia lata a Judice, vel ex confessione aut convictione nocentis, facta in judicio.

Dicitur "in judicio;" quia confessio aut convictio nocentis, quæ fit extra judicium, non facit publicitatem juris, sed quamdam publicitatem facti.

VII. Publicitas "facti" dicitur, quando delictum ita est commissum, vel defectus ita est expositus, ut moraliter loquendo occultari vel ignorari non possit, v. g. quando crimen est patratum publicè in foro vel in alio

publico; ut incestus adulterinus Absalonis 2. Reg. cap. 16. V. 22.

Dicitur etiam publicum seu notorium facti, quando indicia de crimine commisso sunt tam vehementia, ut illud a communitate ignorari non possit, v. g. si quis domi retineat mulierem suspectam, & ejus proles alat.

Notari semper debet, quousque notorium facti se extendat, aut restringatur; quia haberi potest, v. g. respectu unius collegii tantum, respectu unius familiæ, vel viciniæ tantum, respectu unius parochiæ tantum, vel respectu omnium unius tractûs aut regionis.

VIII. Publicum seu notorium famæ sive rumoris (ut distinguitur contra notorium juris & facti) dicitur id, quod ex relatione pervenit ad majorem partem communitatis, vel saltem ad tot personas communitatis, ut moraliter impossibile sit impedire, ne perveniat ad majorem partem communitatis: dicitur etiam "publicum per injuriam."

N. 102. DE PUBLICITATE EXCUSANTE.

I. *Excusat publicitas sententiæ publicè denuntiatæ.* II. *Exceptio.* III. *Non semper excusat confessio aut convictio rei.* IV. *Aut publicitas facti.* V. *Exemplum.* VI. *Publicum per injuriam.* VII. *Publicitas habet tempus.* VIII. *Sæpe peccatur contra charitatem.*

QUÆNAM publicitas abstergit injustitiam detractionis?

I. R. 1°. Publicitas juris "denuntiatâ publicè sententiâ," facit ut revelatio criminis non sit contra justitiam, quovis loco manifestetur; quia per talem sententiam reus privatur jure ad famam pro omni loco: Judex enim reum punit publicè, ut sit aliis ad terrorem; & ita intendit eum spoliare famâ omni loco, quod licitè potest, sicuti quandoque licitè spoliat vitâ.

Dicitur "sententiâ publicè denuntiatâ;" quia si sententia sit lata secretò vel intra certum collegium aut conventum, erit contra justitiam idem facinus revelare extraneis; quia sic condemnatus servat jus ad famam pro extraneis, & sæpe talis revelatio detraheret ipsi communitati.

II. Nota, etiam per accidens fieri posse, prædictam revelationem esse contra justitiam, etsi sententia publicè lata sit: 1°. Si tertia persona innocens inde diffametur; casus est: Joannes habet fratrem habitantem loco procul dissito, ad quem infamia Joannis non erat perventura;

sed aliquis infamiam Joannis illic spargit, unde ejus frater infamatur. 2°. Si ipse diffamatus vel quis tertius ex ulteriori revelatione detrimentum injustè patiatur.

III. R. 2°. Si juris publicitas proveniat non ex sententia publicè lata, sed ex confessione aut convictione nocentis in judicio, non erit contra justitiam illud detegere in eodem loco, vel in alio vicino, quo ejus notitia inevitabiliter erat perventura: in aliis autem locis id revelare est contra justitiam.

Ratio est, quod talis reus adhuc retineat jus ad famam, cum illo jure necdum sit privatus per publicam authoritatem: unde talis infamia tantùm est effectus confessionis, convictionis, incarcerationis, &c. quæ non magis jus ad famam tollunt, quam ipsa facti notorietas.

IV. Eodem modo si quid notum seu publicum sit notorietate "facti," non est contra justitiam illud ulterius revelare ipso in loco, vel in locis vicinis, quo inevitabiliter erat perventura illa notitia: in aliis autem locis id divulgare, est contra justitiam; quia talis non aliter amittit jus ad famam nisi inquantùm facto suo publico juri isti renuntiasse censetur: hinc jus ad famam non amittit, nisi inquantùm notorietas facti postulat.

Qualis est species publicitatis, quod aliquis de familia sit, v. g. publicè flagellatus?

V. R. Respectu flagellati est publicitas juris per sententiam publice latam.

Respectu aliorum de familia non est nisi publicitas facti, ad quam Judex se habet permissive, cum sint innocentes: unde alibi manifestare, quod consanguineus talis vel talis sit flagellatus, est vera detractio & contra justitiam, si illud ibidem non sit de tali inevitabiliter publicum.

VI. R. 3°. Si aliquid sit publicum famâ seu per injuriam, dicendum est, certò esse contra justitiam, dum talis infamia spargitur in locis, ubi res occulta est, idque sive injustus rumor istam infamiam ad illa loca erat divulgaturus, sive non; quia talis per crimen vel defectum occultum non amittit jus ad famam, nec famæ censetur renuntiare.

Imò juxta Steyaert, De Cocq, Daelman, &c. contra justitiam est crimen vel defectum injuriâ publicum narrare in eodem loco "nescientibus:" quia hoc nil aliud videtur esse, quam continuare & augere injuriam a primis detractoribus illatam. Oppositum sustinent Lessius, Heriacx, & Peringuez.

Dictum est "nescientibus;" quia illud narrare iis, qui jam noscuntur illud scire, per se non est illicitum; nisi forte per novam relationem reddantur certiores, aut nova gravis circumstantia addatur.

Intelligi etiam debet de crimine aut defectu a parte rei subsistente; nam extra controversiam est, non licere ulteriùs divulgare crimen vel defectum alicui falsò impositum.

An licet omni tempore referre illud, quod est, aut fuit publicum?

VII. R. Tempus eodem modo distingui debet, sicut jam distinctus est locus, ubi aliquid publicum est, nimirum 1°. Si quid publicum fuerit per sententiam publice latam, videtur illud esse publicum pro omni tempore, saltem ut non sit contra justitiam illud referre quovis tempore.

2°. Si alio modo sit publicum "juris" vel "facti," tantùm videtur esse publicum pro eo tempore, quod importat ipsa publicitas, non pro alio: sicut publicum loci tantùm est publicum pro eo loco, quem ipsa publicitas moraliter afficit.

3°. Sicut publicum per injuriam non censetur publicum pro ullo loco, ita nec censetur publicum pro ullo tempore.

VIII. Nota, in præcedentibus tantùm actum fuisse, an revelatio criminis vel defectûs publici sit contra justitiam; sæpissime enim illicita est, quia est contra charitatem, quam malitiam quisque facilè intelliget, si consideret hanc regulam: "Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris."

N. 103. DE JUSTIS CAUSIS REVELANDI OCCULTA.

S. Thom. quæst. 73. *art.* 2. *in Corp.*

I. *Justæ causæ revelandi.* II. *Zelus justitiæ.* III. *Justum præceptum.* IV. *Bonum fidei vel Religionis.* V. *Bonum commune.* VI. *Bonum privatum delinquentis.* VII. *Quandoque bonum privatum tertii.* VIII. *Sub certis conditionibus.* IX. *Exempla.* X. *Aliquando præceptum est revelare.*

AN aliquando licitum est detegere aliqua occulta infamantia?

I. R. Affirmativè: quia datur bonum altioris ordinis & rationis, quam bonum famæ, potissimùm alicujus privati; unde concludit S. Thom. "Si quidem verba, per quæ

"fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod "bonum, vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio."

Ob quas causas licet revelare occultum aliquid infamans?

II. R. 1°. Licet ex zelo justitiæ crimen verum et justè puniendum deferre ad legitimum Judicem: sic etiam potest Judex, servato juris ordine, occulta subditorum peccata manifestare.

III. 2°. Licet ob justum præceptum superioris: sic juxta Bullam Gregorii XV. potest, imò debet pœnitens denuntiare Ordinario loci Confessarium, qui pœnitentem in confessione vel occasione confessionis solicitavit ad turpia, vel cum pænitente illicitos & inhonestos sermones habuit, quod non judicaretur semper licitè fieri posse, omisso ordine correptionis fraternæ, nisi præceptum foret. Circa hanc causam vide N. 216 & 217. "de Sacram, "Pœnitentiæ."

Præterea allegantur sequentes casus, in quibus tamen, si tempus permittat, observari debet ordo correptionis fraternæ.

IV. 3°. Licet, si crimen vel defectus vergat in detrimentum fidei vel religionis, ut si quem noveris suspectæ doctrinæ, qui occultè spargat hæreses, vel hominem luxuriosum, aut aliter vitiosum, qui aspirat ad Ordines Sacros, poteris superioribus revelare vitia, quibus ille in ordinibus constitutus scandalo Ecclesiæ vel detrimento foret.

V. 4°. Licet, si vergat crimen in detrimentum reipublicæ sive communitatis, v. g. si quis velit prodere patriam: sic Mardochæus lib. Esther c. 12. detexit conspirationem Bagathæ & Tharæ adversùs Regem.

VI. 5°. Quando revelatio delicti vel defectûs tendit efficaciter ad procurandum bonum ipsius delinquentis, vel ad evitandum malum ejusdem; sic tamen ut effectus bonus ex revelatione proveniens prævaleat effectui malo ex eadem revelatione secuturo, hoc est detrimento famæ: hinc licitè manifestantur peccata filiorum parentibus, et subditorum superioribus, ut efficaciùs emendentur: sic etiam licitè cum quadam infamia adhibentur testes in correptione fraterna.

VII. 6°. Licitè aliquando revelatur occultum infamans, quando crimen vel defectus tendit ad damnum spirituale vel temporale alicujus particularis, nisi detegatur; quia bonum etiam privatum innocentis præferri potest bono privato nocentis.

VIII. Ut tamen id liceat, requiritur: 1°. Ut malum

immediate ex alterius crimine sequatur, id est, ut ipsa criminositas occulta sit nociva vel nocitura.

2°. Ut detrimentum non possit aliter impediri, & per revelationem prudenter prævideatur impediendum.

3°. Ut bonus effectus, seu malum, quod sic avertitur, compenset effectum malum, seu infamationem proximi.

4°. Ut non plus nec pluribus manifestetur, quam necessarium est ad impedienda mala.

IX. Hinc sub præmissis conditionibus, licet secundùm Steyaert aliosque communiter monere patrem-familias de furacitate aliisve vitiis famuli & ancillæ vergentibus in damnum spirituale vel temporale familiæ.

Item sic licet indicare puellæ occulta vitia juvenis, et e converso, si inde gravia mala immineant, casu quo matrimonium ineatur, præcipue si sit periculum damnationis animarum.

Sic etiam licet monere aliquem, ut vitet consortium perversi hominis; ne ipse pervertatur, uti fecit Christus manifestans hypocrisim Pharisæorum ad cautelam audientium.

Pariter si quis te falsò infamet, vel in judicio accuset, licitè detegis ejus occulta mendacia & perjuria, ut probes eum esse calumniatorem, fidemque non esse adhibendam ejus dictis: non potes tamen alia ejus crimina revelare, uti multi nimis laxe docuerunt, de quibus Steyaert in appendice ad Wiggers Tom. 1. ratio est, quod non plus liceat manifestare, quam necessarium est ad impedienda mala, ut supra dictum est: hinc crimen vel defectum revelare non licet, si aliter malum avertere possis, v. g. simpliciter dicendo, talem esse indignum, ineptum, &c. vel etiam dissuadendo, ne talis ad officium, beneficium, &c. assumatur.

An aliquando est præceptum revelare occulta infamantia?

X. R. Affirm. præcipue in his casibus. 1°. Dum aliquis ex officio vel præcepto superioris denuntiare tenetur, ut de Confessario solicitante.

2°. Dum crimen vergit in detrimentum fidei, Religionis aut Reipublicæ.

3°. Dum vergit in damnum spirituale ipsius delinquentis aut alterius.

4°. Dum crimen cedit in damnum etiam tantùm temporale innocentis notabiliter gravius, quam jactura famæ.

Attendi tamen debent conditiones supra positæ, item conditiones præcepti correptionis fraternæ, præcipue ut sine gravi incommodo proprio revelare possit.

N. 104. QUIDAM CASUS CIRCA REVELATIONEM OCCULTORUM.

I. *De historicis.* II. *De crimine obliterato.* III. *De revelatione causâ consilii,* IV. *Vel solatii.* V. *De revelatione inter conjuges.* VI. *Detrahitur defunctis.* VII. *Item non nominando personam.* VIII. *Item simul narrando pœnitentiam.* IX. *Quid de inquisitione in defectus famulantium.*

AN licet Historicis ob historiæ integritatem quælibe infamantia scriptis mandare?

I. R. Non est dubium, quin liceat de iis, quæ publica sunt per sententiam publicè latam: sed quæ occulta sunt vel tantum per injuriam publicata, illa injustè ab iis scripto mandantur.

Circa reliqua publica Authores communiter Historicis aliquid plus concedunt ob historiæ integritatem, & ad instructionem ac terrorem aliorum; maximè cum illa, quæ scribunt, quasi in conspectu orbis terrarum publicè facta sunt.

An est contra justitiam narrare nescientibus, vel in memoriam reducere crimen, quod quidem fuit publicum, sed jam oblivione deletum est?

II. R. Hoc ut plurimùm est contra charitatem, & etiam contra justitiam, nisi fuerit publicum per sententiam publicam: quod si in casu sententiæ publicæ defectuosus jam acquisierit bonam famam, revelatio etiam poterit esse contra justitiam, si audientibus detur occasio judicandi eum adhuc esse defectuosum.

An licet occultum revelare ad petendum consilium vel auxilium?

III. R. Affirmativè, si res sit satis notabilis, & consilium vel auxilium sit necessarium: non licet tamen plus quam necessitas postulat, curando, ut parcatur famæ, quantum fieri potest, v. g. petendo consilium ab iis, quibus persona infamanda maneat ignota.

An idem licet revelare amico solatii gratiâ?

IV. R. Videtur negandum; quia bonum consolationis humanæ nunquam, vel rarò, est tale vel tantum, ait Steyaert, ut ideo proximus jacturam famæ subire debeat: Deinde istud bonum aliâ via aptius obtineri potest per virtutem fortitudinis, confugiendo ad Deum, "Qui est

"Pater misericordiarum, & Deus totis consolationis." 2 ad Corinth. cap. 1.

An conjuges licite revelent sibi invicem vitia occulta domesticorum?

V. R. Dist. Si notitia illorum non spectet ad debitam familiæ gubernationem, erit semper detractio; si autem ad eam spectet, tunc talis revelatio licita est, inquantum est necessaria pro mutuo consilio aut auxilio ad mala avertenda; hinc si unus conjugum satis efficaciter malum aut damnum possit impedire, illicite illa revelat comparti.

An est detractio revelare occulta vitia vel defectus defunctorum?

VI. R. Affirmativè: Præterquam enim quod sæpe vivi eorum posteri inde infamentur, ipsi mortui possident famam apud vivos, & sicut sunt in gloriosa recordatione, ita in eos committitur ignominiosa detractio.

Qualiter peccat, qui narrat occultum crimen, non nominatâ personâ in particulari?

VII. R. Si ex narratione nulla persona dignosci vel in suspicionem venire possit, non peccat: si autem cadat in aliquam communitatem, tunc conformiter ad probrositatem criminis revelati peccat: sic v. g. dicendo: in tali Ordine nulla est disciplina, in tali parochia sunt varii adulteri, in tali Monasterio est aliquis facinorosus, &c. plerumque graviter peccatur; non est tamen detractio gravis, si dicatur, in aliqua urbe esse nefarios homines, quia hoc nullius particularis, nec etiam communitatis famam graviter lædere censetur.

An detrahit, qui narrando crimen occultum alicujus, simul narrat ejus pœnitentiam?

VIII. R. Regulariter loquendo affirmativè: & quidem graviter, si crimen sit graviter probrosum; ratio est, quod notitia pœnitentiæ ordinarie non abstergat infamiam & sinistram opinionem, quam crimen attulit: potest tamen aliud fieri quando pœnitentia talis ac tanta esset, ut longe superaret infamiam, & eam omnino deleret, v. g. in casu Petri Christum negantis.

An est detractio revelare crimen occultum illius, qui jam infamis est?

R. Affirmativè, si nova revelatio infamiam priorem augeat, vel novam afferat: illud autem contingit dupliciter.

1°. Quando revelatur reiteratio seu multiplicatio criminis infamantis, quod v. g. mulier secundò sit adulterata.

2°. Idem magis fit, dum de infami in uno genere narratur occultum infamans in alio genere priori non connexum, v. g. de infami quoad furtum dicere, quod sit adulter.

Cæterùm, si vitium secundò narratum sit connexum illi, de quo jam est infamis, vel equidem non mutet æstimationem audientium circa illum infamem, tunc non erit detractio: v. g. si dixeris de noto adultero, quod scripserit literas amatorias; de ebrioso, quod bona dilapidet, rixetur, &c.

Quid de hac praxi, quâ, dum domestici mutant domicilium, pater vel mater-familias, cui operas suas volunt elocare, inquirit apud illos, apud quos habitaverunt, in mores & conversationem eorum?

IX. R. Braunman, quod hæc praxis in se non sit improbanda, cum illa inquisitio non præsumatur se extendere, nisi ad defectus ordinarios, qui non infamant, & quos scire convenit ad bonum regimen familiæ.

Certum interim est, quod non liceat revelare defectus occultos infamantes, qui non nocent, nisi ipsi peccanti; nec etiam promiscuè licet revelare illos, qui familiæ nocuerunt; quia famulantes mutando locum sæpe mutant animum & occasionem peccandi.

N. 105. DE MODIS DETRAHENDI.

I. *Octo modi detractionis.* II. *Imponens.* III. *Augens.* IV. *Manifestans.* V. *Quid si uni tantum probo ac prudenti.* VI. *Quid si nil asserat.* VII. *In mala vertens.*

QUOT sunt modi detrahendi?

I. R. Communiter assignantur octo expressi his versibus:

"Imponens, augens, manifestans, in mala vertens."

"Qui negat aut minuit, reticet, laudatve remissè."

Quatuor modi expressi priori versu dicuntur "directi," non ex parte voluntatis, sed ex parte actûs, qui actus directè impetit famam, potestque ex parte voluntatis esse indirectus tantum.

Eodem sensu quatuor modi contenti posteriori versu dicuntur "indirecti."

Nota contumeliam iisdem præcise modis committi posse.

Explica prædictos modos.

II. R. "Imponens" hoc est, imponendo alicui crimen vel defectum falsum, vel vero crimini aliquid falsi superaddendo.

Hic modus importat calumniam, & continet mendacium perniciosum, etsque cæteris gravior: sic uxor Putipharis detraxit Josepho, Genes. cap. 39. & duo senes Susannæ, Daniëlis cap. 13. & impia Jezabel Naboth, 3. Regum cap. 21.

Calumnia non est, dum quis alicui imponit crimen falsum, quod putat esse verum aut contra; quia calumnia involvit mendacium.

Circa impositionem criminis falsi pertinent duæ propositiones condemnatæ ab Innocentio XI. scilicet 43. "Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem "magnam sibi noxiam, falso crimine elidere." Et 44. "Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum "crimen alicui, ut suam justitiam vel honorem defendat."

III. "Augens" est, qui verum & notum audientibus dilatat, seu infamiam superaddit: hoc autem fit, 1°. Augendo delicti gravitatem, v. g. dicendo de leviter ebrio, quod fuerit notabiliter talis. 2°. Numerum augendo, ut si quis de eo, qui semel tantum fornicatus est, dicat eum ter fornicatum esse. 3°. Illud crimen pluribus adscribendo: sic quotidie experimur, quod jam suo sæculo deplorabat S. Augustinus Epist. 138. nunc 77. videlicet, quòd si quis Clericus in peccatum grave, præsertim carnale lapsus sit, detractores traducant omnes Clericos ut tales.

4°. Confirmando opinionem, suspicionem vel dubitationem audientium, seu ipsos reddendo certiores de crimine vel defectu. Addi potest cum Steyaertio, nimis frequenti & acerbâ rememoratione efficiendo, ut infamia diutiùs duret.

Nota augentem esse simul sæpe imponentem quoad aliquam partem infamiæ, & peccare eatenus peccato mendacii perniciosi.

Quomodo peccat ille, qui detrahit in materia levi, quam materiam auditores ulteriùs divulgando augent ad materiam gravem?

R. Per se loquendo tantum peccat venialiter: peccabit tamen mortaliter, casu quo prævidere potuit & debuit, auditores sic ulteriùs divulgaturos, quod sat frequenter contingit.

IV. "Manifestans" est, qui injustè alterius verum & occultum crimen vel defectum nescientibus revelat.

Circa hunc modum quæritur quomodò peccet, qui alterius crimen vel defectum verum & occultum, graviter probrosum, narrat uni viro probo & prudenti?

V. R. Supposito, quod non adsit ulla justa causa, sustinent Authores communiter, esse peccatum mortale, etiamsi periculum non sit, ne ille vir ulteriùs divulget, nec aliud incommodum timeatur.

Ratio est, quod censeatur grave in materia diffamationis amittere famam, & male audire apud unum virum gravem, juxta vulgare proverbium: "Bono probari malo, "quam multis malis."

Probatur ulteriùs: judicium temerarium in re gravi est peccatum mortale, licet illud exteriùs non prodatur: atqui tamen non est nisi judicium unius hominis de malo proximi probroso: item contumelia gravis, etiam inter quatuor oculos tantùm commissa, est mortalis: ergo à fortiori dicta manifestatio est peccatum mortale.

Obj. Fama est notitia & existimatio publica: ergo non aufertur per hoc, quòd reveletur aliquid uni prudenti.

Respondet S. Thom. quæst. 73. art. 1. ad 2. "Si uni "*soli* aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam "ejus, non in toto, sed in parte:" cùm autem in casu pars illa famæ sit notabilis, si non extensivè, saltem intensivè, facilè patet quomodo illam partem auferens peccet graviter.

Fatendum interim, injuriam longè minorem esse ex hoc quòd non nisi unius, & quidem probi ac prudentis conscientiæ arcanum sit commissum: unde subjungit Steyaert, si quid aliunde accedat, quod culpam minuat, v. g. solatii aut doloris mitigandi causâ, facilè fieri potest, ut non sit mortale: & sic sæpe vera est aliorum sententia, nempe Cajetani, &c.

An & quomodo peccat ille, qui revelat crimen proximi, non assertivè, sed tanquam dictum ab aliis? Casus frequens est; fertur seu audivi illud de tali homine, non affirmo, nec credo sic esse.

VI. R. Est modus blandè, sed impie detrahentium, nec ullo titulo excusabilis: quòd si in aliquo particulari casu auditores hâc speciosâ garrulitate non prævideantur movendi ad aliquod malum credendum vel suspicandum, fieri potest, sed rarò, ut talis modus non sit peccatum, vel tantùm sit veniale.

VII. Quartus modus est "in mala vertens," quod fit narrando rem veram tanquam malam, cùm tamen mala

non sit, vel etiam interpretando factum alterius in sinistram partem, cùm tamen bene vel saltem non male factum sit; vel dicendo, illud malo fine factum fuisse.

Hic modus valde familiaris est invidis & susurratoribus, qui plerumque calumniam aut judicium temerarium detractioni superaddunt: exemplum habetur in Judæis perverse interpretantibus vitam Joannis Baptistæ & ipsius Christi Domini.

N. 106. DE MODIS DETRAHENDI INDIRECTIS.

I. *Qui negat,* II. *Aut minuit,* III. *Reticet,* IV. *Laudatve remissè.* V. *Alii modi ex S. Bernardo.*

I. PRIMUS modus detrahendi indirectus est, "qui "negat" alterius recte facta, virtutes, dotes, qualitates bonas, &c. hinc quasi impedit famam bonam proximi, tollendo fundamentum, & facit, ut auditores bonam existimationem de eodem non concipiant vel amittant; exempla familiaria sunt dicendo: non habet talis pietatem, quam quidam credunt, non habet doctrinam, &c.

II. Secundus modus est, "qui minuit," seu extenuat bona facta aut bonas qualitates proximi: hinc nocet famæ eodem modo, quo præcedens, sed non tam acriter, nimirum minuendo fundamentum bonæ famæ: huc reducitur frequens & pestilens detrahendi modus, quo narrando quædam laude digna, extenuat per frigidum illud "sed" vel nisi," dicendo v.g. "Filia est honesta, sed": unde adagium:

Si nisi *non esset, perfectus quilibet esset:*
Sed pauci visi, qui caruere nisi.

III. Tertius modus est, "qui reticet," hoc est, tacet eo loco ac tempore & in iis circumstantiis, ut ejus silentium à præsentibus accipiatur pro confessione delicti vel defectûs proximi. Exempla sunt: Joannes in consortio audit detrahi Petro in quodam vitio, & contradicit: detrahitur Petro in alio vitio & tacet, nec interrogatus respondet: vel audiens detrahi pluribus, unum defendit & de aliis interrogatus respondet: "Linquamus illos, de illis taceo"; aliquis tibi dicit; "Talis Presbyter fuit coram te ebrius," & taces, cùm tamen scias esse falsum.

Nota ergo, quòd "reticens" non sit solùm causa negativa, utì "mutus" ad injustitiam; sed quòd etiam positive

influat, ut patet in exemplis: qui enim pure negative se habent, ponendi sunt in quodam gradu audientium detractionem, de quibus Num. 108.

IV. Quartus modus est, "qui laudat remisse" seu frigide, nil aut parum laude dignum proferendo de illo, quem tamen vult videri laudare: unde fit, quòd audientes colligant, illum nihil aut parum habere, quod laude dignum sit. Hinc dixit Aulus Gellius: Turpius est frigide laudari, quam graviter vituperari.

V. Varios præterea detrahendi modos egregie exponit S. Bernardus serm. 24. in Cantica dicens: "Alii quidem "nude & irreverenter, uti in buccam venit, virus evomunt "detractionis: alii quodam fuco simulatæ verecundiæ "malitiam adumbrare conantur, mittunt alta suspiria, "vultu mœsto & voce plangenti egreditur maledictio; & "quidem tantò plausibilior, quantò creditur, ab his, qui "audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam "malitiose proferri: doleo, ait, vehementer pro eo, quòd "satis eum diligam, & nunquam potui de hac re corrigere "illum. Et alius: Bene illud noveram, sed per me nun- "*quam* innotuisset; at quoniam res patefacta est, veritatem "negare non possum, dolens dico, revera ita est."

Hos modos vocat S. Bernardus pestes detractionum.

Quamvis juxta Sylvium aliosque omnes, isti modi sint ejusdem speciei, unus tamen est altero multò gravior, quamobrem distincte sunt in confessione exprimendi. Vide Num. 98.

N. 107. DE INFAMATIONE SUI-IPSIUS.

I. *Seipsum infamare,* II. *Sepositâ justâ causâ,* III. *Per se repugnat liberalitati.* IV. *Per accidens etiam justitiæ,* V. *Aut aliis virtutibus.* VI. *Ut fieri potest in peccante publicè.*

AN licet seipsum infamare revelando suum crimen vel defectum verum, sed occultum?

I. R. Id, sepositâ justâ causâ, non licet, monente Ecclo. cap. 41. V. 15. "Curam habe de bono nomine." Ratio est, quòd multò minùs liceat prodigere famam, quàm bona fortunæ.

Cum tamen homo dominium habeat suæ famæ, ex causa leviori potest seipsum infamare, quam proximum.

II. Dictum est, "sepositâ justâ causâ;" quia hac subsistente, nullum est peccatum; imò virtuosum esse potest, si fiat sine scandalo, vitæ periculo & aliorum injuria, ad

suî humiliationem & divinæ misericordiæ exaltationem; ut fecit S. Augustinus in 13 libris confessionum.

Cui virtuti adversatur indiscreta suî infamatio?

III. R. Per se loquendo solummodo virtuti liberalitatis per excessum, puta prodigalitatem, & ut apparet, per se tantùm veniale peccatum est.

IV. Per accidens tamen, seu ratione alicujus circumstantiæ fieri potest, ut peccet contra justitiam, aut aliam virtutem, & sit peccatum mortale.

Sic contra justitiam est, 1°. Si se infamando simul infamet alios, v. g. suam familiam. 2°. Si per hoc reddat se inhabilem ad ea, quæ ex justitia præstare tenetur, ut contingere potest in Parocho aliisque Superioribus. 3°. Si se infamando cooperetur injustitiæ alienæ, v. g. sic se exponendo periculo mortis injuste inferendæ.

V. Sic etiam specialiter repugnat charitati suî-ipsius, dum fama est tibi necessaria ad bona spiritualia propria, v. g. si ex infamia fieres magis effrænis ad crimina repetenda.

Similiter simul adversatur charitati proximi, aliique virtuti, si infamia tua impediat, ne possis prodesse proximo, cui ex charitate aliave virtute prodesse teneris, aut si teipsum infames cum scandalo proximi.

Si quis se infamet manifestando peccatum suum cum complacentia ejusdem, v. g. gloriando de actibus libidinosis, simul contra castitatem peccat.

VI. Putat Steyaertius, quòd enormiter peccans publice, simul committat speciale peccatum grave propriæ infamationis: atque ita multæ malitiæ involvi solent in enormibus peccatis publicis, ut scandali, infamiæ, &c.

Ex dictis liquet, multò minùs licere seipsum infamare per crimen vel defectum falsum. De qua infamatione plura apud Authores.

N. 108. DE AUDIENTIBUS DETRACTIONEM.

S. Thom. quæst. 73. *art.* 4.

I. *Peccant auditores.* II. 1°. *Qui tenentur specialiter impedire.* III. 2°. *Etiam alii, qui sunt triplicis generis.* IV. *Qui influunt in detractionem.* V. *Qui de ea tantùm internè delectantur.* VI. *Qui merè non impediunt.* VII. *Hi peccant plerumque venialiter tantùm.* VIII. *Quandoque etiam mortaliter.*

AN est peccatum audire detractionem?

I. R. Distingui debet duplex classis audientium scilicet in audientes, qui tenentur specialiter impedire detractionem, et in eos, qui non obligantur specialiter impedire.

II. Qui specialiter tenentur impedire, v. g. ratione officii vel statûs, peccant proportionatim ad gravitatem infamiæ, contra justitiam, si omittant impedire sine justa causa.

III. Auditores, qui non tenentur specialiter impedire, dividuntur in tres classes, prout scilicet modus audiendi diversus est.

IV. Prima classis est eorum, qui influunt sive cooperantur detractioni, interrogando de aliorum defectibus, colloquendo, ridendo, aut aliter exterius applaudendo, quo fit, ut alter moveatur ad detractionem inchoandam vel continuandam: hi proinde peccant contra justitiam, teneturque suo ordine ad restitutionem. Peccant præterea peccato scandali respectu detractoris; quia consentiunt ejus peccato tanquam causæ inductivæ, item respectu aliorum audientium, si adsint.

V. Secunda classis est eorum, qui nullo modo influunt in detractionem; sed tamen detractio eis placet "internè," et de eadem in corde delectantur, v. g. quia odio habent *illum* cui detrahitur: hi peccant solo affectu contra justitiam: unde non tenentur ad restitutionem. Peccant etiam contra charitatem respectu detractoris & audentium, scilicet contra præceptum correptionis fraternæ, casu quo potuerunt detractionem impedire; item tunc peccant contra charitatem respectu ipsius, cui detrahitur, non impediendo damnum ejus famæ.

VI. Tertia classis est eorum, qui nec externè influunt, nec internè delectantur de detractione, sed tamen non resistunt, & negligunt detractorem corripere, ubi poterant et debebant: hi peccant contra charitatem respectu detrahentis et audientium, item respectu illius, cui detrahitur: sed non peccant contra justitiam, unde nec tenentur ad restitutionem.

VII. Docet S. Thom. art. 4. in "Corp." quod hi plerumque peccent tantùm venialiter, nimirum, si ex magna verecundia aut pusillanimitate non audeant corripere, vel corripere non possint sine notabili suo incommodo; quia præceptum correptionis fraternæ ordinarie non obligat cum gravi corripientis incommodo.

Possunt tamen quandoque peccare mortaliter: 1°. Dum ex officio tenentur detractionem impedire: 2°. Si sit valde atrox infamia aut ex illa grave malum immineat detractori, vel illi, cui detrahitur.

VIII. 3°. Si omittant corripere ex timore mundano, ut si amicitiam favoremque detrahentis plus timeant perdere, quam Deum offendere, prætermittendo correptionem, ad quam hìc & nunc graviter obligantur.

An audiens detractionem semper peccat?

R. Negativè, si audiat sine complacentia et exterius resistat, prout potest & debet, vel justas non resistendi causas habeat.

Porrò variæ possunt esse causæ excusantes ab impedienda detractione, quales sunt omnes illæ, quæ excusant à correptione fraterna, quas vide Num. 147. "de Virtutibus." Sæpius etiam excusatur scrupulosus, qui ob scrupulos ineptus est ad judicandum, an urgeat præceptum coreptionis, an non, ut diximus Num. 192 "de Actibus Humanis."

Observant etiam Authores, non semper expedire, ut incerta detractio statim abrumpatur; quia aliqui sic incipiunt narrare, quasi mirabilia dicturi, cum autem totum dixerint, non nisi communia, levia aut nulla apparent: si hi ab initio impediti fuissent, facilè reliquissent pejorem opinionem in animis audientium, quam si narrationem compleverint. Vide latiùs schema 6. quomodo Confessarius procedere debeat cum illis, qui se accusant, quod audiverint detractionem.

N. 109. DE MODIS IMPEDIENDI DETRACTIONEM.

I. *Modi impediendi detractionem.*

QUIBUS modis audiens impediet detractionem?

I. R. Varii pro variis circumstantiis ab Authoribus afferuntur.

1°. Per authoritatem compescendo, si authoritate valeat audiens.

2°. Fraternè corripiendo, quod præsertim locum habet inter æquales.

3°. Convincendo falsitatis, si possit, vel aliter efficiendo, ut fides non habeatur dictis detrahentis.

Pro hoc modo notandum quod si adhibeatur apud garrulos, rudes, vel suæ salutis incurios, oporteat habere quamdam certitudinem convincendi detractorem; alioquin enim facilè detractor inducetur ad detractionem magis probandam; hinc regulariter improbanda est hæc coram similibus loquendi methodus: fortè non est ita, ut dicis,

illa non possunt tam bene sciri: multa dicuntur, quæ postmodùm inveniuntur esse falsa: ego ista non credo, nec alii debent ista credere: coram timoratis tamen et intelligentibus tales modi valere possunt.

4°. Modus generaliter bonus est, ostendere vultum tristem cum quadam indignatione, juxta illud Prov. cap. 25. V. 23. "Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies "tristes linguam detrahentem:" aut aliter exteriori signo manifestare, quod detractio displiceat, v. g. recedendo. Hi modi tamen non semper sufficerent ad excusandum superiorem, qui ex justitia detractionem impedire tenetur.

5°. Modus ingeniosus & suavis est divertere sermonem ad alia etiam jocosa, vel incipere narrare quid aliud ex abrupto: his modis excelluisse dicitur Thomas Morus, dignissimus Angliæ Cancellarius.

6°. Referendo bona de illo, cui detrahitur, vel ejus dicta aut facta excusando aut bene interpretando: verùm hic modus iterum valere potest apud intelligentes, non apud rudes, qui inde potiùs excitabuntur ad probandum, quod malâ intentione facta sint, &c.

Quisnam autem ex prædictis modis in particulari casu congruus sit, ex circumstantiis, statu & qualitate tam audientis, quàm detractoris determinari debet.

Observat hâc occasione Steyaertius, quod iidem ferè modi sint obstandi turpiloquiis, quibus audiendis eodem modo peccari solet, ut audiendo detractionem, præter alios inordinatos effectus.

N. 110. DE RESTITUTIONE RATIONE DETRACTIONIS.

I. *Obligati ad restituendam famam.* II. *Quid de detrahente ex ignorantia inculpabili.* III. *An obligatio ista transeat ad hæredem.* IV. *Restitui debet ipsa fama injustè oborta.* V. *Cui restitutio facienda.* VI. *Apud quos.* VII. *Et qualiter.*

QUIS debet famam restituere?

I. R. Omnis ille, qui alienam famam injustè læsit, sive sit ipse detractor sive cooperans detractioni, mandando, consulendo, corridendo, applaudendo, &c. vel etiam non impediendo, dum ex justitia tenebatur impedire.

An si quis ex ignorantia inculpabili detraxerit, teneatur ad restitutionem?

II. R. Satis certum est, quod talis, simul ac errorem

suum deprehendit, teneatur ex justitia impedire, ne infamia illa ulteriùs serpat, ut colligitur ex Num. 43. circa finem.

Quod si ulterioris divulgationis periculum non sit, putat Daelman, necesse non esse, ut talis retractet suum verbum apud illos, quibus inculpabiliter crimen vel defectum revelavit: verùm omnino dicendum videtur, quod ad hoc teneatur; quia infamia quamdiù manet in mente aliorum, tamdiu nocere censenda sit: ergo talis relinquendo malam opinionem in mente aliorum, censetur causa moralis perseverantis infamiæ.

Ex dictis sequitur, talem, si post errorem cognitum non retractaverit verbum suum, teneri de damnis post cognitum errorem secutis: damna tamen stante errore inculpabili oborta restituere non tenetur, quia sunt ipsi involuntaria.

An hæres detractoris tenetur ad restitutionem, si detractor moriatur, antequam restitutionem fecerit?

III. R. Per se loquendo non tenetur ad restitutionem famæ: quia illa obligatio est personalis, adeoque non transiens ad hæredes.

Si pro fama fieri debeat compensatio pecuniaria, ad eam tenetur hæres, sicut & ad reparanda alia damna ex detractione secuta; quia hæc pertinent ad obligationem realem, quæ transit ad hæredem.

Quid restitui debet ob detractionem?

IV. R. 1°. Restituenda est fama injuste læsa efficaciter & statim atque moraliter fieri potest.

2°. Restitui debent omnia damna realia, quæ ex detractione injuste obvenerunt, & quæ detractor potuit ac debuit prævidere: talia sunt v. g. dum per detractionem quis impedit alterum à lucro, officio, beneficio, &c. pro quibus casibus considerari debet ipsa spes, ut ante dictum est: item si fuerit causa, ob quam filia perdat conveniens matrimonium, vel ob quam famulus aut ancilla perdat stipendium, sive non possit elocare operas suas, aut debeat minoris elocare, &c.

Nota, dictum esse: "Damna, quæ ex detractione injuste obvenerunt;" quia detractor non tenetur reparare damna, quæ alter juste patitur, v. g. si sparserit in vulgus alium esse furem, unde contingat, quod Judex eum mittat in carcerem, spoliet bonis, &c. non tenetur detractor de illis damnis; quia supponitur potuisse juste illud crimen deferre ad Judicem; ac adeo licet injuste egerit spargendo crimen in vulgus, effectus tamen ex illa infamatione secutus fuit justus.

Cui fama restitui debet?

V. R. Ipsi infamato, sive vivat sive sit defunctus: item illis, in quos infamia redundavit.

Damna realia restitui debent hæredi infamati jam defuncti; quia hæres succedit in jura illius.

Apud quos fama restitui debet?

VI. R. Apud omnes illos, apud quos injuste læsa est ex mea detractione, sive immediate sive mediate, alioquin enim non restitueretur fama integre.

Qualiter fama restituenda est?

VII. R. Efficaciter seu cum effectu, id est, sic ut infamia ex animis illorum, ad quos sive immediatè sive mediate pervenit, quantùm possibile est, evellatur.

Observari tamen debet ordo, ut ante de cooperantibus dictum est, ita ut principali detractore restituente, liberetur minùs principalis, &c.

N. 111. DE MODIS RESTITUENDI FAMAM.

I. *Modi restituendi famam.* II. *Restituenda est cum jactura propriæ famæ.* III. *Et aliquando etiam vitæ.*

Quomodo fama restituenda est?

I. R. Cum juxta numerum superiorem restitutio famæ ita fieri debeat, ut quantum possibile est infamia proximi cum effectu tollatur: hinc debet detractor adhibere & Confessarius injungere talem modum, qui hìc & nunc judicatur efficax, & non qui detractori est facilior.

Si detractor falsum revelaverit aut vero noto falsum superaddiderit, aperte declaret, se falsum dixisse, deceptum fuisse, &c. quod etiam probare debet per testes, per argumenta, offerendo etiam juramentum, & præstando, si opus est.

Si hoc fieri non possit, quia verum revelavit, dicat se injuste egisse, se alteri intulisse injuriam, se errasse, vel augeat famam alterius in alia materia.

Si modis prædictis fama reparari nequeat, potest etiam adhiberi oblatio compensationis pecuniariæ, honorum aut favorum, v. g. amicabilis conversatio, invitatio, &c. quæ ostendunt, quòd hominem istum probum ac virtuosum habeat: item adhiberi potest petitio veniæ, quatenus infamatus obligationem restituendi libere velit condonare.

An potest detractor, qui revelavit verum, dicere se esse mentitum aut falsum dixisse, hoc prætextu, quòd in Scriptura S. omnia peccata vocentur falsitates seu mendacia?

R. Ita sustinent Bannes & pauci alii, sed hoc rejiciunt cæteri communiter; quia Scriptura S. hoc dicit de quadam falsitate practica: auditores verò illa dicta accipiunt pro falsitate speculativa, & ita habetur restrictio pure mentalis & mendacium artificiale. Licet tamen in casu dicere se injustitiam commisisse, ut supra dictum est.

An detractor tenetur restituere cum jactura famæ propriæ?

II. R. Affirmative, quia in pari causa potior est conditio innocentis, quam nocentis: aliud esset, si fama detractoris necessaria foret bono publico, ait De Cocq; quia bonum privatum postponi debet publico.

An detractor tenetur restituere cum periculo vitæ?

III. R. Si mors immineat diffamato ex impositione criminis falsi, extra controversiam est, quin detractor teneatur illud revelare cum certa sua morte: v. g. si captivus spe vitæ aut libertatis imposuerit socio crimen falsum capitale.

Similiter, aiunt Braunman, De Cocq & plures alii, tenetur detractor cum periculo vitæ revocare detractionem quoties-cumque ex detractione imminet alteri injusta mors, aut grave malum reipublicæ; quia his casibus damnum innocentis vel reipublicæ prævalere debet damno detractoris.

Alioquin propter meram famam alicujus privati non est per se loquendo obligatio restituendi cum periculo vitæ; quia hic est casus, ubi bona inferioris ordinis restitui non debent cum damno superioris ordinis.

Circa prædicta notat Collet, quòd si detractor infamando se, vel se conjiciendo in periculum vitæ, equidem non esset liberaturus innocentem, potius debeat tacere; quia non est obligatio ad actum inutilem cum tanto suo incommodo.

Plura videri possunt in schemate quinto, ubi nota, quosdam modos restituendi famam læsam per manifestationem veri, valere quidem apud simplices, v. g. dicendo se injuste fecisse, se errasse, &c. sed non ita valere apud nasutos & intelligentes; facile enim illi inferent, verum esse, quod dictum fuerat; alioquin, aiunt, deberet detractor dicere: se esse mentitum, aut falsum esse, quod dixerat.

N. 112. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESTITUTIONE FAMÆ.

I. *Causæ excusantes.* II. *Impotentia.* III. *Condonatio.* IV. *Si fiat publicum sine injuria.* V. *Si infamia sit deleta.* VI. *Mutua compensatio.* VII. *Casus.*

QUÆNAM causæ excusant à restitutione famæ?

I. R. Communiter assignantur sequentes:

II. 1°. Impotentia physica vel moralis.

III. 2°. Condonatio alterius valida, quam sic exprimit S. Thomas quæst. 73. art. 4. "Nostri arbitrii est detrimentum famæ nostræ pati, nisi hoc vergeret in periculum aliorum:" hinc condonatio foret invalida, si ab infamia tua pendeat infamia aliorum, vel fama tua necessaria sit ad præstanda proximo ea, quæ ipsi ex officio debes.

IV. 3°. Excusat ipsa inutilitas restitutionis, si aliâ viâ, quod erat occultum, jam factum sit publicum sine injustia.

Si verò sit factum publicum per injuriam, non liberatur detractor à restitutione. Vide N. 102.

V. 4°. Excusatur detractor, si fama aliâ viâ sit redintegrata, vel infamia sit oblivione deleta.

Hìc tamen attendi debet, rarum esse, quòd infamia tota deleatur; adeoque detractorem manere obligatum pro parte non deleta. Ab alia parte interim anxiè cavendum, ne detractor volendo restituere, sopitum ignem suscitet, & infamiam faciat reviviscere.

Practicè observandum, plurimùm valere ad acquirendam novam famam, & abstergendam infamiam, si infamatus pia exercitia, Sacramenta, &c. publicè frequentet; his enim ostenditur, vel falsum esse quod divulgatum erat, vel saltem animum non adhærere vitio divulgato: meritò igitur Confessarius suadebit hæc illis, qui se detractionibus lædi conqueruntur.

Eadem frequentatio etiam efficax est ad reparanda scandala anteactæ vitæ licentiosæ, ebrietatum, libidinum, &c. unde Pastor fructuosè admodùm oves erraticas ad similia opera inducit.

VI. 5°. Excusat infamatio mutua per modum compensationis post factam utrimque detractionem: "Varia enim crimina mutuâ compensatione delentur." ait Innoc. III. lib. 5. decr. tit. 16. cap. 7.

Hinc tamen ne concludas, quòd si Joannes sit infamatus à Petro, possit Joannes vicissim Petrum infamare, sed solùm, quòd si Joannes & Petrus se mutuò infamaverint, licèt peccaverint, tamen neuter teneatur alteri famam restituere, nisi alter etiam restitutionem faciat.

Supponitur hìc detractio utrimque moraliter æqualis; alioquin si unus notabiliter plus læsisset quam alter, teneretur ille de isto excessu.

Observat Braunman, tales nihilominus obligari ex lege charitatis, tum ad avertenda scandala, tum ne ira crescat in odium, tum propter alias utilitates maximè spirituales, propter quas necessaria est cuilibet fama sua. Atque ex illis rationibus, ad reparationem reciprocam urgendi sunt à Confessario.

Nota, nullum esse totaliter excusatum à restitutione famæ, tamdiu quam aliquis modus possibilis superest; sed uno facto impossibili, ad alium oportet descendere.

VII. An sufficienter restituit famam & absolvi potest, qui dictum suum tantum vult retractare coram Notario, & eâ conditione, ut Scriptura hæc non legatur nisi post mortem?

R. Negative: colligitur ex Num. 60. circa finem Corollarii.

Quid si detractor assignat in locis publicis scedulas, sine nomine suo, quibus declaret, quòd infamia, v. g. fornicatio Joannæ inique sparsa, sit falsa, an satisfacit?

R. Negative, sed ordinarie novam detractionem committit, vel priorem auget.

Finaliter considera, quam facile committatur detractio, & quam difficulter fiat debita restitutio: hinc deplorant Herincx, Petrus Marchantius, De Cocq, &c. paucissimos esse, qui hoc vitium debite æstiment, pauciores, qui debite de illo conterantur, & vix ullos, qui famam restituant.

N. 113. DE SUSURRATIONE.

I. *Susurratio.* II. *Dissolvit amicitiam veram.* III. *Differt à detractione.* IV. *Estque gravior detractione.* V. *Ejus circumstantiæ.*

QUID est susurratio?

I. R. Est oblocutio mala & secreta de proximo ad dissolvendam veram amicitiam.

II. Dicitur "ad dissolvendam veram amicitiam;" quia

dissolvere amicitiam inordinatam & in malo fundatam, v. g. inter fures, inter concubinam & concubinarium, non est susurratio, sed opus charitatis.

III. Patet, susurrationem fine suo differre specie à detractione; quia illius finis formalis est tollere amicitiam.

Quantum peccatum est susurratio?

IV. R. Est ex genere suo peccatum mortale, Eccli. dicente cap. 28. v. 15. "Susurro & bilinguis maledictus:" & quidem susurratio gravius peccatum est, quam detractio & contumelia; qui vera amicitia est bonum majus, quam fama aut honor, dicente Eccli. cap. 6. "Amico fideli nulla "est comparatio."

Potest tamen esse veniale ex imperfecta deliberatione, item ex parvitate materiæ, seu nocumenti, quod amicitiæ infertur.

Quænam circumstantiæ debent attendi in peccato susurrationis?

V. R. 1°. An sit simul detractio; nam hanc communiter includit; id cognoscet Confessarius petendo quid dixerit, & vice versâ cognoscet, an detractio non sit simul susurratio, petendo ob quem finem detraxerit.

2°. Petendum est inter quales voluerit amicitiam dissolvere, an inter parentes & proles, inter maritum & uxorem, inter fratres & sorores, &c. tantò enim gravior est susurratio, quantò amicitia inter illas personas est magis necessaria.

3°. Inquiri debet ad quem finem susurratio facta sit: habet enim susurro quandoque fines enormes, v. g. perveniendi ad adulterium, impediendi conveniens matrimonium, &c.

4°. Attendi debent damna & mala ex susurratione secuta vel secutura, qualia sunt divortia, lites, dispendia rei familiaris, perturbatio familiæ, filiorum exhæredatio, infausta matrimonia; ad quæ resarcienda obligatur ipse susurro.

Cui virtuti repugnat susurratio?

R. 1°. Repugnat directe charitati.

2°. Si fiat fraude, dolo, mendaciis, detractionibus, aliisve modis injustis, etiam repugnat justitiæ.

3°. Repugnat isti virtuti, juxta quam debet inesse ipsa amicitia, v. g. pietati, si per susurrationem instigetur filius adversus patrem.

Ultimo meminerint superiores, ne nimis facile credant delatoribus, nisi illos probe noverint. "Clandestinas &

"susurratas delationes, ait S. Bernardus lib. 4. "de con-"sideratione" cap. 6. non recipias, & hanc generatim "velim constituas regulam, ut omnem, qui palam veretur "dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas; "quod si, te judicante, dicendum coram renuerit, delato-"rem judices, non accusatorem."

N. 114. DE JUDICIO TEMERARIO.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 60.

I. *Judicium temerarium.* II. *Temeraria opinio.* III. *Suspicio.* IV. *Dubitatio.* V. *Unde sic vocentur.*

QUID est judicium temerarium, quatenus est diminutivum famæ alterius?

I. R. Strictè sumptum est assensus firmus, quo absque sufficienti fundamento aliquod malum vel boni defectum de proximo judicamus.

Dicitur "strictè sumptum;" quia in vulgari sermone etiam latiùs solet sumi pro quacumque existimatione de proximo sine sufficienti motivo: & sic sub illo comprehenditur temeraria opinio, suspicio & dubitatio.

Quid est opinio temeraria?

II. R. Est assensus infirmus de malo proximi conceptus sine sufficienti motivo.

III. Suspicio temeraria est propensio intellectûs ad assensum de malo proximi sine sufficienti motivo.

IV. Dubium sive dubitatio temeraria est suspensio assensûs circa probitatem proximi sine rationabili causa.

Secundùm ergo minorem vel majorem firmitatem assensûs, statui possunt quasi quatuor gradus, ut primus sit dubitatio, secundus suspicio, tertius opinio, quartus judicium.

Quare illa quatuor vocantur temeraria?

V. R. Quia formantur sine sufficienti motivo: unde non erit judicium temerarium, dum sufficiens ratio sic judicandi adest: sic v.g. vidisti hominem furantem; sine temeritate judicas eum esse furem: vidisti eum abscurrentem è domo, ubi furtum commissum est; sine temeritate suspicaris, ipsum esse furem.

Bene notandum, quod quanto magis ascenditur ad assensum certum, tanto majora indicia seu motiva requirantur, ut non committatur temeritas.

Hinc ratio, quæ est sufficiens ad dubitandum sine temeritate, non est semper sufficiens ad suspicandum idem malum, multò minùs ad judicandum.

Notandum etiam, motiva, quæ in uno casu sufficiunt ad suspicandum vel judicandum sine temeritate, in alio casu non sufficere: sic si noveris quempiam ebriosum, est ratio dubitandi vel suspicandi de ejus castitate: sed idem non facit una ebrietas: item si deprehendas juvenem petulantem solum in tenebris cum filia, meritò suspicaris malum; non item si noveris eos meditari conveniens matrimonium.

Ut ergo cognoscatur temeritas, considerari debent qualitates personæ, de qua formatur dubitatio, suspicio, opinio aut judicium: deinde attendi debent locus, tempus aliæque circumstantiæ: et tunc maturè expendere, quid ex indiciis positis prudenter possit inferri: casu autem quo plùs inferatur, quam indicia merentur, eatenus proceditur temerariè.

Undenam oriuntur temeraria judicia, suspiciones, &c.?

R. Observat S. Thom. art. 3. in "Corp." oriri præcipuè ex his tribus:

1°. Ex eo, quod aliquis judicans in se ipso malus sit.

2°. Ex eo, quod aliquis malè afficiatur erga alterum.

3°. Ex longa experientia; unde senes solent esse maximè suspiciosi; quia multoties experti sunt aliorum defectus.

Ex his tribus causis sola tertia excusat intantùm, inquantùm experientia argumentum subministrat.

Ad alterutram ex duobus prioribus causis reduci possunt superbia, levis credulitas, curiositas, &c.

N. 115. DE GRAVITATE PECCATI JUDICII TEMERARII.

I. *Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale.* II. *Idem est de temeraria dubitatione, &c.* III. *Repugnant justitiæ.* IV. *Estque obligatio restitutionis.*

QUANTUM peccatum est, judicium temerarium, quatenùs diminuit famam proximi?

I. R. Est ex genere suo peccatum mortale. Probatur ex Jacobi cap. 4. V. 11. "Qui detrahit fratri, aut qui judicat "fratrem suum, detrahit legi & judicat legem.

Probatur etiam à ratione: detractio est ex genere suo peccatum mortale; atqui judicium temerarium est velut detractio seu infamatio interna, cum per illud destruamus in mente nostra bonam existimationem, quam de proximo habere debemus: ergo, &c.

An idem dici debet de opinione, suspicione vel dubitatione temerariis, quod sint ex genere suo mortalia?

II. R. Affirmativè; quia per ista etiam graviter lædi potest bona existimatio, quam de proximo habere debemus: sic v. g. graviter injuriosum est proximo, si de ipso sine fundamento dubites, utrùm non habeat consuetudinem bestialitatis.

Obj. S. Thom. quæst. 60. art. 3. in "Corp." dicit: "Triplex est gradus suspicionis: primus quidem gradus "est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus du- "bitare incipiat; & hoc est veniale & leve peccatum."

Item quodlibeto 12. art. 35. dicit: "Suspicio autem est "quid imperfectum in genere judicii, et ideo non est "mortale ex genere, quamvis si fiat ex odio, erit aliquando "mortale."

R. S. Thom. non ponit gradus, prout illos numero præcedenti statuimus, sed eos considerat ex parte principii seu voluntarii: unde citata verba intelligenda sunt de suspicione temeraria repentina & non plenè deliberata, quod patet ex eo, quod dicat, "dum homo dubitare incipit," item "imperfectus est motus:" patet etiam ex ratione, quam adfert ex S. Aug. scilicet "quod talis suspicio per- "tineat ad tentationem humanam, sine qua vita ista non "ducitur." Quæ de suspicionibus plenè deliberatis intelligi non possunt.

Cui virtuti repugnant temerarium judicium, suspicio, &c.?

III. R. Repugnant justitiæ stricte dictæ; quia proximus jus habet, ut bonus, vel saltem non malus reputetur, nisi adsit legitima causa.

Obj. Justitia juxta S. Thom. quæst. 58. art. 8. versatur circa actiones externas: atqui illud judicium, suspicio, &c. sunt mere interna: ergo, &c.

R. Neg. cons. dicitur enim justitia principaliter versari circa actiones externas ex eo, quod illis effective lædatur jus alienum: secundariò tamen versari potest circa actiones internas, cum etiam illis jus alienum lædi possit, ut supra de judicio temerario, suspicione, &c. ostensum est.

An ergo ex temerario judicio, suspicione, &c. oritur obligatio restitutionis?

IV. R. Affirm. debet autem ista restitutio fieri deponendo istud judicium, suspicionem, &c. et redintegrando pristinam bonam existimationem.

N. 116. DE REQUISITIS UT JUDICIUM TEMERARIUM SIT PECCATUM MORTALE.

I. *Requisita ut sit peccatum mortale.* II. *Sufficiens deliberatio.* III. *Materia gravis,* IV. *Et gravis temeritas.*

QUÆNAM requiruntur, ut judicium temerarium sit peccatum mortale?

I. R. Hæc tria: 1°. ut adsit sufficiens deliberatio actûs.

2°. Ut sit in materia gravi, hoc est, circa peccatum vel defectum graviter probrosum.

3°. Ut committatur gravis temeritas, seu, ut sit notabilis disproportio inter motiva et ipsum judicium.

Ex quibus colligitur, judicium temerarium posse tripliciter esse peccatum veniale, si nimirum unum ex tribus requisitis deficiat.

Undenam judicatur, sufficientem adfuisse advertentiam sive deliberationem?

II. R. Id colligi debet ex regulis communibus tradi solitis de voluntario; eodem enim modo hìc ratiocinandum, sicut de aliis cogitationibus malis.

Bene notandum, judicium, suspicionem, &c. distingui à pura cognitione seu repræsentatione cujusdam rei, v. g. imaginando sibi, aliquem fecisse homicidium, vel supponendo, quid contingeret, casu quò talis homicidium commisisset, &c. hæc non sunt judicia, neque peccata: sed quædam tentationes, quæ tanquam inanes debent negligi vel abjici: si quis iis inhæreat cum complacentia peccati repræsentati, esset delectatio morosa, non judicium temerarium.

An ut judicium temerarium sit peccatum, requiritur actualis advertentia, quâ quis advertat indicia esse revera insufficientia?

R. Negativè: sed sufficit, quod quis advertat, aut advertere possit et debeat se suspicari grave malum de proximo, & ex odio, contemptu, vel pravo habitu non sufficienter retractato negligat advertere ad indiciorum insufficientiam; nam tunc temeritas illa satis est voluntaria in causa, in mala nempe affectione.

Scrupulosis interim & timoratis proximo bene affectis meritò proponitur hæc regula, ut non existiment se in hac materia graviter delinquere, nisi plenè advertentes, suspicionem versari in materia gravi & procedere ex levibus motivis, eam voluntariè continuaverint.

Quidnam hìc censeri debet materia gravis?

III. R. Perinde ac in detractione, scilicet vel defectus vel peccatum graviter probrosum. Vide Num. 100.

Quandonam censetur committi gravis temeritas?

IV. R. Quando indicia seu motiva multùm deficiunt ab eo, ut moverent virum prudentem ad assensum: unde si indicia parum tantum deficiant, habebitur tantum levis temeritas & peccatum solum veniale.

Cæterum in hac materia maximè necesarium est confugere ad judicium morale, ut gravitas temeritatis cognosci possit, oportetque varias attendere circumstantias, tum personæ judicantis, tum personæ circa quam fuit judicium, an sit gravis vel levis, timorata an dissoluta, senex vel juvenis: loci etiam, an publicus an secretus, clausus vel apertus: temporis, an nocturnum an diurnum, tenebrosum an lucidum: modi, an petulanter an modeste, &c.

Insuper nota, quod temeritas, quæ gravis est, casu quo quis judicet, non ideo gravis sit, si quis tantum opinetur, suspicetur vel dubitet.

Nota 2°. Judicium verum posse esse temerarium, sicuti assertio vera potest esse mendax: v. g. si rationes veritatis non sint judicanti notæ.

Nota 3°. Errorem vulgi putantis, se non temere processisse, quando postmodum deprehendit rem ita se habere, prout judicaverat.

N. 117. OBSERVANDA A CONFESSARIIS.

I. *Observanda a Confessariis.* II. *Remedia contra judicia temeraria.*

QUÆNAM Confessarius attendere debet, circa judicia temeraria, & similia?

I. R. 1°. Quærere debet, an fuerit judicium, opinio, suspicio, vel dubitatio, & quousque deliberata.

2°. Quale malum de proximo judicaverit, opinatus fuerit, &c. hoc enim pertinet ad objectum ipsius peccati.

3°. Ob quas causas, sive ex quibus indiciis judicaverit, opinatus fuerit, &c. ut inde cognoscat gravitatem temeritatis.

4°. Quamdiu illis inhæserit; quia sunt peccata mere interna.

5°. Undenam oriantur ista judicia, suspiciones, &c. an non forte ex odio, invidia, aut simili passione; an non forte ex eo, quod pœnitens ipse malus sit, cujus rei signum est, si pœnitens quasi ex propria experientia noscat causas, connexionem & sequelas peccatorum, de quibus judicaverat.

6°. An ex illis judiciis nulla alia mala secuta sint, an personam, de qua judicaverat, non offenderit, ei non detraxerit, vel contumeliam fecerit, &c.

Quænam sunt remedia contra judicia temeraria, suspiciones, &c.?

II. R. 1°. Cognoscere seipsum, & considerare proprios defectus & peccata.

2°. Facta alorum dubia & incerta in bonam partem interpretari, juxta doctrinam S. Bernardi Sermone 56. in Cantica dicentis: "Cave, ne sis alienæ conversationis curiosus explorator, aut temerarius judex, etiamsi peram quid actum deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: putà ignorantiam, putà subreptionem, putà casum: quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recuset, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: vehemens nimis fuit tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?"

3°. Etiam multum valet recogitare Deum sibi reservasse judicium, omnium occultorum: unde dicit Apostolus: "Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat dominus." Vide plura in particulari apud Du Jardin "de officio Sacerdotis" parte 2. Sect. 15. apud Marchantium "in Horto Pastorum," & S. Francisc. Sales. "Introd. ad vitam devotam" parte 3. cap. 28.

N. 118. DE INTERPRETATIONE DUBIORUM.

S. Th. quæst. 60. *art.* 4.

I. *Non dubia rerum,* II. *Sed personarum benignè interpretanda.* III. *Pro cautela.* IV. *Potest supponi id, quod est deterius.* V. *Cavenda tamen nimia morositas.* VI. *Remedia.*

QUOMODO dubia debemus interpretari?

I. R. Dist. Dubia de rebus, seu quæ versantur circa res independenter à probitate proximi, non sunt in bonam partem interpretanda, sed suis æstimanda motivis.

II. Dubia circa personas, seu quæ concernunt proximi probitatem, sunt in meliorem partem interpretanda, saltem negativè: hoc est, debemus in dubiis istis vel benignè judicare, vel à judicando abstinere.

Ratio est, quod juxta vulgatum axioma, "quisque præsumendus sit bonus, donec probetur malus;" atque

ita non tantum postulat charitas, sed etiam justitia propter periculum temeritatis.

Obj. I. Dubia de nobis ipsis possumus interpretari in deteriorem partem: ergo etiam dubia de proximo; quia proximum tantùm diligère debemus sicut nos ipsos.

R. Disparitas est, nullum esse periculum committendæ injustitiæ, dum nos ipsos judicamus, quale est, dum in dubiis judicamus de proximo.

Obj. II. Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda: ergo nec dubia de personis.

R. Disparitas est, judicium de rebus nemini esse injuriosum; judicium autem de personis sine sufficienti motivo est illis injuriosum.

Obj. III. Inter homines sunt plures mali, quam boni: ergo possum communiter accidentibus dubia prudenter in deteriorem partem interpretari.

R. S. Thom. art. 4. ad 3. Melius est, quod homo frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rariùs fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.

An ergo est peccatum, si quis claudat exactius cistam aut cubiculum, quia homo ignotus ibidem versatur?

III. R. Negativè: licite enim quis adhibet cautelas opportunas, absque eo, quod aliquem judicet aut male de eo suspicetur.

IV. Pro hac re notanda sunt verba S. Thom. ad 3. "Interpretari aliquid in meliorem partem vel deteriorem, "contingit dupliciter: uno modo per quamdam suppositionem (supponendo deterius, sed non ideo sic judicando) "& sic cum debemus aliquibus malis adhibere remedium "sive nostris sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod est deterius; "quia remedium, quod est efficax contra majus malum, "multo magis est efficax contra minus malum. Alio modo "interpretatur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo "sive determinando, &c."

Juxta primum modum pater filiæ prudenter prohibet consortium juvenis, quia potest ab eo seduci; viator prudenter parat arma ad occursum hominis ignoti, quia potest esse latro. Sic Job nil mali judicans de filiis suis, offerebat holocausta pro singulis, dicens cap. 1. v. 5. "Ne forte "peccaverint filii mei:" sic etiam pro cautela & non aliter dicit regula 8. juris in 6. "Semel malus, semper præsumitur malus."

V. Cavendum tamen, ne quis per nimiam morositatem & nimias cautelas domesticos suos irritet, contristetur, aut factis suis defamet, prout faciunt isti, qui nemini volunt fidere.

An dubia etiam positivè in meliorem partem interpretari debent?

R. Est quidem consultum & charitati consentaneum de proximo bene judicare positive: in casu tamen veri & rationabilis dubii, suspendere actum judicii et dubitare non est illicitum.

Quibus mediis juvatur homo ad dubia proximi in meliorem partem interpretanda?

VI. R. 1°. Repellendo illa dubia tanquam inania et impertinentia.

2°. Accusationes apparentes elidendo per excusationes, juxta modum S. Bernardi citatum Num. præcedenti.

3°. Excitando affectum veræ charitatis respectu illius, de quo dubia obveniunt.

N. 119. DE INJURIIS IN CORPUS PROXIMI. DE SUICIDIO.

S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 5.

I. *Suicidium privatâ authoritate nunquam est licitum.* II. *Suicida tripliciter peccat.* III. *Monitum.*

VARIA sunt, quibus infertur injuria in corpus proximi, nempe suicidium, homicidium, mutilatio, adulterium, stuprum, fornicatio, raptus, et quæ sub his continentur, ut duellum, abortus, verberatio, incarceratio, &c. quæ respective prohibentur quinto Decalogi præcepto: "Non "occides;" vel sexto: "Non mæchaberis.".

Quid est suicidium?

R. Suicidium est, dum quis citra authoritatem Divinam jubentem, vel permittentem, sibi mortem infert.

An licitum est, seipsum occidere?

I. R. Seipsum directe et ex intentione occidere, seclusâ authoritate divinâ, gravissimum est peccatum.

Probatur 1°. ex præcepto "Non occides:" si enim vi istius præcepti non liceat occidere proximum, multo minus seipsum, cum quilibet sit maxime proximus sibi.

2°. Interficere seipsum est contra inclinationem naturæ,

quia quælibet res seipsam conservat, et adversus noxia tuetur: exceptio autem contra illam inclinationem admitti debet, nisi eam constet ab Authore naturæ esse factam.

II. Suicida igitur peccat in Deum, qui sibi dominium vitæ & necis reservavit: peccat etiam in rempublicam, cujus membrum ipsâ invitâ aufert: et in seipsum, lædendo jus custodiendæ vitæ suæ, quod ipsi à Deo inabdicabiliter concessum est, item lædendo charitatem, quâ quisque seipsum diligere debet.

S. Hieronymus scribens in cap. 1. Jonæ, videtur docere, pro servanda castitate licitum esse, seipsum interficere: sed in hoc puncto ab ipso cum S. Augustino & S. Thoma est recedendum.

Ad SS. Virgines, quæ, ne violarentur, seipsas occidisse leguntur, dicendum cum S. Augustino, eas id fecisse instinctu Spiritûs Sancti. Quidam eas excusant ratione ignorantiæ, quæ respectu ipsarum potuit esse saltem non graviter mala.

III. Quantùm ad instinctum Spiritûs Sancti sive divinam authoritatem ad se vel alios occidendum, rectè monet Petrus Marchantius, illam non posse præsumi, sed de ea debere apertissimè constare; quia in similibus facile fraus et illusio dæmonis potest intervenire.

Ex dictis patet, nunquam licitos esse erga seipsum actus per se mortiferos, qui ex se et propriâ naturâ tendunt ad mortem, ut jugulatio, strangulatio, sumptio veneni, &c.

An Judex, qui reus est mortis, potest seipsum licitè occidere, sicut potest alios reos occidere?

R. Negative: quia ille judex non est judex suî-ipsius, sed ab aliis judicandus est.

An Judex potest condemnare alium reum, ut seipsum occidat?

R. Videtur negandum; quia talis potestas non est reipublicæ necessaria, cum suppetant alii modi reos puniendi: nec constat Deum hanc potestatem reipublicæ concessisse.

Hinc docent Authores, condemnatum ut fame pereat, non posse abstinere à cibo clancularie oblato, nec sumere venenum, ad quod sumendum condemnatus foret.

An licet prosilire in fluvium, in quo certè submergendus est, ad baptizandum infantem alioquin sine Baptismo moriturum?

R. Negative, quia immediatus effectus talis saltûs est suî-ipsius occisio; & prolis baptizatio ex eo nullo modo

sequitur, sed tantum ex applicatione materiæ & formæ. Tenemur quidem ad succurrendum tali puero nos periculo mortis exponere juxta Num. 138. "de Charitate:" sed aliud est se mortis periculo exponere, aliud se occidere.

An licitum est prosilire è turri ardenti, ad evitandas acerbiores combustionis pœnas, dum neutro casu spes est mortem evadendi?

R. Versimiliter affirmative; saltem tum, si prosiliendo è turri mortem suam non acceleret: ratio est, quod saltus ille sit immediate fuga majoris mali, mortis nempe acerbioris: unde videtur se posse habere permissive ad mortem minus acerbam, quæ inde sequitur.

N. 120. DE SUICIDIO INDIRECTO.

I. *Illicitum est suicidium indirectum.* II. *Licent austeritates moderatæ.* III. *Non tamen immoderatæ.* IV. *Causæ excusantes à suicidio indirecto.* V. *An reus possit fugere.*

AN licet seipsum indirecte occidere, seu aliquid agere vel omittere, unde mors sequatur, etsi non intenta?

I. R. Per se loquendo negative: quia sic mors equidem esset in causa, seu interpretative voluntaria, ac adeo peccaminosa, nisi sufficiens ratio sic agendi adsit.

Igitur suicidii rei sunt, 1°. qui levibus de causis se conjiciunt in discrimen mortis, ut v. g. funambuli temerarii, vel sumentes venena ad ostentationem, nisi ita noverint per antidotum periculo occurrere, ut illud sit moraliter remotum.

2°. Qui mortem sibi accelerant per crapulam, ebrietatem, potum vini adusti, immoderatas passiones, &c.

3°. Ægroti recusantes remedia ordinaria probabilius profutura et non obfuturà, si ex eorum neglectu mors immineat.

Notandum, præfatos eò magis peccare, quo mortem magis accelerant, & quamdiu sunt in isto statu sibi graviter nocendi, tamdiu esse in continuo peccato mortali, & absolutione indignos.

An peccant, qui per austeritates dies suos minuunt?

II. R. Rarum est, moderatâ vitæ austeritate dies minui, quin potius vita prolongatur. Deinde licet quædam austeritates aliqualiter vitam abbreviarent, si tamen moderatæ sint, licitæ sunt: quia refrænatio carnis et multiplex utilitas spiritualis, quæ inde immediate sequitur, superat hunc effectum malum: id etiam probat communis praxis Sanctorum.

III. Austeritates tamen immoderatæ sunt illicitæ tanquam hominis occisivæ, nec unquam illis opus est ad fines principales. Immoderatæ autem censentur, sub quibus natura conservari non potest, vel homo impotens redditur ad debita opera peragenda: et tantum abest, ut per illas corpus spiritui subjiciatur, quin potius impediatur, ne præ languore spiritui obediat.

Notandum ex SS. Philippo Ner. et Francisco Sal. pluris æstimandos illos, qui carnem, rationis moderamine castigantes toti sint in intellectu coercendo, et voluntate sua divinæ subjicienda et conformanda, quam illos, qui, neglectâ animi curâ, solum corpus affligere volunt.

2°. In austeritatibus suscipiendis unumquemque pendere debere à nutu et directione Confessarii sui, non obstante quâcumque propriâ imaginatione, et voluntate.

IV. Dictum est initio Num. "Nisi sufficiens ratio sic "agendi adsit:" et hinc non culpandi, sed plurimum laudandi sunt Pastor ministrans Sacramenta peste infectis cum periculo infectionis, miles manens in statione cum periculo vitæ ob bonum commune, &c.

Similiter non peccat miles, qui primus murum ascendit, ignem pulveri tormentario injicit ad evertendam turrim, quamvis inde videat se certò occidendum.

Probabiliter etiam excusandus videtur, qui in navi inimica positus ignem in pulverem tormentarium injicit, ut navis et hostis pereat etiam cum certa suî internecione, si inde sequatur patriæ libertas, secus, si inde non sequatur, ex eo, v. g. quod adhuc multæ aliæ naves hostium supersint.

Culpandus tamen foret ille miles, qui in propria navi manens idem faceret, ne ipse cum navi veniat in potestatem hostium.

Pro ratione hìc applicandum principium S. Th. "Dum "una actio habet duplicem effectum," &c. de quo postea.

An condemnandus vel condemnatus potest vel debet fugere è carcere, si possit sine violentia?

V. R. Si esset innocens, regulariter deberet fugere, nisi aliud suadeat bonum Reipublicæ, aut Religionis: sic plures Martyres, licet evadere possent, in carceribus manserunt.

Si vero sit reus, docetur communiter, talem posse fugere, sed tamen ad fugam non teneri: quod non teneatur fugere, probatur ex eo, quod mors non sequatur ex non fuga, sed ex crimine commisso: quinimò putatur, reum posse suâ sponte se judici sistere, ut Deo et reipublicæ satisfaciat.

Quod possit fugere, probatur ex eo, quod fuga sit medium ad vitam servandam: nimium autem naturali inclinationi repugnaret, si tale medium adhibere non liceret: & hinc quidam existimant, eum ad hoc etiam posse effringere carcerem & vincula.

Suicida non reputatur, qui se interire sinit, quia non potest vitam nisi mediis extraordinariis servare, v. g. pretiosissimis medicamentis, gravissimis doloribus, &c. sic etiam Monialis non tenetur exire claustro, ut pro sanitate obtinenda aërem mutet.

An Carthusianus teneatur abstinere ab esu carnium cum periculo vitæ, vide resolutum N. 46. "de Legibus."

Quid dicendum sit de facto Samsonis, Eleazari & Raziæ, vide Daelman t. 5. q. 4. observ. 11.

N. 121. DE HOMICIDIO.

S. Thom. 2. 2. quæst. 64.

I. *Homicidium.* II. *Irrationalia licet occidere.* III. *Sensus præcepti* non occides. IV. *Exceptiones.*

QUID est Homicidium?

I. R. Est voluntaria & injusta hominis occisio. Prohibetur tum jure naturali, tum positivo divino: "Non "occides."

An præcepto "Non occides" etiam prohibetur occisio animalium irrationalium?

II. R. Negativè: Deus enim Gen. cap. 9. id expressè concessit: "Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum."

Notat tamen S. Thom. quòd animalia occidendo crudeliter committatur quædam inordinatio; nam animalia non crudelitati nostræ, sed usui sunt relicta. Hanc crudelitatem etiam condemnat Scriptura Sacra Proverb. cap. 12. "Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem "impiorum crudelia."

An esus carnium fuerit licitus ante diluvium, disputatur: Sylvius existimat eum fuisse licitum, religiosiores tamen ab eo abstinuisse.

Explica præceptum "Non occides."

III. R. Illo præcepto non tantùm prohibetur homicidium, sed etiam mutilatio, vulneratio, verberatio, &c. & quidquid ordinem dicit ad læsionem personæ proximi.

Indirectè præcipitur mansuetudo, patientia, concordia,

charitas, beneficientia, &c. ut explicat Catechismus Romanus parte 3. de quinto Decalogi præcepto.

An omnis omnino hominis occisio prohibetur hoc præcepto?

R. Negativè; sed illa, quæ fit authoritate privatâ, Deo non jubente nec permittente: hinc in definitione homicidii dictum est, quòd sit "injusta" hominis occisio.

Quænam ergo hominis occisio hoc præcepto non prohibetur?

IV. R. Illa, quæ fit authoritate divina: sic 1°. Non peccavit Abraham, qui jussu Dei voluit occidere filium suum Isaäc, Gen. cap. 22.

2°. Nec respublica, quæ occidit malefactores, cùm Deus similiter hanc potestatem reipublicæ dederit ob bonum commune, ut probabitur Num. sequenti.

3°. Nec justè belligerantes occidendo hostes: hanc enim potestatem divinitùs datam Scriptura Sacra, Patres et timoratissimorum Principum usus abundè probant. Conditiones belli justi vide breviter "in Analogia Becani" cap. 18. quæst. 1.

N. 122. AN AUTHORITATE PUBLICA LICEAT OCCIDERE MALEFACTORES?

I. *Respublica licitè occidit malefactores* II. *Reipublicæ multum noxios.* III. *Etiam fures.* IV. *Nunquam tamen innocentem.* V. *Nisi quasi indirectè.* VI. *Mittendo innocentem ad tyrannum.*

I. RESP. Non solùm licet, sed etiam præceptum est authoritate publicâ et servato juris ordine occidere facinorosos, reipublicæ perniciosos, quales sunt latrones, incendiarii, sacrilegi, fures, &c. Est contra Waldenses damnatos in Concilio Later. tertio.

Probatur ex concessione divina, facta Exod. cap. 22. V. 18. "Maleficos non patieris vivere." Et ad Rom. cap. 13. V. 4. "Si malum feceris, time; non enim sinè causa "gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram "ei, qui malum agit."

Accedit etiam ratio naturalis, quæ dictat membrum amputandum, dum ex eo imminet corruptio totius: jam autem ex perniciosis istis malefactoribus imminet corruptela et perturbatio reipublicæ: ergo, &c.

An respublica pòtest pro libitu quoscumque malefactores occidere?

II. R. Negativè; sed tantùm reipublicæ multùm noxios; unde non est hic attendenda gravitas seu malitia peccati secundùm se, sed nocumentum, quod infert reipublicæ.

Hinc justæ sunt leges militares pœnam mortis decernentes pro culpis secundùm se levibus, pro parva inobedientia, neglecta custodia, levi furto, &c. quia ex hujusmodi delictis, etsi sint secundum se levia, gravissima reipublicæ mala oborirentur, nisi severissimè prohiberentur.

An pro simplici furto licet hominem occidere?

III. R. Affirmativè, dum istud est reipublicæ graviter perniciosum: atque hoc probat praxis tribunalium.

Nec refert, pœnam non videri proportionatam delicto, dum pro damno rei temporalis aliquis vitâ privatur; nam ex ante dictis observari potest, pœnam non infligi pro ablatione rei alienæ temporalis secundum se, sed ob nocumentum, quod infertur paci et tranquillitati reipublicæ.

Obj. S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 6. ad. 2. dicit: Pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur secundum præsens judicium pœna mortis, nisi ut furtum aggravetur per aliquam gravem circumstantiam.

R. S. Thom. tantum dicit, suo tempore, secundum antiqua jura imperialia, furta simplicia non fuisse morte punita.

Accusant plerique Authores Scotum in 4. dist. 15. quæst. 3. quasi docuisset non licere fures occidere, nec alios quàm in veteri lege expressos. Verum Herinex, Henno, aliique Scotistæ conantur eum explicare, et ad locum citatum respondent, ut nos respondimus ad S. Thom.

An licet authoritate publicâ occidere innocentem?

IV. R. Nullo casu licitum est directè innocentem occidere, nisi Deus id expressè jusserit: hinc ob Dei expressum mandatum solum excusantur Israëlitæ occidentes omnes inventos in urbe Jericho ab infante usque ad senem, Jos. cap. 6. V. 21. Sic etiam excusatur David, dum 2. Regum c. 21. tradidit septem filios Saülis, ut crucifigerentur à Gabaönitis pro peccatis Saülis defuncti. Simile quoque mandatum dedit Deus Saüli respectu Amalecitarum 1 Reg. cap. 15. V. 3.

An equidem non licet reipublicæ indirectè occidere innocentes?

V. R. Licitum est reipublicæ justa de causa aliquid facere vel omittere, ex quo mors innocentis sequitur, non intendendo illam; quod est quasi indirectè occidere.

Sic princeps justè obsidens civitatem, licitè explodit et evertit turrim, in qua sunt innocentes, si aliter civitatem

expugnare non possit: quia Princeps ille utitur jure suo, et ita non potest ei imputari effectus præter intentionem secutus.

VI. Similiter si tyrannus obsidens civitatem, minetur eam totaliter evertere, nisi ad ipsum mittatur aliquis innocens: resolvunt communiter Authores, quod respublica possit ipsum innocentem mittere, imò tradere tyranno, non ex intentione, ut ab eo occidatur, sed ex intentione ut patria liberetur: hoc modo excusat S. Thomas Simonem, qui duos filios Jonathæ misit Triphoni 1. Machab. cap. 13.

Imò videtur in casu ille innocens obligatus ad exponendum vitam suam pro bono communi; et juxta Daelman reus fieret gravis peccati in rempublicam, si recusaret ad tyrannum ire.

Aliud foret, si ille innocens nullo modo esset subditus illius loci; quia extraneus pro republica aliena mortem subire non tenetur. Posset tamen respublica talem extraneum in sua ditione latitantem compellere exire cum mortis periculo.

Obj. I. Ex illa missione sequitur mors innocentis, et liberatio civitatis tantùm ex mutata voluntate tyranni: ergo, &c.

R. Ex illa missione mortem innocentis non sequi immediatè, sed ex mala voluntate tyranni: dum autem effectus malus non sequitur, nisi mediatè, non debet bonus nisi mediatè sequi.

Obj. II. Non liceret in casu innocentem tradere bestiis, neque codices sacros tyranno profanandos: ergo, &c.

R. Negando conseq. disparitas est pro priori, bestias naturaliter sævire et devorare; et ita, qui hominem bestiis objiciunt, directè illum occidunt: tyrannus verò agit liberè, et ita ipse, non mittens, directè occidit.

Pro secundo disparitas est, per profanationem librorum sacrorum fieri injuriam ipsi Deo & Religioni, quæ multò gravior est, quàm quælibet injuria reipublicæ inferenda: deinde codices sacri sunt altioris ordinis, nec ordinantur ad salutem reipublicæ, sed ad salutem animarum: membra autem communitatis ordinantur ad salutem temporalem communitatis.

Accedunt in confirmationem exempla varia SS. Martyrum, qui mori præëlegerunt quàm codices sacros tradere in manus tyrannorum, ut videre est in Martyrologio Romano, die secunda Januarii et undecimâ Februarii.

Ob eandem rationem putatur, illicitum esse mittere tyranno virginem stuprandam; quia pudicitia virginis non ita ordinatur ad rempublicam servandam, ut vita innocentis subditi. Præterea in casu virginis est periculum proximum, ne libidini consentiat, quale periculum non est in casu

innocentis occidendi, ut propterea respublica se potius permissive habere possit in casu innocentis, quam in casu virginis.

N. 123. DE JUDICE FAMOSO.

S. Thom. q. 64. art. 6. ad 3. & q. 67. art. 2.

I. *Si judex privatim noscat innocentem, non potest eum ad mortem damnare.*

FAMOSA est quæstio, quid agere debeat Judex, si privatâ scientiâ noscat aliquem esse innocentem, qui tamen in judicio probatur reus?

Certum est, ab isto Judice adhibendam esse omnem diligentiam & industriam, ut liberet innocentem, v. g. avertendo actorem, monendo testes privatim, eos exactius examinando, ut possit inveniri contradictio, prout fecit Daniel pro Susanna: vel curando, si possit sine scandalo, ut innocens fugâ elabatur, vel remittendo eum ad superiorem judicem, quem moneat de falsitate, et cui se testem veritatis offerat, &c.

Quid, si adhibitis his mediis, innocentem liberare nequeat (qui casus, ut patet, fere metaphysicus est) & nisi eum morti adjudicet, graves perturbationes in republica sunt excitandæ?

R. Schola Thomistica communiter cum S. Th. Alexandro de Ales, Steyaert, Danes, &c. sustinet, judicem non peccaré, si ferat sententiam mortis in illum innocentem secundùm allegata & probata. Ratio eorum est, quod in casu Judex non occidat, sed falsi testes.

I. ℞ contra Sylvius & cæteri plerique Authores docent, talem Judicem posse quidem contra privatam suam scientiam judicare secundùm allegata & probata in casibus civilibus, sed non criminalibus, ubi agitur de pœna mortis, membro amittendo, aut simili graviore.

Probatur hæc sententia ex lege naturali & generali, Exod. cap. 23. V. 7. "Insontem & justum non occides." Et eodem cap. V. 2. "Non sequeris turbam ad faciendum "malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, "ut à vero devies."

2°. Respublica non habet à Deo potestatem occidendi nisi malefactores reipublicæ multùm noxios: atqui innocens licet probatus reus, non est reipublicæ noxius: ergo, &c. Sic omnes admittunt à republica occidi non posse in-

nocentem ad mandatum tyranni, alioquin patriam eversuri: ergo nec à judice in casu ad servandum juris ordinem.

Obj. I. Potest Judex ex dictis sic procedere in causis civilibus: ergo & in criminalibus.

R. Disparitas est, quod respublica ratione alti dominii disponere possit de bonis temporalibus subditorum, quando id exigit reipublicæ necessitas: disponere autem non potest de vita vel membris hominis, nisi ex concessione divina, quæ concessio pro casu controverso nullibi legitur esse facta.

Obj. II. Exigit ordo juris, ut Judex procedat secundùm allegata & probata: ergo, &c.

R. Antecedens verum est, dum judex fert sententiam de iis, quæ plenè subsunt reipublicæ dispositioni, à qua suam potestatem accepit. Deinde non dicimus à judice posse judicari contra allegata & probata (quod contrariatur ordini juris) sed judicio supersedendum esse, quod in casu juris ordinem non evertit.

Obj. III. Respublica videtur habere potestatem occidendi probatos reos; quia Deut. cap. 17. V. 6. Deus dedit Judicibus hanc regulam: "In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur:" & cap. 19. V. 15. "In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum:" ergo, &c.

R. Negand. antec. Ad verba objecta dicendum, ea optimè intelligi in sensu negativo: "Nemo condemnetur, nisi sub duobus aut tribus testibus." Id probant verba sequentia in textu priori: "Nemo occidatur, uno contra se testimonium dicente;" & verba præcedentia in textu posteriori: "Non stabit testis unus contra aliquem."

Deinde etsi acciperentur in sensu positivo, intelligi deberent hoc modo, quod duo vel tres testes sufficiant, ut Judex de veritate allegatorum concludat, & secundum ea procedat, nisi aliquid obstet, prout in casu obstat scientia privata.

Obj. IV. In casu judex non occidit, sed falsi testes, juxta S. Thomam: ergo, &c.

R. Negando assump. nam judex ferendo sententiam, mandat innocentis occisionem; adeoque mortem verè intendit et in eam influit.

Obj. V. Judex petendo juramentum ab eo, quem scit pejeraturum, non est causa perjurii: ergo ferendo sententiam mortis in innocentem, non ideo est causa mortis.

R. Disparitas est, quod, ut dictum est, judex per sententiam mandet occisionem innocentis; sed in casu objecto judex non mandat juramentum, sed tantùm ad instantiam

partis admittit illud et offert præstandum, sic ut juraturus maneat liber ad non jurandum: verùm innocens in nostro casu absolutè cogitur mori.

N. 124. DE HOMICIDIO AUTHORITATE PRIVATA.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 3.

I. *Privatus illicitè occidit.* II *Maritus adulterum.* III. *Factum Moysis.* IV. *Phineës.* V. *Aod, Jahel, &c.*

AN nunquam licitum est occidere hominem authoritate privatâ?

I. R. Nunquam id licet: & ita privatus nequidem occidere potest malefactores reipublicæ multùm noxios; quia Deus hanc potestatem non concessit privato, sed tantùm reipublicæ, et illis, qui ejus vices gerunt.

Nec obstat, à quolibet privato occidi posse "bannitos," seu à republica vel Principe proscriptos; quia "banniti" non occiduntur privatâ authoritate, sed publicâ, quam respublica vel Princeps ob gravissimas rationes unicuique tanquam ministro suo committit.

II. Non obstat etiam, leges civiles permisisse patri filiam, & marito uxorem occidere in adulterio deprehensam, ac ipsum etiam adulterum; dicendum enim, vel leges hujusmodi cædes non approbasse ut licitas, sed pro foro externo permisisse impunitas ob justum patris vel mariti dolorem; vel leges illas tanquam iniquas per jus canonicum correctas esse.

Quid judicandum de facto Moysis, qui Exod. cap. 2. occidit Ægyptium percutientem quemdam de Hæbreis fratribus suis?

III. R. S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 70. docet, Moysen ex nimio & inculto zelo hunc Ægyptium occidisse: verum quæst. 2. in Exod. censet eum id ex Dei admonitione vel inspiratione fecisse, quod colligit ex Act. cap. 7. V. 25. præterea S. Thom. hanc responsionem probans, aliam ex S. Ambrosio adfert, scilicet Moysen occidisse Ægyptium defendendo eum, qui injuriam patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

IV. Quantum ad factum Phineës Num. cap. 25. satis patet ex eodem loco, quod occiderit scortantes authoritate divinâ: authoritas enim illa ibidem data erat judicibus

Israel: cum autem Phinees esset filius Summi Sacerdotis, ad eum hoc judicium pertinebat, sicut ad alios Judices, ait S. Thomas.

V. Ad facta Aod, Jahel, Judith, &c. dici potest, vel fuisse specialiter inspiratos, vel saltem attentâ istorum temporum sævitiâ bellandi, morumque duritate, facta illa multùm extenuari. Dum Scriptura ea laudat, plùs sæpe laudantur ob circumstantiam quamdam laudabilem eis annexam, quam quia in se laudabilia sunt.

N. 125. DE DEFENSIONIBUS OCCISIVIS.

I. *Injustus invasor vitæ* II. *Licitè occiditur,* III. *Servato moderamine inculpatæ tutelæ.* IV. *Conditiones hujus moderaminis.* V. *Probatur sententia ex S. Augustino.* VI. *Ex Catechismo Romano* VII. *Ex Jure Canonico.* VIII. *Ex rationibus S. Thomæ.*

AN licet vitam suam defendere cum occisione injusti invasoris?

I. R. 1°. Certò non licet occidere "justum invasorem" vitæ, Judicem, Scabinos, &c. qui justè ad mortem condemnant.

2°. Nec licet occidere Judicem, testes aut accusatores, à quibus injusta imminet sententia, ut constat ex propositione 18. condemnata ab Alexandro VII. "Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via innocens non possit damnum evadere." Ratio condemnationis est, quod similis aggressio non fiat per vim; sed sicuti invaditur via juris, licèt inique, ita via juris medium est, quo se defendat; quod si non possit, opus est christiana fortitudine et patientia, dicendumque cum Psalmista Psalm. 16. "Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras."

Quæritur itaque, an, dum quis injustè invaditur per vim, v. g. à latrone, nec aliter mortem evadere potest, quam injustum invasorem occidendo, licitè sic sese defendat, ut ex defensione mors invasoris sequatur?

II. R. Negant Boudart, Van Roy & alii pauci: dubitat Steyaert, Pauwels, & continuator Tournellii: verùm Estius, Sylvius, Wiggers et alii communiter affirmant, modò servetur moderamen inculpatæ tutelæ.

Quandonam servatur moderamen inculpatæ tutelæ?

III. R. Hæc phrasis desumpta est ex Innocentio XI. cap. SIGNIFICASTI. Extra leg. 5. tit. 12. & Alexand. III. cap. SI VERO "de sententia excommunicationis." Requirit autem sex conditiones.

IV. Prima: Ut ipsa defensio fiat non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam: contra hanc conditionem peccat, qui se defendit ex ira, odio aut vindicta.

Secunda: Ut invasus non utatur majori vi defensivâ, quàm sit opus ad avertendam mortem intentatam: hinc si invasus evadere possit fugiendo, clamando, excutiendo invasoris arma, vulnerando, &c. illicitè se defendit cum occisione invasoris.

Tertia: Ut vera vis inferatur: aliàs non foret defensio, sed aggressio: et ut defendens vim illatam repellat vi similis generis.

Hinc non potes prævenire & occidere illum, qui solis minis tibi mortem intentat, neque latronem tibi obvium nil in te actu molientem; neque etiam eum, qui dolo, insidiis aut calumniâ tibi mortem inferre conatur, putà falsum accusatorem, falsum testem, &c. ut constat ex propositione damnata supra citata.

Hæc tamen non ita intellige, quasi invasus expectare debeat, donec invasor primum ictum dederit, sed sufficit, eum aliquid agere, quo censeatur moraliter invadere, v. g. si jam stringat ensem, dirigat sclopetum, &c.

Quarta: Ut effectus bonus defensionis prævaleat, aut saltem adæquet effectum malum: alioquin deesset justa causa. Vide id latiùs apud De Cocq & Daelman.

Quinta: Ut effectus malus non sequatur immediatè et directè, et effectus bonus tantùm mediatè et indirectè, quia hoc esset facere malum, ut eveniat bonum. Hinc non licet projicere infantem in puteum, ut baptizetur.

Sexta: Ut mors invasoris non intendatur, neque ut finis, neque ut medium, neque ut effectus defensionis; quia cùm illicitum sit privatâ authoritate hominem occidere, illicitum quoque est, quòd invasus intendat invasorem occidere.

Positis his conditionibus, nullum est peccatum, nequidem contra charitatem (ut communis habet sententia) vitam suam cum occisione injusti invasoris defendere; nisi fortè invasor esset persona necessaria vel multùm utilis reipublicæ, aut alia circumstantia occurreret, quæ dictaret vitam invasoris præferendam esse vitæ invasi.

V. Probatur hæc sententia 1°. ex S. Augustino quæst.

84. in Exod. dicente: "Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus, pertinere; quia si oriatur sol super eum, poterat discerni, quòd ad furandum, non ad occidendum venisset."

Legem autem illam non debere judicari "judicialem" tantùm, patet ex eo, quòd textus S. Aug. relatus sit in Jus Canonicum leg. 5. tit. 12. cap. 3. quod jus principaliter spectat forum conscientiæ. Insuper ratio, quam dat S. Aug. petitur ex natura rei: unde lex illa Exodi partim naturalis erat, dictans talem non esse reum homicidii.

VI. Probatur 2°. ex Catechismo Romano, qui explicans præceptum "Non occides," sic habet: "Si quis salutis suæ defendendæ causâ, omni adhibitâ cautione, interemerit alterum, hâc lege non teneri satis patet."

VII. Probatur 3°. Clemens V. leg. 5. tit. 4. cap. unico dicit: "Si furiosus, aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, et idem censemus de illo, qui mortem aliter evitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem;" atqui secundum præsentem juris dispositionem omnia omnino homicidia peccaminosa habent annexam irregularitatem: ergo, &c.

VIII. Probatur 4°. ex rationibus S. Thomæ q. 64. art. 7. quarum prima est, quòd secundum jura liceat vim vi repellere: secunda, quia per se loquendo et cæteris paribus, tenetur homo plus providere vitæ propriæ, quam alienæ: tertia et præcipua ratio est, quia occisio invasoris in casu non est voluntaria, eo quod sit præter intentionem: cùm enim ex tali defensione æque immediate sequatur propria conservatio, ac mors invasoris, licet se ita defendere intendendo effectum bonum, et se permissive habendo ad effectum malum.

N. 126. SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBJ. I. Lex "non occides" est generalis, nec legitur Deus casum hunc de occidendo invasore excepisse: ergo, &c.

R. Negando conseq. quia hic casus defensionis non eget excipi, eò quòd illâ lege non comprehendatur: qui enim moderamine servato se defendit, licet occidat physice, non tamen occidit moraliter: occidere enim moraliter importat aliquem è medio tollere, intendendo ejus mortem.

Inst. Atqui occidit moraliter. Probatur: quia voluntarie ponit actionem certò causativam mortis: ergo, &c.

R. Negando conseq. ratio est, quòd non ponat actionem causativam mortis, quatenùs causativam mortis, sed quatenùs suî defensivam: cum enim justam causam habeat ponendi defensionem, hinc non est moralis causa mortis: nihil enim prohibet, ait S. Thom. unius actùs esse duos effectus, quorum alter sit solum in intentione, alius verò præter intentionem. Exemplum poni potest in Medico, qui præcipit aperiri venam infirmo, ex qua apertione certò scit secuturum animi deliquium, quod revera ipse nollet, si aliter infirmus posset sanari: in hoc casu Medicus vult salutem infirmi "ut finem," emissionem sanguinis "ut medium:" deliquium autem istud nullo modo vult, nisi ut aliquid simul sequens præter intentionem suam, quod non censetur moraliter velle.

Inst. II. Qui vult causam per se alicujus effectûs, saltem indirecte vult effectum in ea causa per se contentum: ergo qui in casu vult talem defensionem, vult saltem indirecte alterius occisionem.

R. Ex assumpto ad summum sequitur, quòd talis istum effectum velit physice et materialiter, sed non sequitur, quòd istum effectum velit moraliter et imputabiliter; quia ut effectus sit voluntarius et imputabilis, requiritur obligatio non ponendi causam; jam autem sic se defendens habet justam causam ponendi illam actionem.

Obj. II. Invasus in casu intendit mortem invasoris. Probatur: actio invasi non est defensiva, nisi quatenùs occisiva: ergo intendendo actionem defensivam intendit mortem.

R. Negando ass. ejusque probationem: quia tantum verum est, quòd intendat actionem defensivam, quæ simul quidem est occisiva, sed eam ut talem non intendit. Defendens ergo in casu intendit conservationem vitæ "ut "finem," et actionem defensivam "ut medium" necessarium; quæ defensio, cum habeat duos effectus, justa de causa habet se permissive ad effectum malum, et intendit effectum bonum; unde etiam negandum est, actionem non esse defensivam nisi mediante morte.

Inst. Atqui actio illa intenditur ut est occisiva. Probatur: quia ideo invasus potiùs sclopetum dirigit ad caput aut cor invasoris, quam ad brachia vel pedes, ut ictus sit occisivus: ergo, &c.

R. Negando subseq. ejusque probationem; ideo dirigit

sclopetum ad caput aut cor, eò quòd ictus non esset aliter satis defensivus propriæ vitæ; quòd si ictus directus, v.g. ad crura, esset satis defensivus, tali casu dirigendo ictum ad caput vel cor, excederet moderamen, et peccaret.

Obj. III. Si licet sic occidere, licet etiam intendere mortem; quia licet velle id, quod licet facere.

R. Distinguendo assump. probationis: licet velle id, quod licet facere, quando id in se licitum est, concedo assump. quando tantùm consequitur actum licitum, et ab eo quis excusatur defectu voluntarii, nego assump. sic licitum est Confessario se permissive habere ad motus turpes, qui oriuntur ex auditione confessionis; non tamen licet eos intendere.

Obj. IV. S. Augustinus lib. 1. "de libero arbitrio" cap. 5. dicit: "Quo pacto illos defendam, qui interfi- "ciunt, ne interficiantur, non invenio." Et ad Publicolam Epist. 154. "De occidendis hominibus, ne ab iis "occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, &c."

Similiter S. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 4. dicit: "Mihi non videtur, quòd vir christianus quærere sibi "vitam alienâ morte debeat, qui etiamsi in latronem ar- "matum incidat, ferientem referire non possit, ne dum "salutem defendit, pietatem contaminet." Similia habet lib. 3. in Lucam cap. 22.

R. S. Thom. utrumque locum S. Augustini dicit intelligi debere de iis, qui intendunt occidere, ne ab aliis occidantur.

Deinde verba prioris textûs juxta novissimam editionem Parisiensem, non sunt S. Augustini, sed S. Evodii, cui respondet S. Augustinus: "Multò minùs ego inve- "nire possum cur hominibus defensionem quæras, quos "reos nulla lex tenet." Replicat autem Evodius: "Nulla "fortasse, sed earum legum, quæ ab hominibus leguntur; "nam nescio, utrum non aliquâ vehementiore ac sacratis- "simâ lege teneantur." Hanc distinctionem quidem in sua generalitate approbat S. Aug. sed non ut absolute veram, sed solummodo ut fidentem et sublimia quædam petentem, inchoatam tamen minusque perfectam; nec eam applicat occisioni invasoris.

Alii dicunt, ipsum S. Augustinum fateri lib. 1. Retractationem cap. 9. quòd in libris de libero arbitrio plus disputative, quàm assertive loquatur, prout etiam patet ex eo, quòd in citatis locis nihil admodum finaliter resolvat.

Ad locum ex Epistola ad Publicolam respondetur, in eo agi de quæstione, an invasus debeat invasorem occidere, & quidem ut apparet ex textu, invasorem, qui sinè interfectione repelli potest, cui quæstioni rectè respondet S. August. sibi non placere consilium de occidendis hominibus.

R. Ad S. Ambrosium, quòd improbet occidere aliquem animo vindictæ, vel intendendo mortem: alioquin sequeretur ex verbis ejus non esse licitum se defendere contra invasorem vitæ referiendo, quod falsum est.

Alii docent, S. Ambrosium utroque loco prohibere defensionem, non ut in se malam, sed ut minus perfectam sub lege Evangelii: uno ex his modis solvi possunt plures alii textus SS. Patrum relati apud Authores.

N. 127. COROLLARIA CIRCA DEFENSIONEM OCCISIVAM.

I. *Defensio occisiva non est præcepta.* II. *Licita tamen etsi causa data.* III. *Exceptio.* IV. *Licet defendere vitam proximi.* V. *An invasus teneatur ad restitutionem.*

AN ex sententia, quæ docet invasum posse, non est consequens eum teneri ad defensionem occisivam?

I. R. Negativè, quia præceptum conservandæ propriæ vitæ non obligat, ut tali medio extraordinario servetur: si tamen solummodo consideretur vita invasi, certum est, invasum debere vitam suam præferre vitæ invasoris secundum ordinem charitatis: verùm si attendatur bonum virtutis christianæ, ut dictum est Num. 139. "de Charitate," putâ quòd occasione occisionis invasoris sequatur ejus æterna damnatio, item quòd invasus se exponat periculo excedendi moderamen, charitas potiùs inclinat (licet non obliget) ut invasus à tali defensione abstineat, nisi forte sciret se esse in peccato mortali, diffideret de vera contritione, aut foret persona reipublicæ necessaria, &c.

An licet invaso sic se defendere, si invasori causam invadendi dederit verbis vel factis?

II. R. Affirmativè, sepositâ necessitate spirituali extremâ invasoris; quia propter talem causam invasionis datam, invasus non remittit jus se defendendi, nisi foret bannitus, seu à republica proscriptus, cujus occidendi unusquisque potestatem accepisset.

III. Dictum est "Sepositâ necessitate extremâ spiri-

"tuali invasoris:" quia si invasor sit amens vel ebrius, qui scitur esse in peccato mortali, & postea speretur ejus pœnitentia, regulariter illicitum erit talem occidere; quia debemus pro tali animam ponere, ut dictum est Num. 138. "de Charitate."

An licet contra injustum invasorem defensione occisivâ tueri vitam proximi?

IV. R. Per se loquendo affirmative; quia istud auxilium præstitum proximo invaso est justum, cum sit cooperari operi licito proximi.

Non tamen tenemur per se loquendo ita defendere vitam proximi invasi, nisi invasus foret pater, mater aut proximus consanguineus, vel persona reipublicæ multum utilis, &c. ratio patet ex dictis initio Num. scilicet quod ipse invasus non teneatur sic defendere vitam propriam.

Hinc communiter resolvunt Authores, nequidem prætorem, licet ex justitia teneatur defendere vitam subditorum, obligari cum propriæ vitæ periculo defendere vitam alicujus privati invasi: atque ita habet communis apprehensio.

An tenetur ad restitutionem, qui injustum vitæ invasorem occidit?

V. R. Non tenetur, si moderamen non excesserit: quòd si moderamen excesserit, aliter scilicet quàm affectu merè interno, tenebitur; quia eatenus est injusta occisio.

Monent De Cocq, aliique hanc quæstionem non esse publice tractandam coram populo, ne homines vulgares dictam occidendi licentiam nimium extendant, et quia rarò fit sine peccato, cum facile excedatur requisitum moderamen.

N. 128. DE DEFENSIONE OCCISIVA CAUSA PUDICITIÆ CONSERVANDÆ.

I. *Illicita est occisio invasoris pudicitiæ.* II. *Tenetur tamen invasus resistere.*

AN licet se defendere cum occisione invasoris pudicitiæ?

I. R. Sententia negativa sicut hodie est communior, ita etiam verior et practice tenenda videtur.

Probatur 1°. quia pudicitia vel sumitur pro virtute animi; & hæc ab invitis auferri non potest: unde dicebat S. Lucia tyranno: Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam: vel sumitur pro integri-

tate corporis et hæc est inferioris, quàm vita hominis: adeoque præferri non potest vitæ invasoris; proinde pudicitiam sic acceptam defendens cum occisione invasoris, non servaret moderamen inculpatæ tutelæ.

Probatur 2°. ex S. Aug. lib. 1. " de libero arb." cap. 5. dicente: " Legem quidem (erat lex civilis, quâ invasores " pudicitiæ occidebantur impune) non reprehendo, quæ " tales impunè permittit interfici; sed quo pacto illos de- " fendam, qui interficiunt, non invenio."

Adde, quod inter Sanctas, quas colit Ecclesia, nullæ legantur hâc defensione usæ, quamvis indubiè aliquando occasio adfuerit. Nec etiam reperitur casus hic exceptus à generali lege " non occides."

Obj. I. In jactura pudicitiæ periculum est consentiendi libidini alienæ, nisi occidatur invasor: ergo licite occiditur.

R. Cum Steyaertio, quòd in corruptionibus istis violentis major soleat esse horroris, quam delectationis sensus pro parte saltem superiori, seu voluntate, esto in parte sensitiva aliquid forte illecebræ interveniat: unde periculum istud non est ita propinquum. Ita etiam censuit S. Augustinus lib. 1. " de Civitate Dei" cap. 25. dicens: " Nullo modo " hoc facit animus, ut consentiat libidini carnis suæ aliena " libidine concitatæ, qui Deo potiùs ejusque sapientiæ, " quam corporis concupiscentiæ subjectus est."

Dato etiam, periculum consensûs esse proximum, non licet facere certum peccatum occisionis, ut evitetur incertum. " Quis enim ita desipiat, inquit S. Augustinus ci- " tatus, ut dicat: jam nunc peccemus, ne forte postea pec- " cemus: jam nunc perpetremus homicidium, ne forte " postea incidamus in adulterium."

Obj. II. Mulier non potest, nequidem metu mortis, velle permittere se violari, ergo licite se defendit occidendo invasorem.

R. Negando conseq. ratio est, quod velle permittere se violari, sit consentire in suî violationem, adeoque peccare.

Obj. III. Pudica mulier mallet mori, quam corpore fœdari: ergo pudicitia pluris facienda est, quam vita.

R. Dato antecedente, nego cons. quod enim pudica mulier possit eligere potius pati mortem, quam fœdari, non est quia pudicitia pluris fieri debet quam vita, sed quia non tenetur vitam conservare medio tam odioso & periculoso: aliud autem est, non conservare vitam, aliud occidere. Hoc sensu intelligi potest id, quod dicit S. Ambrosius lib. 3. officiorum: " Periculum pudoris bonis feminis

"morte gravius est:" vel dici potest, quod S. Pater tantùm velit pudicam feminam malle mori, quam alienæ libidini consentire.

Obj. IV. S. Augustinus lib. contra mendacium dicit: esse minus malum mentiri ad tuendam pudicitiam quam ad servandam vitam: atqui vita potest defendi cum occisione invasoris: ergo & pudicitia.

R. Textus S. Augustini, quo mirè lætantur adversarii, evidenter agit de pudicitia, ut est virtus animi.

II. Notandum, quod licet persona, cujus pudicitia invaditur, non possit invasorem occidere, teneatur tamen omni modo possibili resistere, fugiendo, clamando, manibus pedibusque reluctando, &c. nec licet ei, etiam metu mortis quieto corpore manere; quia hoc esset actui turpi cooperari.

Monet de Cocq ex de Lugo in praxi raró credendam esse oppressionem violentam, quæ sit sine omni peccato ex parte feminæ.

De osculis et tactibus impudicis, in quibus omnimoda intervenire potest violentia, dicendum, quod etiam postea se defendere possit persona vim passa, v. g. fugienti infligendo alapam; non quidem ad vindictam sed ad ostensionem indignationis, ut sic pro futuro terreatur aggressor impudicus.

N. 129. DE DEFENSIONE OCCISIVA CAUSA HONORIS VEL FAMÆ.

I. *Illicitum est occidere invasorem honoris vel famæ.*

AN licet occidere injustum invasorem honoris vel famæ?

I. R. Nulli unquam licet, cujuscumque conditionis sit, honorem aut famam defendere cum occisione injusti invasoris.

Probatur 1°. Honor & fama radicaliter sumpta ab invito auferri non possunt; quia sic consistunt in qualitatibus tam naturalibus, quam supernaturalibus: formaliter sumpta consistunt in testificatione & æstimatione aliorum: ista autem testificatio et æstimatio sunt bona nimis fragilia & mutabilia, quam ut vitæ hominis comparari possint.

Probatur 2°. occidere in tali casu est vindictam sumere, non se defendere; quia occidendo non conservat famam et honorem, utpote jam ablatum; sed solùm acquirit falsum quemdam honorem apud mundanos.

Probatur 3°. ex condemnatione sequentium propositionum.

"1°. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui "nititur calumniam inferre, si aliter ignominia hæc vitari "nequit. Idem quoque dicendum, si quis incutiat alapam "vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum "fustis fugiat." Est trigesima inter damnatas ab Innocentio XI.

"2°. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem "gravia crimina de se vel de sua Religione spargere mi-"nantem occidere, quando alius modus defendendi non "suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit "paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè et "coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occi-"datur." Est decima septima inter damnatas ab Alexandro VII.

Obj. Vir honestus mallet mori, quam vivere sine fama & honore: ergo, &c.

R. Dist. assumptum; meritò mallet mori, quam perdere famam et honorem ex propria culpa, concedo assumptum: merito mallet mori, quam amittere famam et honorem sine sua culpa per aliorum detractiones & calumnias, nego assumpt.

Licitum tamen est moderate famam et honorem suum defendere, ut fecit S. Paulus adversùs Pseudo-Apostolos 2. ad Cor. cap. 10. & varii alii Sancti, præcipuè ubi honor Religionis id exigebat.

N. 130. DE DEFENSIONE OCCISIVA CAUSA BONORUM TEMPORALIUM.

I. *Non licet occidere ob bona temporalia.*

AN licet occidere injustum invasorem bonorum temporalium?

I. R. Negativa certa est. Probatur 1°. Ex eo, quod bona temporalia sint longè inferioris ordinis, quam vita; adeoque peccatur contra quartam conditionem Num. 125. requisitam ad moderamen inculpatæ tutelæ.

Probatur 2°. quia Deus ipse Exod. cap. 22. prohibuit occidi furem diurnum, eo quod discerni tunc posset, quod ad furandum, non ad occidendum venisset.

Conformiter leges civiles non permittunt occidi furem diurnum, nisi se telo defendat, neque etiam furem nocturnum, si quis sine suo periculo eidem parcere potuerit. Leg. 44. digest. tit. 8. lege 9.

Confirmatur responsio ex condemnatione sequentium propositionum per Innocentium XI. "Regulariter occi- "dere possum furem pro conservatione unius aurei." Est trigesima prima.

"Non solum est licitum defendere defensione occisiva, "quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum "habemus, et quæ nos possessuros speramus." Est trigesima secunda.

"Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra in- "justè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata "solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti ad "cathedram vel præbendam contra eorum possessionem "injustè impedientem." Est trigesima tertia.

Obj. I. Cap. INTERFECISTI. lib. 5. Decret. tit. 12. dicitur: Si sine odii meditatione te tuaque liberando hujusmodi diaboli membra interfecisti......Si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, et eleemosynam fac largiter: ergo licet occidere ob bona temporalia.

R. Neg. conseq. quia verba "te tuaque liberando" summi non debent disjunctivè, sed copulativè, ut verba præ se ferunt: unde non est ibi sermo de invasore bonorum temporalium tantùm, sed etiam vitæ.

Ad cap. OLIM "de restitutione spoliatorum," & cap. DELICTO "de sententia excommunicationis" in 6. respondetur, in illis tantùm agi de defensione contra invasorem, non de occisione ejus: licitum certè est invasorem repellere, et sua defendere; sed non ideo licet occidere.

Obj. II. Sententia hæc fovet malitiam furum cum perturbatione reipublicæ et oppressione bonorum: ergo, &c.

R. 1°. Retorquendo argumentum: sententia opposita viam aperit homicidiis et animum addit sanguinariis cum perturbatione reipublicæ, et æterna damnatione animarum.

2°. Nostra sententia non prohibet omnem defensionem, et justitia publica supplet id quod deest defensioni privatorum: quod si hinc inde aliquis ejus vigilantiam effugiat, hoc per accidens est, et curari non solet.

Deinde satis multi semper inveniuntur, qui res suas acriter defendunt etiam cum occisione invasoris, et ita fures terrent, ut opus non sit, eos sententiâ favorabili instigare.

Obj. III. Bona fortunæ sunt necessaria ad vitam: atqui licitum est defendere vitam cum occisione invasoris: ergo etiam bona fortunæ.

R. Dist. assumptum: si per bona fortunæ necessaria intelligantur divitiæ, nego assumptum: falsum enim est

eas ad vitam esse necessarias: si verò per bona fortunæ necessaria intelligantur id, sine quo vita hìc et nunc servari non potest, v. g. panis extremè indigenti, tabula naufraganti, admitti potest assumptum: tunc enim verisimile est, licitum esse rem istam defendere cum occisione invasoris; quia est moralis invasio ipsiusmet vitæ.

N. 131. DE GRAVITATE ET DIVISIONE HOMICIDII.

I. *Gravitas homicidii.* II. *Ejus malitia.* III. *Dividitur in simplex et qualificatum.* IV. *Quale est parricidium.* V. *Sacrilegium.* VI. *Latrocinium.* VII. *Assasinatus.*

QUANTUM peccatum est homicidium?

I. R. Est ex genere suo peccatum valde grave, et unum ex quatuor clamantibus in Cœlum: Gen. cap. 4. V. 10.

In quo consistit malitia homicidii?

II. R. 1°. In eo, quod homicida sibi usurpet jus, quod Deus sibi reservavit, et ex consequenti violet quodammodo imaginem Majestatis Divinæ; ad imaginem enim Dei factus est homo: Gen. cap. 9. V. 6.

2°. Violat jus occisi, privando eum vitâ, cujus custodiendæ inabdicabile jus habebat; et ejus animam fortè periculo damnationis exponit. Reus etiam esse potest variorum aliorum damnorum, de quibus in sequentibus.

3° Peccat in rempublicam, cujus membrum ipsa invita aufert.

Quomodo dividitur homicidium?

R. 1°. Ex parte actus voluntatis dividitur in directum et casuale: hoc subdividitur in casuale simpliciter seu purè, et in casuale secundum quid: prius est, quod neque in se neque in causa est voluntarium: & tale homicidium defectu voluntarii non est peccaminosum. Posterius est, quod non quidem in se, sed in causa est voluntarium, ac adeo etiam peccaminosum.

III. 2°. Dividitur ex parte circumstantiarum in homicidium simplex et qualificatum, quale est suicidium, parricidium, sacrilegium, latrocinium, assasinatus, homicidium maleficum, abortus, homicidium in duello, &c.

Quid est homicidium simplex?

R. Est injusta hominis occisio sine ulla enormi circumstantia.

Quid est parricidium?

IV. R. Propriè significat cædem patris: sed generaliter sumi solet etiam pro matricidio, uxoricidio, fratricidio, sororicidio; item pro cæde prolium et propinquorum, item pro cæde Regis aut Principis et cujuslibet personæ, cui ob superioritatem debetur pietas, observantia aut obedientia.

Hinc ad parricidas reducuntur mulieres procurantes abortum, sive fœtus animatus sit, sive non: item quæ impediunt, quominùs ex concubitu concipere possint.

Quid est sacrilegium seu homicidium sacrilegum?

V. R. Est illud, quod committitur cum profanatione rei, loci, aut personæ sacræ: v. g. occisio Sacerdotis aut Religiosi, vel homicidium in loco sacro commissum.

Quid est latrocinium?

VI. R. Est illud, quod committunt latrones vias publicas obsidentes.

Quid est assasinatus?

VII. R. Est cædes facta per sicarios conductos, vel ex insidiis aut conjuratione: conductor vocatur "assasinator;" et executor sive conductus dicitur "assasinus." De his statuit Gregorius XIV. quod nullo gaudeant azylo.

N. 132. DE DUELLO.

I. *Duellum.* II. *Dividitur in simplex & solemne.* III. IV. *Ejus malitia.* V. *Nunquam est licitum,* VI. *Nisi authoritate publicâ.* VII. *Restitutio ratione duelli.*

QUID est duellum?

I. R. Est duorum vel plurium certamen ex condicto, statuto loco et tempore, citra publicam authoritatem, deliberata voluntate susceptum cum periculo occisionis.

Hinc si duo sine omni condicto vel sine temporis et loci determinatione in iram erumpentes arma sumant & pugnent, non erit propriè dictum duellum.

Censetur tamen veri nominis duellum, si duo incipientes rixari, v. g. in templo dicant sibi invicem: Non est locus idoneus ad dirimendas querelas, eamus foras, vel egrediamur in proximam plateam, et ita certamen committant. Item si dicant: digladiemur primo, qui ad pugnam commodior occurret loco: quia in his satis determinatur locus, tempus, &c. addit Collet, esse duellum, si statuant digladiari, ubicumque solus soli occurret.

Duellum non est, si pugna suscipiatur sine periculo occisionis: sufficit tamen periculum morale, quale est, si

pugna suscipiatur sub hac conditione: "Sistemus ad "primam effusionem sanguinis."

Arma etiam, quibus pugnatur, debent in his circumstantiis esse moraliter occisiva, qualia sunt sclopetum, ensis, culter, lapides, graviora ligna, &c. si solis fiat manibus, tale periculum subesse non judicatur.

Quomodo dividitur duellum?

II. R. In simplex et solemme; item in publicum et occultum?

Solemne est, in quo adhibentur certæ cæremoniæ, ut designatio armorum, electio patrinorum seu secundantium, assumptio testium, &c. Simplex est, quod fit sine istis cæremoniis.

Quo jure prohibitum est duellum?

R. Jure naturali, positivo divino et humano, tam civili quam Ecclesiastico.

In quo consistit malitia duelli?

III. R. In eo, quod uterque duellantium se conjiciat in periculum damnationis æternæ, prodigat vitam suam et alienam, ac privatâ authoritate conetur occidere: provocans insuper reus est gravis scandali in provocatum, patrinos & testes.

An duellum semper est illicitum?

IV. R. Duellum privata authoritate quovis prætextu susceptum, sive ostentationis virium, sive honoris aut famæ defendendæ causa, semper est illicitum: ratio est, quod pro his nunquam liceat occidere. Susceptum ad quæstionem obscuram dirimendam, vel ad jus aut veritatem indagandam, est insuper superstitio vel tentatio Dei.

Obj. Si vir nobilis aut militaris duellum non acceptet, habebitur pro infami: ergo, &c.

R. Esto talis haberetur, non ideo liceret duellum suscipere, cum juxta N. 129. illicitum sit occidere injustum invasorem famæ vel honoris: sed et quam maximè falsum est, in recusatione duelli inveniri aliquid verè infamans: unde statuerunt Principes nostri anno 1610. 27 Februarii in hunc modum art. 4. "Quoniam pleraque duella ortum "habent ex falsa opinione, quasi degenere timore impe-"diantur, qui manu sua injurias aut convicia non vindi-"cant: declarant Principes falsam esse eam opinionem, "honorem injurias passorum sub suam protectionem reci-"piunt, et ne quis exprobret, sub suæ indignationis et ar-"bitraria pœna vetant." Idem renovatum est anno 1660. 19 Augusti, art. 5.

Pro Gallia statuerunt S. Ludovicus, Henricus IV. et Ludovicus XIV. ut qui duello confligunt, tanquam læsæ divinæ et humanæ Majestatis rei habeantur, eorumque corpora feris projiciantur.

Hinc etiam meritò condemnavit Alexand. VII. hanc propositionem: "Vir equestris ad duellum provocatus, "potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios "incurrat."

An duellum authoritate publica initum potest esse licitum?

V. R. Affirmativè, scilicet possunt Principes de certo loco ac tempore convenire, ut unus vel plures utrimque determinati pugnent ad terminandum justum bellum, cujus exitus incertus est, ut ita multitudini parcatur; neque hoc est propriè dictum duellum, sed quædam species justi belli pro republica.

An ille, qui alterum in duello occidit vel mutilat, tenetur ad restitutionem?

VI. R. Si occisus vel mutilatus, nulla vi, fraude vel dolo inductus, libere duellum acceptaverit, & juri restitutionis valide cedere potuerit, non videtur occisor vel mutilator ad restitutionem teneri; quia censentur sibi mutuò restitutionem remittere: secùs dicendum, si vi vel fraude fuerit pertractus, aut juri suo cedere valide non potuerit.

N. 133. DE PŒNIS DUELLANTIUM.

I. *Pœnæ duellantium.* II. *Excommunicatio reservata.* III. *Negatio sepulturæ Ecclesiasticæ.* IV. *Irregularitas.* V. *Pœnæ civiles.* VI. *Observanda à Confessario.*

QUÆNAM sunt pœnæ duellantium?

R. Sunt variæ, tam Ecclesiasticæ quam civiles, eæque gravissimæ.

I. Prima, vi Concilii Trid. Sess. 25. "de Reform." cap. 19. excommunicantur domini temporales, qui locum in terris suis inter Christianos ad duellum concedunt.

Etiam excommunicantur, qui pugnam commiserunt, et eorum patrini: atque hi omnes incurrunt pœnam perpetuæ infamiæ ac proscriptionis omnium bonorum.

Item excommunicantur, qui consilium in causa duelli tam in jure quam in facto dederint, necnon spectatores, scilicet de industria et ex proposito.

II. Quamvis autem Conc. Trid. dictam excommunicationem nemini reservaverit, id tamen fecit Pius IV. motu

proprio anno 1560. Deinde Gregorius XIII. anno 1582. Bulla AD TOLLENDUM extendit prædictas pœnas ad duella etiam non solemnia.

Clemens VIII. Bulla ILLIUS VICES anno 1592. antè datas constitutiones confirmavit, extenditque ad duellum sive publicum sive privatum; licet etiam pugna effectu commissa non fuerit, si hoc per ipsos non steterit.

III. Secunda pœna per Tridentinum statuta est, ut si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant sepultura Ecclesiastica, etiamsi (ait Manuale Mechliniense) ante obitum signa pœnitentiæ dederint: Imo etiamsi à Sacerdote sacramentaliter absoluti essent.

Authores communiter resolverunt, illum, qui in duello, accepto vulnere, non statim, sed altero tantùm die moritur, sepultura Ecclesiastica privari non debere; quia talis non potest dici "in ipso conflictu decessisse;" verum Benedictus XIV. in Bulla DETESTABILEM de anno 1752. statuit Ecclesiastica sepultura privandum quemcumque mortuum ex vulnere accepto in duello, sive mortuus sit in loco conflictûs sive alibi, auferque Episcopis potestatem super hac pœna dispensandi. Si tamen duellum occultum sit, sepultura Ecclesiastica privari non debent; quia crimina occulta pœna publica puniri non debent. In dubio recurrendum est ad Ordinarium.

IV. Tertia pœna est, qua in duello hominem occidens incurrit irregularitatem Summo Pontifici reservatam.

V. Secundùm edictum Archiducum Alberti & Isabellæ de anno 1610. renovatum 26. Octobris 1626. duellantes plectuntur morte, tam acceptantes quam provocantes, item confiscatione bonorum.

Art. 2. provocantes declarantur infames, privantur omni statu, honore, ac pensione, et media pars bonorum addicitur fisco.

Denique qui nuntia aut literas provocationem continentes detulerint, aut duellantes quomodocumque fuerint auxiliati aut eos comitati, capite plectuntur & bonorum confiscatione.

Quomodo se geret communis Confessarius cum duellante, qui ex vulnere inflicto versatur in articulo mortis, et petit absolvi?

VI. R. Ex parte reservationis vel excommunicationis nil impedit, quominus eum absolvat; quia in articulo mortis nulla est reservatio; sed quam efficacissimè inducendus est, ut omnem animi rancorem & spiritum vindictæ depo-

nat, respiciens in exemplum Christi: deinde ubi tempus moram patitur, imponi ei debet ut præstet cautionem vel etiam juramentum, quo, si convalescat, velit stare mandatis Ecclesiæ, et absolutè resarcire omnia damna illata parti læsæ, si quæ debeat.

Generatim autem Confessarius à pœnitente confitente duellum, inquirere debet, 1°. An fuerit provocatus, an provocans. 2°. Quæ sit utriusque personæ qualitas. 3°. An et quanto tempore odium foverit. 4°. An alium in duello occiderit, &c.

Notandum absolvi non posse milites, officiales, nobiles, &c. qui in præparatione animi semper parati sunt ad suscipiendum duellum, quandocumque ipsis offertur: si tamen dispositi videantur, in particulari interrogandi non sunt, an oblata occasione adhuc idem facerent; sed potiùs durè increpandi sunt, ponendo eis ob oculos enormitatem peccati, et periculum, cui se exposuerunt, perdendi corpus & animam: & solidè confortandi, ne de cætero id attentare audeant.

N. 134. DE ABORTU.

I. *Abortus.* II. *Tempus animationis fœtûs.* III. *Pro praxi.* IV. *Non licet procurare abortum.* V. *Nequidem indirectè.* VI. *An pro salute matris.*

QUID est abortus?

R. Est præmatura ejectio fœtus, quem mulier in utero gestat.

I. Ad abortum propriè dictum sufficit fœtum esse conceptum, sive animatus sit, sive non: hinc impedire, ne fœtus concipiatur, ut fecit Onan Genes. cap. 38. non est abortus propriè dictus, nec subjacet pœnis statutis contra procurantes abortum, licèt ob similitudinem malitiæ ad abortum reducatur. Similiter ad abortum non spectat abactio fœtûs jam corrupti.

Quandonam censetur fœtus animari?

II. R. Id est incertum: multi hodie fœtum animari volunt ab ipso conceptionis initio, alii tertio, alii quarto die post conceptionem: unde quotiescumque fœtus ex utero pellitur, incertum est, an non expellatur fœtus animatus.

Fœtum diu ante partum animari, certum est ex quotidiana experientia, cum multi ex utero matris exsecti diu supervixerint: unde meritò Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: « Videtur probabile, omnem fœtum,

"quamdiù in utero est, carere animâ rationali; et tunc "primum incipere habere eandem, cum paritur, ac con-"sequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium "committi."

III. Quantum ad pœnas incurrendas, ut quid certi in praxi habeatur, communiter censent Authores, eas incurri à procurante abortum post quadragesimum diem, conceptionis, si sit masculus, et post octogesimum diem si sit femella, & ubi dubitatur, utrum sit mas an femella, præsumitur esse mas pro foro conscientiæ: hanc esse praxim S. Pœnitentiariæ testatur Navarrus in ea diu multùmque versatus, ad tit. "de Homicidio" leg. 5. concilio 42.

An aliquando licet procurare abortum?

IV. R. Directè et ex intentione procurare abortum, est gravissimum peccatum, sive fœtus animatus sit, sive non.

Probatur: quia procurare abortum repugnat speciei humanæ et naturali fini seminis, quod ex se ordinatur ad generationem, speciei humanæ propagationem ac conservationem; adeoque sicuti propterea pollutio semper est illicita, multò magis semper illicita erit procuratio abortûs.

Hinc meritò Innocentius XI. damnavit hanc propositionem num. 34. "Licet procurare abortum ante anima-"tionem fœtûs; ne puella deprehensa gravida occidatur "aut infametur."

An procuratio abortûs est propriè dictum homicidium?

R. Si fœtus sit animatus, dubiè est homicidium propriè dictum, et quidem tantò gravius, quod animam infantis insuper æternaliter perdere natum sit. Itaque talem abortum procurans, fit obnoxius irregularitati aliisque homicidii pœnis.

Si fœtus non sit animatus, (quod semper incertum est) non est homicidium propriè dictùm, sed tantum reductivè, quatenus, ut loquitur Tertullianus in Apologetico cap. 3. "Homicidii festinatio est prohibere nasci." Hinc procurans talem abortum committeret quidem peccatum in malitia simile homicidio, pœnas tamen homicidii non incurreret.

An saltem non licet causare abortum indirectè?

V. R. Regulariter peccat graviter, qui facit id, ex quo prævidere potest et debet secuturum abortum, licet illum non intendat formaliter; quia abortus ita secutus est voluntarius in causa, nisi ratio gravis ponendi talem causam excuset.

Hinc rea est abortûs coram Deo mulier ferens gravia pondera, inordinate laborans, nimiùm saltans, violenter

irascens aut quid simile agens, ex quo prævidere potest et debet abortum secuturum. Idem dic de viro graviter percutiente mulierem prægnantem, &c.

An licet matri sumere pharmacum ad sui conservationem, ex quo simul periculum est abortûs?

VI. R. Si pharmacum istud directe & ex natura sua ordinetur ad expellendum fœtum sive animatum, sive inanimatum, & etiamsi certa videatur utriusque mors, si non abhibeatur istud remedium, & isto adhibito probabile sit, matrem servari posse, adhuc tamen illicitum est tale pharmacum sumere, ut Authores communiter resolvunt: quia hoc est directe procurare abortum, quod numquam licet.

2°. Si fœtus sit animatus, vel dubitetur, an sit (quod dubium semper subest) nullo modo licet abhibere pharmacum directe curativum matris cum periculo mortis fœtis; quia tenetur mater exponere vitam corporalem pro vita spirituali prolis existentis in extrema necessitate.

Quid si, nisi sumatur pharmacum, mater certò sit moritura simul cum fœtu & absque baptismate?

R. Steyaert in hoc supposito speculativo iniquum non videri, si servetur quæ potest, & perire sinatur, qui erat periturus.

Verùm quoad praxim dicendum cum Daelman, istud suppositum vix unquam posse esse certum; nam non constabit, mortuâ matre fœtum non posse exscindi vivum, neque certe sciri potest, an mater sine tali remedio forte supervictura non sit, cum in similibus expertissimi medici sæpe fallantur. Deinde si hoc suppositum semel practice admitteretur, jam fingeretur periculum & certitudo, quæ non subsunt, & ita sæpe daretur ansa fœtum expellendi.

Conveniunt interim Authores, quod si sit æquale periculum fœtui, sive remedium sumatur sive non, tunc liceat matri illud sumere, quia ex hoc non infertur fœtui majus periculum, & consulitur vitæ matris.

Si constare posset, fœtum non esse animatum, & mater, nisi remedium sumat, sit moritura; tunc admitti posset, matrem uti posse medicamento, quod est directe curativum matris, & per se non tendit ad abortionem, quamvis periculum sit, ne inde abortus sequatur, modo mater alio remedio salvari nequeat, quia tunc abortio foret solum permissa, non procurata. Si tamen periculum mortis non immineret matri ex morbo naturali, sed aliunde, v. g. quòd prævideatur occidenda, vel in partu moritura, tunc tali remedio nullo modo uti posset.

Plura circa abortus modumque voluntarios præsertim impediendi, videri possunt apud Clarissimum Cangiamila in Embryologia Sacra.

N. 135. DE PŒNIS PROCURANTIUM ABORTIUM.

I. *Quid sit procurare abortum.* II. *Pœnæ statutæ à Sixto V.* III. *Moderamen per Gregor. XIV.* IV. *Observanda à Confessariis.* V. *De sectione matris vivæ.* VI. *De baptismo occisivo.*

I. PRÆNOTANDUM, quod procurare abortum, sit studio & ex proposito efficere per se vel per alium, ut fœtus præmaturè ex utero pellatur: unde non dicitur simpliciter procuratio abortûs, si tantum casualis sit, sivè indirecte tantum voluntarius in causa remota, cui effectus per accidens conjungitur; sed requiritur, ut intendatur abortus vel tanquam medium, vel tanquam finis, saltem quantum est ex natura actionis.

Modi autem quibus abortus procuratur, sunt varii, ut potionibus, medicamentis, venenis, apertione venæ, ferendò grave pondus, violenter irascendo aut saltando, aliisque sexcentis modis, quos excogitat nequitia & vesana libido.

Caveat Confessarius, ne pœnitentem doceat in similibus: unde dum hac super re interrogari debet pœnitens, incipiat Confessarius petendo generaliter, v. g. "quomodo "hoc factum est?"

Quas pœnas incurrunt procurantes abortum?

R. 1°. Causantes abortum solum indirecte eum formaliter non intendendo, non videntur incurrere pœnas in procurantes abortum latas, quia "procurare," ut suprà dictum est, importat studiosè & de industria efficere, ut fœtus præmaturè ejiciatur.

II. 2°. Sixtus V. Bulla EFFRENATAM 16 Novembris 1588. decernit, omnes, qui procurant abortum fœtûs animati, sive inanimati, effectu secuto, item qui sterilitatis potiones propinaverint, vel quominus fœtus concipiatur, impedimentum præstiterint, vel his criminibus quovis modo cooperati fuerint, incurrere omnes pœnas in omni jure contra homicidas voluntarios latas; & insuper subjicit eosdem ipso facto irregularitati & excommunicationi, excepto mortis articulo, Summo Pontifici reservatis: item privat eos officiis & beneficiis, & ad ea obtinenda inposterum inhabiles reddit.

III. Hanc bullam Sixti V. moderatus est Gregorius XIV. bulla Sedes Apostolica data 9 Julii anno 1591. & dictas pœnas irregularitatis, excommunicationis, & alias a Sixto latas restrinxit ad eos tantum, qui procurant abortum fœtûs animati, aut illi quovis modo cooperantur: deinde declarat ab hoc casu & censura annexa Episcopum & quemlibet Confessarium ab Episcopo ad hunc casum specialiter deputatum absolvere posse.

Itaque debet Confessarius observare statuta & instructiones Diœcesis, in qua confessiones audit. Pro Diœcesi nostra instructiones habent N. 12. "Advertendum, quod "nullus, quamvis potestatem absolvendi à reservatis ha-"beat, absolvere possit ab hæresi, neque a procuratione "abortus fœtus animati, pro quibus delictis specialis fa-"cultas requiritur."

Notant Authores, cum in bulla Sixti V. dicatur "ef-"fectu secuto," dictas pœnas non incurrere illum, qui conatus est procurare abortum, aut ad abortum inducere, si ille effectus secutus non fuerit.

Leges civiles pro abortu ante animationem fœtûs quoad mulierem statuerunt pœnam exilii, post animationem pœnam mortis.

In Conc. Ancyrano ad annum 310. Can. 21. statuta fuit mulieribus abortientibus 10 annorum pœnitentia: ante illud debuerunt manere in pœnitentia tota vita.

Quænam observanda sunt circa confessionem & absolutionem illius, qui abortum procuravit?

IV. R. 1°. Quærenda est qualitas personæ, quæ in se vel in alia abortum procuravit.

2°. Qualitas & numerus personarum, per quas procuratus est abortus; quia fortè nefario scandalo sunt inductæ.

3°. Quanto tempore intenderint abortum, quia non nisi longo temporis tractu similia crimina committi solent, quo durante plurima crimina patrantur propter volitiones ejusdem criminis diversas & interpolatas, propter repetitos conatus, &c.

Circa absolutionem videndum 1°. an excommunicatio sit incursa.

2°. An sublatæ sint occasiones proximæ peccatorum, quæ ferè conjunctæ sunt huic peccato, ut incestuum, sacrilegiorum, concubinatûs, &c.: nam procurantes abortum his criminibus obnoxii esse solent.

3°. An satisfecerit, vel saltem paratus sit satisfacere

pro damnis ratione abortûs secutis: v. g. quòd hæreditas ad aliam familiam idcirco transitura sit.

Abortui affinis est oppressio prolis (in variis Diœcesibus reservata) quæ est homicidii vel paricidii species, qua quis liberos suffocat, aut quocumque modo enecat, sive omnino voluntariè & directe, sive casualiter & secundum quid, ut fieri solet, v. g. quando tenellos infantes collocant secum in eodem lecto, qui regulariter à peccato mortali excusari non possunt propter oppressionis periculum.

Simile peccatum committunt, qui, ut honori suo consulant, proles clam natas alibi exponunt cum periculo, ne fame vel frigore moriantur, aut à bestiis devorentur: item parentes, quorum negligentia vel incuria proles in aquam vel in ignem ruunt, vel quorum proles moriuntur defectu debitæ educationis: item obstetrices, quæ defectu debitæ scientiæ causa sunt mortis fœtûs & sæpe etiam matris. De quibus omnibus fusiùs agit Chapeauville "de casibus "reservatis." cap. 10.

An licet secare matrem vivam, ut baptizetur proles alioquin sine baptismo moritura?

V. R. Si cum fundata spe servandi matrem vivam (quæ spes aliquando subesse creditur, ut videri potest in citato Cangiamila) ea sectio fieri non possit, illicita est, quidquid sperari possit de salute prolis; quamvis enim pro salute prolis vitam suam exponere debeat mater, non potest tamen propterea ei vita adimi, neque ideo ipsa consentire ut adimatur.

Si verò mater prægnans moriatur, non tantum potest, sed & debet ea sectio fieri, & quidem, Chirurgo aliisque peritis deficientibus, à Pastore, ut proles baptizetur.

An licet projicere puerum in fluvium, ut baptizetur, si aliter baptizari non possit?

VI. R. Negativè; quia illa projectio, ut supponitur, est de se occisiva prolis, & effectus bonus, scilicet baptismus prolis, sequitur ex ea tantùm mediatè, mediante nimirum prolatione formæ & intentione baptizandi, ubi effectus malus, videlicet occisio, sequitur immediatè.

Præterea disputatur, utrùm talis baptismus sit validus; quam quæstionem vide Num. 8. "De Sacramento Bap- "tismi."

N. 136. DE MUTILATIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 5.

I. *Mutilatio* II. *Est illicita privatâ authoritata.* III. *Nisi ob necessitatem corporis.* IV. *Non licet ob vitam spiritualem animæ.*

I. MUTILATIO est, qua corpus privatur membro aliquo, vel saltem ejus usu.

An licet seipsum vel alium mutilare?

R. Potestas publica, sicut potest ex justa causa privare vita, ita etiam potest privare membro.

II. Privata authoritate nemo seipsum vel alterum mutilare potest, nisi necessarium sit ad salutem corporis; quia sicut homo non est vitæ, ita nec membrorum dominus.

III. Itaque dum membrum nocivum est toti corpori, potest ipse sibi vel alter de ipsius licentia illud amputare, cum membrum sit pars totius corporis humani, adeoque sit propter totum: unde disponendum est de membro corporis, prout expedit toti; sic licet resecare membrum putridum, gangrænâ infectum, ne inficiatur totum corpus.

Similiter licet amputare membrum etiam sanum, dum aliter saluti corporis subveniri non potest: quod v. g. manus sit indissolubiliter affixa domui ardenti; hinc etiam excusatur Flavius Josephus, qui, data sibi à judice optione, an mallet sibi amputare manum unam, an ambabus truncari, elegit sibi unam manum præcidere, ut ipse refert l. 2. "de Bello Judaico" c. 27.

An licitum est propter vitam spiritualem animæ seipsum vel alterum mutilare?

IV. R. Negativè; quia vita spiritualis semper aliis mediis servari potest: plerumque etiam mutilatio inefficax & inutilis est ad istum finem; cum sæpe concupiscentia sic non mansuetior, sed molestior fiat. Hinc culpatur Origenes, qui seipsum castravit verosimiliter ad evitandam suspicionem cum altero sexu, eò quod mulieres doceret.

Obj. I. Christus Matth. cap. 19. commendat Eunuchos, "qui seipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum."

R. Id intelligitur de castratione mystica seu spirituali, quæ fit non per membri abscissionem, sed per voluntariam continentiam, maximèque per continentiæ votum, præsertim solemne.

Obj. II. Matt. cap. 5. præcipitur: "Si oculus tuus "dexter scandalizet te, erue eum, & projice abs te:" ergo, &c.

R. Intelligitur sensu literali improprio, ita ut oculus, manus, &c. non accipiantur pro membris corporis, sed metaphoricè pro re tam grata & necessaria, quam scilicet oculus, manus, &c. quæ est nobis occasio peccandi.

Ex dictis patet, graviter illicitum esse castrare aliquem lucri gratia, vel ob suavitatem vocis.

Notandum ex S. Thoma loco cit. in "Corp." ad abscisionem membri corrupti requiri consensum illorum, qui mutilantur: quòd si isti sint irrationabiliter inviti, sufficere tunc posse consensum superiorum, v. g. patris, matris, tutoris, &c.

Dictum est: "si sint irrationabiliter inviti;" quia nemo debet consentire in suî mutilationem, si illa fieri nequeat sine acerbissimis doloribus: v. g. in excisione calculi & præcisione cruris: talia enim sunt media extraordinaria ad servandam vitam.

N. 137. DE VERBERATIONE ET INCARCERATIONE.

S. Thom. quæst. 65. *art.* 2 *&* 3.

I. *Verberatio,* II. *Et incarceratio.*

AN licet aliquem verberare?

I. R. S. Thom. "Non licet, nisi per modum pœnæ "propter justitiam: nullus autem justè punit alterum, "nisi ejus jurisdictioni subjectus sit: & ideo verberare "aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super "illum, qui verberatur."

Ita causâ correptionis & disciplinæ licitè potest verberare pater filium: idem est de magistro & tutore aliisque vices patris, alteriusve similem potestatem habentis, gerentibus.

An licet marito verberare uxorem?

R. Affirmativam lubenter amplectuntur & practicant Germani & rudiores nostrates. De mediocri verberatione admitti potest, si uxor graviter delinquat, & aliâ viâ non speretur corrigenda: sed casus hic perquàm rarus est: unde uxorem verberare, ad barbariem referunt Galli, & politiores nostrates: atque eis magis placet dictum Epis-

tolæ inter opera S. Bernardi: "Malam uxorem potiùs "risu quam baculo castigabis." Ratio est, quòd uxor non sit viri serva, sed socia, & cum eo una caro.

An licet aliquem incarcerare?

II. R. S. Thom. art. 3. "Incarcerare aliquem vel qualitercumque detinere, est illicitum, nisi fiat secundum "ordinem justitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi."

Quamvis parentes non possint jure incarcerare filios, possunt tamen ad tempus illos domi recludere disciplinæ gratiâ.

Nota, peccata mutilationis, verberationis, incarcerationis, &c. non tantum repugnare charitati, sed etiam justitiæ; quia per ea læditur jus, quod quilibet habet liberè, integre & sine dolore membris suis utendi.

Art. 4. probat S. Thom. peccatum hujusmodi injuriarum, occisionis, mutilationis, incarcerationis, &c. tanto (cæteris paribus) gravius esse, quantò injuriam passus, vel propinquitatis vel alio quocumque societatis humanæ vinculo pluribus est conjunctus; quia injuriæ illæ redundant etiam in plures istas personas.

N. 138. DE PŒNIS ET OBLIGATIONIBUS HOMICIDARUM ET MUTILANTIUM.

I. *Pœnæ civiles homicidii*, II. *Suicidii*, III. *Et mutilationis*. IV. *Pœnæ Ecclesiasticæ*. V. *Obligationes*. VI. *Quoad damna spiritualia*. VII. *Et personalia*.

QUÆNAM sunt pœnæ homicidii?

I. Pœnæ civiles sunt mors, eò turpior & acerbior, quò homicidium gravius fuit ex parte modi vel personæ occisæ.

II. Moribus nostris, ait Zypæus, cadavera eorum, qui sibi mortem intulerunt, aguntur in furcam, nisi arguantur phrenesi aliqua capti, aut satis mentis compotes non fuisse, similive causa affecti.

III. Mutilatores puniri solent mulcta pecuniaria; aliquando, dum crimen est enorme, & ex machinatione commissum, condemnantur ad pœnam talionis.

IV. Pœnæ Ecclesiasticæ contra homicidas statutæ, sunt irregularitas ex delicto per solum Papam auferibilis, & quandoque, ubi occisio injusta non est, irregularitas defectu lenitatis.

Præterea in Diœcesi nostra et plerisque aliis, homicidium voluntarium est casus Episcopo reservatus. De quo vide Tract. "de Pœnit." Num. 206.

Pœnas juxta Canones pœnitentiales olim imponi solitas refert S. Carolus Borromæus.

Olim etiam homicidæ communione Eucharistiæ privabantur; sed hodierna praxis Romana (cui se conformant ceteræ Ecclesiæ orbis Christiani exceptâ Gallicanâ) damnatis ad mortem ante diem supplicii, vel saltem ipso die supplicii, summo mane communionem concedit. Ita etiam statuit Synod. Prov. Mechl. tit. 7. cap. 6. "Ultimo quo- "que supplicio afficiendis tempestivè de sacra Eucharistia "provideatur."

Quænam damna considerari debent in homicidio et mutilatione?

V. R. Triplicis generis, scilicet spiritualia, personalia, et realia.

Damna spiritualia sunt, quod occisus privetur ultimis Sacramentis aliisque subsidiis spiritualibus; item tempore merendi & satisfaciendi Deo pro peccatis.

VI. Pro damnis istis tenetur homicida satisfacere per sacrificia, orationes, eleëmosynas aliaque pia opera in refrigerium animæ occisi: atque hic reperiri obligationem propriè dictam sustinent Steyaert, Antoine, et plures alii contra Wiggers, quæ eo gravior est, quo magis subito occisus extinctus fuit: imo Daelman et Peringuez censent, non tantùm charitatis, sed etiam justitiæ esse eam obligationem, cum quilibet baptizatus jus habeat percipiendi extrema Sacramenta, quibus occisus per injuriam homicidæ privatur.

Practicè igitur Confessarius homicidæ injungere debet, ut stabilitèr quædam opera satisfactoria faciat in refrigerium animæ occisi.

Quænam restitutio facienda est pro damno personali?

VII. R. In primis, cum per injustam occisionem vel mutilationem, directè illata sit injuria ipsi personæ læsæ ipsiusque consanguineis, tenetur per se loquendo lædens pro eo satisfacere per significationem doloris, petitionem veniæ, aliaque signa (attentâ utriusque conditione) submissionis & placationis erga læsum aliosque, in quos injuria personalis redundavit.

2°. Lædens indubiè tenetur in conscientia solvere mulctam pecuniariam à judice ei impositam in pœnam.

3°. Disputatur, an judice mulctam non imponente, te-

neatur lædens præter restitutionem damnorum realium ad aliquam compensationem pecuniariam exhibendam læso, ejusve hæredibus pro damno personali.

Verius & S. Thomæ conformius videtur, lædentem ad id teneri, juxta Num. 67. Ingenui interim compensationem illam respuere solent.

Ubi lædens luit pœnam talionis, communiter sustinent Authores, cessare tum obligationem compensandi damnum personale; quia pœna ista publica ordinatur, ut injuriæ personali satisfiat, prout etiam eâdem satisfit injuriæ illatæ reipublicæ: verum per eam non extinguitur obligatio compensandi damna realia, de qua nunc agendum.

N. 139. DE RESTITUENDO DAMNO REALI EX HOMICIDIO ET MUTILATIONE.

I. *Damna realia* II. *Restitui debent.* III. *Secundùm spem lucri faciendi*, IV. *Non deducto labore.* V. *Sed bene expensis funeris.* VI. *Ordinariè suaderi debet compositio.*

I. DAMNA realia sunt, quæ obveniunt in rebus fortunæ, ut lucrum cessans & damnum emergens.

Quænam damna realia resarcire debet occisor vel mutilator?

II. R. Omnino omnia, quæ ex homicidio vel mutilatione obvenerunt, sive hæc mortem antecedant, ut impensæ in medicos, medicamina, alimenta pretiosiora; sive mortem sequantur.

An lædens tenetur restituere totum lucrum, quod occisus vel mutilatus forte fecisset?

III. R. Negativè; sed tenetur restituere inquantum æstimari poterat spes lucri faciendi juxta arbitrium viri prudentis.

Pro hac spe taxanda attendi debent ætas, robur, complexio, peritia, artificium, status, modus vivendi & lucrandi, verisimilitudo lucri obtinendi & similia: detrahi autem debent expensæ, quas læsus facere debuisset in obtinendo lucro, sese alimentando, &c.

Circa mutilatum attendi etiam debet, an nunc æquè commodè alio modo lucrari non possit.

An deduci potest æstimatio laboris, quem læsus præstare debuisset pro lucro obtinendo?

IV. R. Negativè, estque communis sententia; quia læsus paratus erat præstare illum laborem sponte, & sine

ullo onere suæ familiæ aut hæredum, et sine diminutione rerum suarum. Deinde si æstimatio laboris deduci posset, plerumque pro lucro cessante nil restituendum foret.

Quomodo taxari debet rata seu portio temporis, si occisus equidem brevi fuisset moriturus?

R. Dist. Si erat brevi moriturus naturaliter, aut alio modo non injusto, taxari debet lucrum ad ratam istius temporis brevioris; si autem erat occidendus injustè, non debet respici tempus brevius, sed quamdiu moraliter judicabatur supervicturus & lucrum facturus; quia qui prævenit injustam damnificationem, etiam prævenit restituendi obligationem, ut diximus Num. 49.

An homicida tenetur restituere expensas funeris occisi?

V. R. Probabiliùs negativè; nisi inquantùm forte occasione mortis præmaturæ nunc majores essent faciendæ; quo ca suhomicida teneretur ad auctarium istud; ratio est, quod cum ordinarie expensæ illæ semel faciendæ essent, hæredes in hac parte nullum patiantur damnum.

Notandum, quod si vulneratus moriatur non ex vulnere, quod non erat de se mortale, sed ex sua negligentia, vel ex imperitia Medici, mors et damna secuta non possint imputari vulneranti; ac adeo non teneatur ad aliam restitutionem, quam de vulnere et mutilatione: quod si dubium sit, an ex vulnere, an ex negligentia læsus mortuus sit, præsumitur ex vulnere obiisse.

VI. Observandum etiam, sæpe difficile esse, ne dicam impossibile, in particulari determinare, quantum præcise restitui debeat ab homicida vel mutilatore: unde ordinariè consulenda est transactio seu compositio inter lædentem & læsum ejusve hæredes: si verò talis compositio obtineri non possit, debet homicida vel mutilator satisfacere juxta arbitrium viri prudentis.

N. 140. QUIBUS FACIENDA SIT RESTITUTIO DAMNORUM REALIUM.

I. *Restitui debent læso vel ejus hæredibus.* II. *Non aliis.* III. *Excepto bino casu.* IV. *Nequidem creditoribus occisi.* V. *Etsi censum vitalitium percipientibus.* VI. *Quid si homicidæ remittatur* VII. *Etiam damnum reale.*

QUIBUS, ratione homicidii vel mutilationis, facienda est restitutio damnorum realium?

I. R. Ipsi læso, qui si mortuus fuerit, restitutio facienda est ejus hæredibus, qualescumque illi fuerint, sive necessarii, ut sunt filii, parentes et uxor, sive voluntarii, ut fratres, patrui, nepotes vel etiam extranei, sive sint hæredes ab intestato, sive ex testamento: ratio est, quòd hæres quiscumque universalis repræsentet personam defuncti, et succedat in omnia jura ejusdem. Ita sustinent Wiggers, Peringuez. &c. contra Lessium et Billuart.

An homicida etiam tenetur aliquid rependere aliis consanguineis vel pauperibus, quos alebat occisus: item an tenetur creditoribus occisi, si inde aliquid patiantur?

II. R. Per se loquendo non tenetur; quia omnis actio occisi adversùs homicidam transit ad hæredes, non ad alios, etsi consanguineos vel creditores.

Dictum est "per se loquendo;" quia admittendæ videntur duæ exceptiones.

III. Prima: si occisus alebat parentes ob paupertatem, qui jam ali non possunt, tenetur homicida id supplere; quia occisus in casu tenebatur parentes alere; atque etiam (si haberet) moriens relinquere, ut alerentur. De uxore idem dicendum: et ita passim judicatur, ait Steyaertius.

Secunda: si homicida occidisset, v. g. Joannem ex intentione, ut pauperes privarentur eleëmosynis, vel ut creditores Joannis privarentur solutione: tenetur utrisque resarcire damna; quia per vim injustam ipsos impedivit ab obtinenda solutione aut lucro eleëmosynæ.

An saltem homicida non tenetur restituere creditoribus occisi, casu quo ejus hæredes non solvant, et occisus certò solvisset?

IV. R. Negativè, nisi in casu secundæ exceptionis positæ: ratio est, quòd homicida satisfaciat, si restituat, quæ debet, hæredibus occisi: quòd si illi non satisfaciant creditoribus occisi, hoc provenit ex malitia ipsorum, non homicidæ.

Obj. 1. Homicida medio injusto, utpote violenta occisione, impedit creditores à solutione, pauperes ab eleëmosynis: ergo, &c.

R. Neg. antec. ratio est, quod dum homicida intentionem non habet nocendi creditoribus, pauperibus, &c. non censeatur illis vis illata, sed duntaxat occiso.

Ob. II. Intentio nil mutat in opere externo: atqui seclusa intentione, opus externum non est injustum respectu creditorum, pauperum, &c. ergo nec tale erit posita intentione ista.

R. Negando conseq. ut enim opus externum, quod de se injustum est, fiat injustum respectu creditorum, &c. non est necesse, ut mutetur in se, sed sufficit, quod contra illos dirigatur; quia tunc læditur jus ipsorum: unusquisque enim jus habet, ne alter contra ipsum media injusta adhibeat.

Monent interim Authores, si homicida prævideret, hæredes non soluturos, eam tum regulariter debere ex charitate monere creditores, ut præveniant tales hæredes.

An homicida non tenetur satisfacere creditoribus, qui reditum vitalitium percipiebant ab occiso?

V. R. De eo major potest esse quæstio, ait Steyaert: videtur tamen ipsi, nec illis restitutionem deberi ex eo, quod reditus isti similibus casibus sint obnoxii, & in eorum constitutione id quoque considerari soleat.

An, si homicida vel mutilator moriatur aut occidatur, tenentur eorum hæredes ad prædicta damna restituenda?

R. Affirmativè, inquantùm hæreditas se extendit seu gravari potest.

An homicida sive hæres ejus liberatur ab onere restitutionis, si læsus moriens dicat, se eidem injuriam remittere?

VI. R. Communiter negativè, quia talis remissio solùm intelligitur quoad offensam & rancorem, seu quod vindictam non quærat, ad quam remissionem læsus tenetur ex lege charitatis, ut dictum est N. 133. "de Charitate:" non verò intelligitur de remissione damnorum.

Quid si læsus dicat, se etiam remittere damna realia?

VII. R. Si læsus ille possit validè remittere, ex eo, v. g. quod non debeat ex justitia impendere laborem aut industriam pro familia sustentanda, liberatur homicida: si non possit validè, non liberatur. Si autem remissio sit quidem valida, sed simul illicita, seu inofficiosa, v. g. quia ex pietate alios alere tenebatur, meritò Confessarius talem remissionem dissuadebit, quia illicita est: si verò vulneratus, et ejus hæredes sint divites, suadebit Confessarius damnorum realium remissionem.

N. 141. DE CONFESSARIO HOMICIDÆ.

I. *Observanda in Confessione.*

QUOMODO in tribunali pœnitentiæ cum homicida se geret Confessarius?

I. R. 1°. Inquirat ab eo, ob quam causam seu finem homicidium sit commissum, an ob justam defensionem vitæ, servando moderamen inculpatæ tutelæ, vel illud non servando, &c.

2°. An occiderit ex subitanea passione, an ex inveterato odio, simul interrogando de tempore, quo illud odium duraverit, quoties renovatum fuerit, &c.

3°. An nullæ blasphemiæ, contumeliæ, aut imprecationes præcesserint: item an crudelitatem aut fœditatem in corpus occisi exercuerit.

4°. An fuerit directè voluntarium: quo casu est simul casus reservatus.

5°. Quæ media adhibuerit, an occiderit dolosè et ex insidiis, maleficio aut lentâ tabe, quod maximè locum habet in mulieribus homicidis: an socios adhibuerit; nam tot insuper peccata scandali commisit, quot socios adhibuit.

6°. Inquirenda est qualitas occisi: v. g. si sit propinquior, consanguineus, est parricidium, si clericus, sacrilegium, habetque annexam excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam.

Tandem inquirat Confessarius damna causata secundùm dicta Num. præcedentibus, ut debitam restitutionem injungat.

His debitè examinatis, Confessarius homicidæ gravitatem criminis sui proponat; item pœnas, tum civiles, tum Ecclesiasticas, quarum se reum fecit, et inducat, ut contritionem concipiat tanto crimine dignam, impositaque salutari pœnitentiâ (præsertim quæ diu duret, ut observatum est Num. 131.) eum ritè dipositum absolvat, si potestatem habeat ab hoc crimine absolvendi.

Normam quamdam pœnitentiæ homicidis imponendæ ex Comitolo referunt De Cocq cap. 4. sect. 13. Schoonaerts aliique.

N. 142. DE INJURIA STUPRI ET FORNICATIONIS.

I. *Stuprum* II. *Et fornicatio.* III. *Injuria stupri.* IV. *Ejus obligatio.*

QUID est stuprum?

I. R. Est defloratio virginis (id est nondum corruptæ) extra matrimonium, sive illa defloratio sit violenta sive voluntaria. Ita Theologi communiter.

Quid est fornicatio?

II. R. Est copula soluti cum soluta corrupta. De turpitudine et malitia horum peccatorum agitur in Tract. "de "Temperantia:" hìc autem de injuria eorumdem.

Notandum, stuprum à quibusdam aliter accipi: 1°. à Juristis,qui vocant stuprum omnem concubitum violentum, sive mulier virgo sit, sive non. Sed Theologi hunc concubitum referunt ad raptum, speciem luxuriæ: 2°. aliquando accipitur, sed rariùs, pro omni concubitu illicito, ut Num. cap. 5. v. 13.

3°. Henno, et quidam alii accipiunt stuprum pro violenta defloratione virginis: dicunt autem esse violentiam, si virgo inducatur per metum cadentem in constantem puellam, vel etiam per metum reverentialem, v. g. si stuprator sit superior, vir potens et magnæ authoritatis: item si virgo inducatur per fraudulentam promissionem matrimonii, aut magnæ dotis: quinimo reputatur apud illos violentia, si adhibitæ fuerint extraordinariæ et sæpe repetitæ blanditiæ, importunitates, &c.

Quibus fit injuria ratione stupri?

III. R. 1°. Gravis fit injuria virgini, si per vim, fraudem vel metum ab ipsa dos virginitatis auferatur.

2°. Gravis etiam fit injuria parentibus virginis, præsertim si stuprum fiat ipsis invitis, vel cedat in eorum opprobrium; habent enim ipsi jus custodiæ, juxta illud Eccli. cap. 7. "Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum."

3°. Injuria fit ipsi proli (ad quam talis actus de se tendit): bonum enim prolis exigit, ut nascatur ex parentibus conjugatis.

IV. Hinc sequitur stuprum inducere obligationem:

1°. Erga virginem corruptam. 2°. Erga ejus parentes. 3°. Erga prolem ex stupro secutam.

Pro distincta autem obligatione stupri cognoscenda, attendi debet, quomodo fuerit peractum: unde procedemus secundùm has quatuor distinctiones.

Prima, si stuprator virginem defloraverit spontè vel liberè consentientem. Secunda, si hoc fecerit vi vel fraude. Tertia, si sub promissione matrimonii. Quarta, si proles sit secuta.

Ex dicendis facili methodo deteget Confessarius pœnitentis obligationem, non solum ratione stupri, sed etiam simplicis fornicationis, raptûs, incestûs et sacrilegii.

De circumstantia virginitatis, an in confessione exprimenda sit, diximus Num. 124. "de Actib. Hum.

N. 143. DE RESTITUTIONE EX STUPRO, SI VIRGO LIBERE CONSENSERIT.

I. *Restitutio virgine consentiente.* II. *Sed invitis parentibus.* III. *Quid de augmento dotis.*

I. SI virgo ejusque parentes liberè in stuprum consentiant, stuprator ad nihil ipsis tenetur; quia supposito etiam, quod juri suo cedere nequeant, cedere quidem possunt juri restitutionis damnorum; et huic censentur cedere consentiendo.

II. Si virgo consentiat, sed parentes sint inviti vel inscii; tunc copulâ manente occultâ, iterum ad nil obligatur stuprator.

Si vero copula innotescat solis parentibus, tenetur stuprator parentibus pro injusto dolore satisfacere veniæ petitione, honoris exhibitione, &c.

Si stuprum ulterius divulgetur, tenetur insuper stuprator meliori modo quo potest, infamiam tollere & impedire.

Nota, parentes censeri invitos, non solum dum positivè resistunt, sed etiam dum facti inscii sunt; nisi fortè scienter periculum proximum committendi stupri negligant, v. g. dum permittunt familiarem conversationem filiæ suæ cum impudico adolescente.

An in casu, quo parentes inviti sunt, tenetur stuprator ad augmentum dotis, quam parentes nunc majorem dare coguntur, ut filia conveniens ineat matrimonium?

III. R. Divisi sunt Authores: qui affirmant, dicunt, non solam filiam jus habere, ut convenienter nubat, sed etiam parentes. Qui negant, dicunt parentes tale non jus habere, nisi dependenter à jure et voluntate filiæ, quæ, si velit, potest sine injuria parentum manere innupta, vel nubere sibi inferiori.

Practicè ob probabilitatem utriusque sententiæ videtur stuprator obligari ad aliquod augmentum dotis juxta arbitrium viri prudentis, maximè si deflorator sit dives et corrupta pauperior, idque certo ex lege charitatis, si illa deflorata ob amissam virginitatem & carentiam dotis sit in periculo se prostituendi: cum enim stuprator concausa sit, tenetur ad illa mala præcavenda: quod Confessarii attendere debent, ut monet Wiggers, nec aliter corruptores facilè absolvendos esse, aiunt de Cocq. & Braunman.

N. 144. AD QUID TENEATUR, QUI VIRGINEM VI VEL FRAUDE DEFLORAVIT?

I. *Obligatio virgine vi vel fraude corruptâ.* II. *Quid si alteri æquè commodè nupserit.*

PRÆNOTANDUM, vim hic considerri posse duplicem, "physicam," seu veram et realem violentiam, et "moralem," quæ infertur, dum virgo ad copulam adigitur metu, v. g. metu mortis vel etiam gravi metu reverentiali, ut si corruptor sit superior vel vir magnæ authoritatis: item importunis & vehementibus solicitationibus, amplexibus similibusve turpibus actibus, quibus excitata puella ante invita, tandem consentit.

Aliud est de blanditiis, precibus & similibus adhiberi solitis: tales enim ordinariæ solicitationes rarissime æquivalent vi vel dolo, ut cum aliis notat De Cocq, cum femina facile, conceptâ irâ et asperitate, solicitatorem possit repellere.

R. Itaque qui vi, fraude, vel gravi metu virginem defloravit, præter peccatum fornicationis, etiam gravissimè peccat contra justitiam in ipsam virginem, cujus virginitatem injuste aufert; quod hic practicè certo attendi debet. Consideranda hic etiam est injuria parentibus & familiæ illata, juxta Num. 142.

I. Quantum ad obligationes, quas stuprator contrahit:

1°. Tenetur reparare omnia damna & mala secuta, cum illorum omnium sit vera & injusta causa.

2°. Tenetur etiam ad damnum personale, seu ablationem virginitatis, si virgo illud exigat; quia alioquin præsumitur illud non velle, ut fere in honestioribus contingit. Vide Num. 138.

3°. Tenetur ad congruam satisfactionem honorariam tam parentibus, quam virgini, veniæ petitione, &c.

4. Si damna reparari nequeant, nisi oppressam ducendo in uxorem, stuprator eam ducere tenetur, etiam ante sententiam Judicis; quod si illa matrimonium recuset, equidem stuprator omnia damna, inquantum possibile est, compensare tenetur.

5. Si corrupta alteri nubat, qui eam propter amissam virginitatem malè tractat, dimittit, &c. iterum tenetur corruptor illa mala & damna compensare ad arbitrium viri prudentis.

Eadem omnino dicenda sunt de illo, qui virginem quidem non corrupit, sed talia fecit, unde corrupta creditur: imo etiamsi puella non esset virgo, modo talis antea haberetur.

Quid, si corrupta aliud æquè favorabile matrimonium iniverit, ac si corrupta non fuisset?

II. R. Per se loquendo tunc corruptor liberatur à restitutione damnorum realium, cum tunc nulla supponantur sequi. Aliud foret, si corrupta jam quædam accepisset in compensationem damnorum, vel de illis convenisset, aut per sententiam Judicis ipsi adjudicentur quædam bona stupratoris; illa enim retinere & prætendere potest corrupta, & post mortem, ejus hæredes.

Similiter liber erit corruptor à restitutione damnorum realium, si aliter contingat illa ratione stupri non sequi, quia, v. g. res mansit occulta, aut puella ante tempus nubendi est mortua.

N. 145. AD QUID TENEATUR, QUI VIRGINEM CORRUPIT SUB PROMISSIONE MATRIMONII?

I. *Obligatio, dum intervenit promissio matrimonii, est ducere corruptam,* II. *Casibus quibusdam exceptis.*

NOTA, hìc sub promissione matrimonii etiam intelligi posse matrimonium ficte initum: unde utrique casui sequentia applicari possunt.

I. R. Qui igitur sub promissione matrimonii vera vel ficta extorsit copulam à virgine, tenetur "regulariter" eam ducere, etiam ante sententiam Judicis. Ita Theologi communiter.

Quomodo autem stuprator ex turpi promissione obligari possit in conscientia, examinabitur in Tract. "de Con-" "tractibus."

Infer 1°. Non sufficere mulierem sic corruptam dotare, vel pecuniis damnum resarcire, si ipsa non consentiat.

2°. Non esse licitum stupratori Religiònem ingredi; quia ex justitia tenetur ad matrimonium, nisi forte corrupta aliâ satisfactione vellet esse contenta.

3°. Parentes juvenis non posse impedire tale matrimonium, cùm ad id teneatur ex justitia.

4°. Neque licitum esse, corruptam eludere matrimoni-

um differendo per annos & annos; quia tales promissiones censentur fieri pro primo tempore commodo.

Dictum est supra "regulariter;" quia casus quidam excipiuntur, quibus deflorator corruptam non tenetur ducere, etiamsi id promiserit.

II. 1°. Si stuprata postmodum fornicetur cum alio.

2°. Si se finxerit virginem, nobilem, &c. cùm talis non esset.

3°. Si promissio matrimonii ita fuerit ficta, ut fictionem puella facilè advertere potuerit, v. g. ex minis, exaggerationibus, inconstantia, verborum ambiguitate, aut magna disparitate conditionis; quia in similibus circumstantiis puella non decepta, sed seipsam decepisse censetur.

4°. Si puella nolit ei nubere, vel parentes eam nolint stupratori tradere.

5°. Si ex illo matrimonio prudenter timeantur majora mala, ut graves discordiæ inter familias, exhæredationes, grave scandalum, &c.

6°. Si superveniat impedimentum dirimens indispensabile, ut si stuprator cum alia contraxerit, solemniter professus sit, &c. Impedimentum moraliter auferibile stuprator auferre tenetur.

Quid dicendum sit, si quis emiserit votum simplex castitatis aut ingrediendæ Religionis, & postea sub promissione matrimonii puellam defloret, require in Tract. "de "Sponsalibus."

An equidem in casibus istis exceptis, stuprator non tenetur defloratæ reparare damna?

R. Non tenetur ordinariè in prima, secunda & tertia exceptione; nec, ut videtur, etiam in quarta; in quinta & sexta exceptione obligatur.

N. 146. AD QUID TENEATUR STUPRATOR PROLE SECUTA.

I. *Obligatio prole secutâ, est eam legitimare.* II. *Et alere* III. *Quid, si proles fuerit exposita.*

I. R. CUM parentes debeant prolibus suis 1°. legitimam nativitatem, 2°. convenientem alimentationem, & 3°. religiosam educationem; hinc tenetur stuprator in primis ad prolem legitimandam, si fieri possit, & majora mala non obstent, quod onus etiam contrahit corrupta consentiendo corruptioni.

Quisnam tenetur alere prolem ex stupro vel alia copula illicita natam?

II. R. Si quis vi vel fraude mulierem induxit ad copulam, ipse solus tenetur alere prolem ab initio: item tenetur ad omnia damna & expensas ratione partûs secutas, quia mulierem tali modo seducendo, omnia onera in se suscepisse censetur.

Si verò utriusque voluntario consensu res acciderit, tenetur mater, juxta quod Scholastici communiter tradunt, alere prolem primo triennio, deinceps verò pater, donec proles sibi possit providere. Deducunt ex jure positivo: unde hi versus glossæ in capit. 2. "de conversione infidelium:"

"Mater alit puerum trimum trimoque minorem,

"Majorem verò pascere patris erit."

Si alteruter ab obligatione deficiat vel impotens fiat, alter tenetur ad totum.

In foro externo mulier præsumitur seducta, si aliàs honeste vixerit: (quod tamen respectu conjugatæ adulterantis non obtinet) & ex hac præsumptione juris, pater à die nativitatis condemnari solet ad alendam prolem, et compensanda damna ac sumptus puerperii: item cogitur puellam ducere vel dotare. Hinc notat Collet, puellam teneri ad refundendum quidquid per judicem sub falsis præsumptionibus sibi adjudicatum novit.

Aliud foret, si judex in pœnam delicti sententiam tulisset, non habita ratione falsarum præsumptionum.

Quid, si proles fuerit exposita, et alibi, v. g. in Hospitali educetur?

III. R. Tenebitur secundùm statim dicta pater vel mater vel uterque simul, restituere Hospitali expensas educationis ante omnem sententiam judicis; et ad hoc à Confessario obligari debent, nisi forte alatur proles ex fundatione pauperum sibi competente, et insuper ipsi parentes vere pauperes sint.

Monet Steyaert illos, qui curam similis Hospitalis habent, non debere nimis rigide invigilare in illos, qui proles exponunt, propter abortuum et infanticidiorum pericula.

Nota, mulierem vi aut fraude seductam ad copulam, quandoque ratione cooperantis ad expositionem prolis, posse contrahere restitutionis obligationem, quam non habeat ex copula violenta.

Observandum, licèt prudenter obstetrices tempore partûs petant nomen patris prolis nasciturae ex illicito concubitu, ut proli de sustentatione ex ea parte provideri possit; (in jure enim fides habetur assertioni juratae mulieris, præsertim in partu factæ, modò ita nominatus agnoscat se cum ea rem habuisse, aut mulier hoc ipsum docere possit, ut fusiùs videri potest apud Christinæum ad consuetudines Mechl. tit. 18. art. 4.) tamen ne vitæ corporali & sæpe spirituali prolis noceatur, aliaque incommoda vitentur, prudenter ordinavit anno 1632. Episcopus Gandavensis pro sua diœcesi, ne obstetrices differant fungi officio suo, & juvare puerperas, causâ eliciendi nomen patris, quando ex illicito concubitu conceperunt: verùm id tempestivè Pastori loci obstetrices insinuent, ut hic veritatem hanc indaget, & proli sic providendum curet.

N. 147. DE CONFESSARIO STUPRATORIS AUT FORNICATORIS.

I. *Observanda à Confessariis.*

QUÆNAM Confessarius observare debet circa stuprum aut fornicationem?

I. R. Confessarius, dum audit copulam perfectam seu completam extra matrimonium, inquirat: 1°. An proles sit secuta, an secutura? si dicatur neque secuta, neque secutura; tunc prudenter et circumspectè petatur, undenam id sciat? ut si fortè abortus procuratus sit, pœnitens dicat; si procuratus non sit, non addiscat.

Si autem deprehendatur secuta aut secutura proles; circa secutam instruatur pœnitens de obligatione illam alendi; circa secuturam verò prudenter et fortiter monendus est, ut curet ne quid mali fœtui contingat, sed ut salvus in lucem edatur, et tempestivè ei de Baptismo provideatur. Monendus etiam, ne proles nata exponatur aut aliter negligatur: item ut legitimetur, si fieri potest, et majora mala non obstent.

2°. Inquirat Confessarius, an vi vel fraude aut importunitatibus æquivalentibus vi mulierem induxerit: an sub promissione matrimonii: item ostendat obligationes respectu corruptæ, ut numeris præcedentibus explicatum est.

Reflectat etiam Confessarius, sæpe contingere, prolem non sequi, eo quod impediatur conceptio peccato Onan, de quo Gen. cap. 38. v. 9.

Circa adolescentes libidinosos etiam reflectendum, an non sint ex illis deperditis, qui, cùm filiam occultè seduxerunt, palam apud suos de turpi facto gloriantur, et ita seductam omni honore et famâ spoliant nefariâ detractione.

Similiter circa mulieres impudicas observari debet, eas aliquando adolescentulis teneræ ætatis et sæpe ignorantibus abuti ad libidinem per vim, dolum aut fraudem, quæ sine dubio reæ sunt stupri, gravissimi scandali, &c.

3°. Generatim in omnibus peccatis luxuriæ inquirendæ sunt circumstantiæ tum personæ confitentis, tum personæ quâcum, vel circa quam peccatum est, an sit libera, conjugata, voto obstricta, consanguinea, &c.

4°. Quoad peccata extrema luxuriæ inter duas personas, quærere debet Confessarius, an personæ illæ simul cohabitent in eadem domo; quia ablato semel pudore, periculosissima est similis commoratio, et ideo ordinarie sine dissimulatione debent separari. Ulterius tunc petendum, quamdiu sic cohabitaverint, quæ Sacramenta frequentaverint, &c. ut latiùs docetur in Tr. "de Pœnit."

N. 148. DE INJURIA ET RESTITUTIONE EX ADULTERIO.

I. *Adulterium* II. *Infert injuriam comparti,* III. *Etiam consentienti;* IV. *Item prolibus & hæredibus.* V. *Ejus obligatio prole non secutâ,* VI. *Et prole secutâ,* VII. *Et marito suppositâ.* VIII. *Quid, in dubio an sit spuria.*

I. ADULTERIUM est alieni thori violatio. De ejus malitia agitur in Tract. "de Relig." Num. 288.

Proba per adulterium committi veri nominis injuriam.

II. R. Probatur: quia dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 7. v. 4. "Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir. "Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, "sed mulier." Igitur qui commiscetur uni ex conjugatis, facit veram injuriam alteri seu comparti: proinde si utraque pars adulterans sit conjugata, singula committit duplicem injuriam, scilicet in compartem propriam et in compartem alterius.

III. Nec injuria tollitur per hoc, quòd compars adulterantis consentiat in adulterium, ut patet ex condemnatione hujus propositionis 50. per Innocentium XI. "Copula "cum conjugata consentiente marito, non est adulterium,

"adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornica-"tum." Ratio est, conjugatos in mutua corpora habere jus inabdicabile propter bonum prolis.

Consensus interim facit, ut cesset obligatio satisfaciendi parti consentienti.

IV. Præterea adulterium per se injuriosum est prolibus legitimis sive aliis hæredibus.

Ad quid tenentur adulteri?

R. Dist. tripliciter: vel proles non sequitur ex adulterio, vel sequitur, vel dubium est, utrùm ex eo secuta sit, an non.

V. Si non sequatur proles, ad nullam restitutionem tenentur adulteri, nisi ut exhibeant satisfactionem honorariam petendo veniam, ostendendo dolorem, præstando favores, &c. si nimirùm adulterium innotescat comparti, et speretur humiliatio futura grata.

An potest injungi satisfactio pecuniaria in compensationem?

R. Negativè: id enim leges prohibent l. 2. codicis, tit. 6. lege 18. Ne maritis tribuatur species vel occasio lenocinii; si tamen inde secuta fuerit mariti infamatio aut alia damna, illa compensare tenentur.

Ad quid tenentur adulteri prole secutâ?

VI. R. Si quis alienâ uxore abusus fuerit vi vel fraude, tenetur ipse solus ad prolis alimentationem, et ad omnia alia damna restituenda, conformiter ad id, quod dictum est Num. 144.

Si autem res utriusque libero consensu acciderit, tenetur utraque pars adulterantium pro rata ad alendam prolem aliaque damna, & unâ deficiente, altera tenetur in solidum.

Quid, si tunc adultera communi voluntate cum adultero prolem spuriam marito supponat, aut eam à legitimis separare nequeat sine gravioribus malis, prout ordinariè contingit?

VII. R. Obligantur in solidum adulter et adultera, ad resarcienda damna, quæ marito et legitimis prolibus obveniunt ex sustentatione prolis spuriæ, item ex hæreditatis portione et ex donationibus proli spuriæ factis à patre putativo ejusve consanguineis in damnum prolium legitimarum. Quòd si proles legitimæ non sint, adulter et adultera ex suppositione prolis spuriæ tenentur illis, quibus bona mariti alioquin cederent.

Quid, si adultera valens prolem spuriam separare à legitimis sine gravioribus incommodis, equidem illam supponit marito?

R. Si tunc adulter non consentiat, sed è contra dissuadeat et renitatur, videtur ipsa sola teneri de damnis prædictis; quia sola videtur ipsorum causa injusta.

Quid, si dubium sit, an proles nata sit ex adulterio, an non?

VIII. R. Conveniunt Authores, si proles moraliter certo non sit mariti, sed tantum dubium sit, utrùm sit ex adulterio Petri, an ex adulterio Pauli, debere illos adulteros inter se ad ratam dubii prolem alere, et omnia damna reparare cum ipsa adultera.

Si autem dubium sit, an proles sit ex copula legitima, an ex copula adulterina, communis modernorum Authorum sententia est, adulterum teneri pro rata dubii ad alimentandam prolem et alia damna resarcienda; planè enim iniquum videtur, si maritus innocens totum onus subire deberet, et adulter reus, qui æqualem causam posuit, ab omni onere liberetur.

Lessius, Herincx, Wiggers aliique insistentes principiis probabilismi sustinuerunt, adulterum in casu ad nihil teneri. Rationes eorum sunt: 1°. Quòd in dubio melior sit conditio possidentis. 2°. Quòd nemo teneatur aliquid solvere et se spoliare re suâ, nisi ei constet se debere. 3°. Quia proles in dubio potest se reputare legitimam, donec probetur spuria: ergo etiam adulter potest eam reputare legitimam, et consequenter nihil debet.

R. Ad 1. responsum est Num. 28.

Ad 2. dicitur, majori jure maritum reponere posse, se non teneri ad alimentationem prolis, quia innocens est, et non constat eum debere.

Præterea præsumptio stat contra delinquentem: adeoque præsumptio damni stat contra adulterum: ipsi proinde, non marito, incumbit probare damnum ex suo adulterio non esse secutum.

R. Ad 3. Neg. conseq. Disparitas est, dispositionem legum et infantis innocentiam exigere, ut infans se reputet legitimum, donec probetur spurius: at è contrà meretur crimen adulterii, ut adulter se debitorem reputet, nisi probet, se in damnum non influxisse.

Cæterùm quamvis talis proles in foro externo non reputetur spuria, cùm tamen secundum se dubie spuria sit, videtur, si fundatè de sua conditione dubitet, pro rata dubii ad restitutionem teneri prolibus legitimis aut hæredibus.

N. 149. MODUS RESTITUENDI DAMNA EX ADULTERIO.

I. Quomodo adultera conjugata restituere possit. II. Non tenetur adulterium manifestare.

EX dictis Num. superiori constat, adulterum et adulteram teneri in toto, vel in parte pro rata dubii restituere marito, prolibus legitimis vel hæredibus damna ratione prolis adulterinæ vel dubie talis secuta: verùm modus restituendi, notanter respectu adulteræ conjugatæ, sæpe difficilis est; unde quæritur:

Quomodo adultera conjugata prædicta damna reparatura sit?

I. R. Si habeat bona paraphernalia seu sibi propria, aut alia, de quibus libere potest disponere, debet ex illis dare marito et prolibus legitimis usque ad damni compensationem.

Si verò nulla talia bona habeat, vel non sufficientia, adhiberi potest unus ex modis allegandis, prout circumstantiæ expedire dictaverint.

1°. Ut adultera singulari diligentiâ administret rem familiarem, & omni possibili parcimoniâ de solitis corporis, vestium et recreationum sumptibus detrahat, quantùm status et valetudo permittunt.

2°. Ut eleëmosynas, quas juxta statum suum facere potest, applicet spurio intertinendo: conetur etiam à marito impetrare facultatem dandi aliqua pauperi consanguineo occulto.

3°. Allaboret, ut prolem spuriam sumptibus quàm potest minimis, inducat ad statum aliquem ei convenientem, v. g. Religiosum in monasterio, cui modica vel nulla dos datur, vel conetur impetrare ei quoddam officium, &c.

Item caute inducat, si possit, maritum, ut filiis legitimis plura bona distribuat, quam spuriæ.

Quid, si prædictis modis damna reparari nequeant: an tunc adultera tenetur marito vel proli spuriæ revelare adulterium occultum?

II. R. Regulariter negativè: tum quia ex revelatione facta marito, nata sunt sequi gravissima mala, odia capitalia, turbatio familiæ, &c. tum quia hæc revelatio spurio facta se solâ inutilis est ad damna avertenda; cùm proles juxta communem sententiam non debeat credere matri asserenti eam esse spuriam: atque ita resolvit Innoc. III. extra lege 5. tit. 38.

Præterea fama est bonum altioris ordinis, quam res temporales: adeoque damna ista cum jactura famæ reparari non debent.

Observat tamen Collet, adulteram, si jam antea non esset famæ integræ in hac materia, et ex revelatione sperari posset bonus effectus, teneri ad revelationem; quia istud damnum famæ meritò postponi debet bono, quod ex revelatione sequitur. Vide Num. 67.

Similiter si ageretur de bono Religionis, aut de bono communi regni, tenetur adultera declarare prolem spuriam cum periculo famæ et etiam vitæ.

An expediens non est, si Confessarius de consensu adulteræ post ejus mortem prolem spuriam declaret?

R. Nec hoc probandum; nam præter pericula ipsi et proli spuriæ inde imminentia, deberet, ne habeatur ut violator sigilli, habere signaturam defunctæ, ad probandum consensum datum: sed tali Scripturæ non major fides adhibebitur, quam matri vivæ, sicque vix unquam hoc utile esse poterit.

Quid judicandum de facto adulteræ, quæ nullo modo potens avertere damna à prolibus legitimis, morti vicina, convocatis omnibus prolibus, declaravit, unam ex illis esse illegitimam, ac petit, vellentne eam nominari, aut innominatam cum cæteris hæreditatem dividere? Quo audito omnes sibi mutuò condonarunt: quia quisque metuebat sibi.

R. Authores, matrem in illo casu (quem Avenione suo tempore contigisse scribit Alciatus) iniquè processisse: 1°. Quia diffamavit proles legitimas, reddens eas suspectas illegitimitatis. 2°. Quia illa condonatio et remissio fuit invalida, eò quòd facta esset ex metu gravi injustè incusso.

De pœnis adulterii videri potest De Cocq.

N. 150. DE INJURIA IN BONIS SPIRITUALIBUS.

I. *Bona spiritualia,* II. *Naturalia,* III. *Et supernaturalia.* IV. *Lædens in naturalibus tenetur restituere.* V. *Item lædens in supernaturalibus.* VI. *An teneatur conversationi allaborare.*

I. BONA spiritualia, ut dictum est N. 86. sunt duplicia, naturalia scilicet et supernaturalia.

II. Naturalia sunt intellectus, voluntas, memoria, scientiæ & artes, & usus istorum.

III. Supernaturalia sunt gratia, virtutes infusæ, & alia dona supernaturalia, status pius, religiosus, & similia.

An homo pati potest injuriam in naturalibus animi bonis?

R. Affirmativè: quia quilibet jus habet liberè utendi facultatibus istis naturalibus: qui ergo alterum injuste impedit ab illo usu, veram infert ei injuriam.

IV. Hinc qui veneno, philtris, maleficio, similive medio injusto aliquem sensu, memoriâ, intellectu, aliove usu spiritualis potentiæ privavit, vel vi aut fraude induxit ad aliquid sumendum, ex quo tale nocumentum secutum est, peccavit graviter contra justitiam, et ad restitutionem obligatur.

Quid ex tali injuria restituere quis tenetur?

R. 1°. Tenetur ex justitia causam nocumenti tollere, & mala inde imminentia impedire, si sit in ejus potestate, & mediis licitis impedire possit.

2°. Tenetur ad restitutionem omnium damnorum realium, quæ inde secuta & secutura sunt, v. g. lucrum cessans, ex eo, quod non possit jam officium aut opificium exercere, vel in posterum futurus sit minùs aptus ad illud exercendum.

3°. Probabiliter etiam tenetur satisfacere pro damno personali secundùm arbitrium viri prudentis, consideratâ utriusque conditione, juxta dicta N. 67 & 138.

An homo injuriam pati potest in bonis animi supernaturalibus?

R. Affirmativè, dum nempe quis vi, fraude, metu, aliove modo injusto inducitur in peccatum, vel abducitur à bono opere, vel decipitur falsâ doctrinâ.

Nec obstat, scienti & volenti non fieri injuriam; quia in casu non est plenè sciens, nec plenè volens, sed est saltem invitus secundùm quid, propter deceptionem aut violentiam. Vide Num. 37.

Qui igitur alterum vi, fraude aut metu in peccatum inducit, non solùm peccat peccato scandali, sed etiam peccato contra justitiam isti alteri debitam.

Ad quid restituendum tenetur, qui ita nocuit proximo?

V. R. 1°. Tenetur ex justitia vim, fraudem, omnemque aliam causam amovere, quantùm licitè potest.

2°. Tenetur restituere omne damnum temporale, si

quid ex deceptione vel violentia passus est seductus: prout etiam restituere tenetur damnum, quod inde passus est tertius, ut si quis alium vi vel fraude pertraxerit ad furandum.

An tenetur ex justitia allaborare conversioni ejusdem seducti?

VI. R. Regulariter non tenetur, quia amotâ vi, fraude, &c. cessat injuria, & seductus restituitur libertati suæ: unde si ulteriùs in peccato pergat, jam plenè sciens & volens in eodem pergit.

Dictum est "regulariter;" quia si seductus vi aut fraude in peccato illo hæreat tenaci consuetudine aut animi pusillanimitate ex vi aut fraude contracta; videtur seductor ex justitia obligari ad allaborandum consiliis, adhortationibus, precibus per se aut per alios conversioni seducti: quia seductor est etiam injusta causa hujus nocumenti, quod ablata vi aut fraude non aufertur.

Dictum est supra in responsione, injuriam fieri ei, qui vi, fraude, metu, aliove modo injusto inducitur in peccatum; quia qui sine vi, aut fraude, solis suasionibus, precibus aut malo exemplo alium in peccatum inducit, peccat quidem peccato scandali; sed non facit illi injuriam, & consequenter ipsi ad nullam restitutionem tenetur; quia scienti & omnino libere volenti non fit injuria: tenetur tamen talis ex charitate plus quam alii curare, ut alter à peccato resurgat.

Excipe, si inductus sit superior; quia ille ex justitia tenetur impedire peccatum sui subditi.

Si quis alium induxerit in peccatum injustitiæ contra tertium, tenetur isti tertio ad restitutionem, & applicari debent principia de cooperantibus.

Ex dictis patet, in quanta mala se conjiciat qui alios in peccata inducunt; cum difficillimum sæpe sit, voluntatem semel ad peccatum allectam reducere ad virtutem; quod maxime verum est de illis, qui juventutem sæpe nondum doli capacem impudicitiis corrumpunt, vel pravis erroribus imbuunt, quod Confessarii attendere debent, præsertim in Confessione ancillarum & famulorum, qui luxuriæ dediti pueris condormiunt.

N. 151. DE AVOCANTE ALIQUEM A RELIGIONE.

I. *Avocans à Religione,* II. *Si vi vel fraude,* III. *Tenetur ad restitutionem seducto.* IV. *Et monasterio.* V *De avocante professum.*

AD quid tenetur, qui alium à religione avertit seu avocat?

I. R. 1°. Qui solis precibus aut suasionibus, nullo adhibito medio injusto, avocat aliquem à religione, volentem ingredi vel profiteri, nemini facit injuriam: ac adeo non tenetur ad restitutionem: verùm si id faciat sine justa causa, aut ex malo fine, graviter peccat, et incurrere potest excommunicationem. Vide Concilium Tridentinum Sess. 25. "de Regularibus" cap. 18.

II. 2°. Qui vi, fraude, aliove modo injusto impedit novitii seu candidati ingressum, aut facit ut egrediatur, peccat contra justitiam in ipsum candidatum & in ipsum monasterium seu religionem.

III. Respectu seducti tenetur amovere vim vel fraudem, eumque libertati restituere, & si quod damnum passus sit, illi resarcire.

IV. Respectu monasterii, tenetur ei compensare damnum, quanti nempe valebat spes commodi temporalis, quod ex labore, industria, donatione, &c. expectabatur, deductis expensis sustentationis, et habitâ ratione mutabilitatis voluntatis ejusdem candidati: ratio est, cuilibet jus strictum competere, ne vi, fraude, aliove modo injusto à consecutione alicujus boni impediatur.

Ad quid tenetur, qui professum à religione avocat?

V. R. 1°. Peccat graviter contra virtutem religionis, & etiam contra justitiam, licet avocet professum plenè scientem & volentem: quia religio jus strictum habet in personam professam: unde ex justitia debet ei suadere reditum.

Non tamen peccat contra justitiam in ipsum Religiosum; quia plenè scienti & volenti non fit injuria.

An tenetur monasterio restituere spem commodi temporalis, quod sperari poterat ex isto Religioso?

R. Billuart aliique contra Henno negativè; quia professus non tenetur ex justitia, velut mancipium Domino, laborare & lucra facere, sed solùm ex obedientia vel religione: adeoque eatenus non peccatur contra justitiam.

R. 2°. Qui vi, metu, fraude, aut alio medio injusto abducit professum à religione, tenetur 1°. ex justitia suadere reditum: 2°. tenetur vim, fraudem omnemque aliam causam injustam amovere: 3°. tenetur reparare omnia damna, quæ religio ex Religiosi absentia, & Religiosus ipse patitur.

Si professus redire nolit, an seductor ejus loco monasterium intrare tenetur?

R. Negativè: quia status Religionis est summæ perfectionis & magnæ difficultatis: unde debet esse liberrimæ electionis.

Ex dictis initio Numeri patet, licitum esse ex justa causa dissuadere religionis ingressum, & nondum professo egressum, ut si quis aliquem videat religioni ineptum, si in illa religione non vigeat regularis disciplina, si parentes prolis auxilio graviter egeant, si laboret aliquo impedimento, v. g. corporis infirmitate. Licet etiam parentibus, (idem dic de Confessariis & Directoribus spiritualibus) si prudenter dubitent de viribus vel constantia suorum, illos ad tempus non longum retinere & probare; & quidem sic fieri expedit: verum graviter peccant, si eos exponant periculis peccandi, vel alliciant per se aut per alios ad voluptates aliave illicita, ut sic eos à proposito avertant.

FINIS TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

TRACTATUS

DE

CONTRACTIBUS IN GENERE,

ET

DE USITATIORIBUS

IN SPECIE.

PROŒMIUM.

CUM Contractibus transferantur & acquirantur rerum dominia, variæ obligationes nascantur, & injustitiæ in illis multipliciter committantur: hinc notitiam eorum non solùm ad Juridicos, sed etiam ad Theologos spectare dignoscitur.

De Contractibus in genere scienda sunt præcipue hæc quatuor: 1°. Quid sit Contractus, & quot modis perficiatur: 2°. Quomodo dividatur: 3°. Quænam ad valorem Contractûs requirantur, & 4°. Quinam sint Contractuum effectus. Post illa agemus " de usitatioribus Contractibus in specie."

N. 1. QUID CONTRACTUS ET QUOT MODIS FIAT.

I. *Contractus latè & strictè sumptus.* II. *Obligatio.* III. *Contractus perficitur* IV. *Re,* V. *Verbis,* VI. *Scripturâ,* VII. *Et consensu.*

QUID est Contractus?

I. R. Contractus generatim sumptus, est duorum vel plurium in idem placitum consensus, in alterutro saltem obligationem pariens.

Contractus verò stricte sumptus definitur l. 50. digest. tit. 16. lege 19. " Ultro citroque obligatio." Hæc definitio ab Authoribus admitti solet in sensu casuali, quia contractus obligationem causat; non in sensu formali:

unde ejus sensus sic exponitur: actus externus inducens reciproce obligationem justitiæ ex consensu partium.

Contractus generaliter sumptus coincidit cum "pacto," sed non contractus stricte sumptus: hinc contractus gratuiti & alii, ex quibus in unâ dumtaxat parte nascitur obligatio, pacta potiùs, quam contractus stricte dicti reputari debent. Quandoque tamen confunduntur.

Quid est obligatio?

II. R. Est vinculum juris, quo unus alteri astringitur ad aliquid faciendum vel omittendum. De hac agetur infra, ubi "de effectibus Contractuum" Num. 11.

Ex dictis notari potest, quod consensus sit velut causa efficiens & forma contractûs, & obligatio sit quasi effectus ejusdem.

Quot modis contractus solet perfici?

III. R. Generaliter quatuor modis, scilicet re, verbis, scripturâ & consensu.

IV. Dicitur contractus perfici "re," quando ad ipsum plene perficiendum requiritur traditio ipsius rei, v. g. in donatione, mutuo, deposito, commodato, &c.

V. Dicitur perfici "verbis," dum pro illo perficiendo necessaria est determinata verborum forma, et antiquitùs dicebatur "stipulatio:" v. g. si unus dicat "promittis?" et alter respondeat "promitto:" si dicat "fide jubes?" et alter replicet "fide jubeo."

VI. Dicitur perfici, "scripturâ" quando contractus non est ratus, nisi conscribatur, sive illud proveniat ex voluntate contrahentium, sive ex consuetudine, sive ex dispositione juris sic requirentis et aliter factum irritum reddentis, v. g. testamentum; vel concedentis tempus resiliendi seu pœnitendi, ut jura loquuntur.

An, dum contrahitur cum intentione contractum roborandi per scripturam faciendam, contractus ille sit ratus, et inde oriatur obligatio ad non resiliendum antequam conscribatur?

R. Sepositâ dispositione juris aliter factum irritum reddentis, aut concedentis tempus resiliendi, id pendet ex voluntate seu mente contrahentium: unde:

Si contrahentes noluerint concludere contractum nisi scripturâ muniatur, antequam conscriptus sit, resilire licet.

Si contrahentes voluerint se invicem obligare, etiam antequam scriptura fieret, ita ut scripturam, intenderint dumtaxat tanquam instrumentum, quo contractus probari possit in foro externo: tali casu contractus ille obligat, sicut cæteri contractus nudi independenter à scriptura.

Mens contrahentium colligi debet, vel ex ipsa declaratione contrahentium, vel ex signis aut circumstantiis, v.g. si apposuerint pœnam in resilientem, censetur contractus ratus, antequam sit conscriptus.

Observandum, juxta articulum 19. edicti perpetui Alberti & Isabellæ statutum esse, omnem contractum de re excedente valorem 300 florenorum fieri debere scripto sub propria contrahentium signatura, vel coram Notario & testibus, aut alia publica persona, secundùm quod qualitas contractûs exigit: scriptum istud solum fidem facere in foro externo, adeo ut judices nullam aliam probationem per testes admittere possint.

Hinc edictum propriè tantùm probationem concernit, non ipsum valorem contractûs. Ita Herincx, De Cocq, &c. Vide etiam Anselm. comment. ad edictum perpetuum.

VII. Dicitur contractus perfici "consensu," non quasi in aliis contractibus consensus non requireretur; sed quia solo consensu legitimo signis manifestato peragitur sine re, verbis & scriptura: tales contractus sunt emptio, locatio & plerique alii.

N. 2. DE DIVISIONE CONTRACTUUM.

I. *Contractus dividitur in explicitum & implicitum.* II. *Innominatum & nominatum,* III. *Stricti juris & bonæ fidei,* IV. *Nudum & vestitum,* V. *Firmum, irritum & rescindibilem,* VI. *Purum & non purum.* VII. *Absolutum & conditionatum,* VIII. *Gratuitum & onerosum.* IX. *Horum differentia.*

QUOMODO dividitur Contractus?

I. R. 1°. Dividitur in explicitum seu formalem, et implicitum seu virtualem.

Explicitus seu formalis est ille, quo contrahentes expressè de re aliqua conveniunt, v. g. dicendo: "Vendo "tibi hanc rem pro tali pretio."

Implicitus seu virtualis est, dum sine expressa conventione suscipitur tacitè obligatio justitiæ ex facto aliquo licito: v. g. ex acceptatione alicujus officii, diciturque "quasi-contractus."

II. 2°. Dividitur in contractum nominatum & innominatum.

Innominatus est, qui non habet speciale nomen; hujus sunt quatuor species, scilicet: "Do ut des: facio ut facias: "do ut facias: facio ut des."

De Cocq & Collet docent, in contractibus innominatis aliquem resilire posse, licèt ex sua parte compleverit: v. g. dedi Titio pecuniam ut iret Romam: hanc repetere possum etiam juridicè, si nondum iverit, nec expensas fecerit, nec contractus sit vestitus, de quo statim.

Nominatus dicitur, dum habet in jure speciale nomen, quo ab aliis distinguitur, v. g. emptio, venditio, societas, mutuum, &c. de quibus postea specialiter agetur.

III. 3°. Dividitur in contractum stricti juris et bonæ fidei.

Dicitur contractus stricti juris, qui est strictioris interpretationis et difficulter recedit à tenore verborum, ut stipulatio, census, mutuum, donatio, &c.

Bonæ fidei vocatur, qui patitur latiorem interpretationem secundùm æquum & bonum. Notat De Cocq ex Gudelino, "De jure novissimo," lib. 3. cap. 13. omnes pene actiones & contractus moribus Belgicis esse bonæ fidei.

IV. 4°. Dividitur in contractum nudum & vestitum.

Dicitur nudus ex eo, quòd non habeat robur in jure, quo vestiatur, eique proprium est, quòd ex illo non detur actio in foro externo, quamvis pariat obligationem naturalem in foro conscientiæ: consuetudo tamen variorum locorum in Belgio habet, ut notat Zypæus, ex contractu nudo etiam dari actionem in foro externo, modò possit probari.

Contractus vestitus est conventio innixa alicui fundamento, vi cujus parit actionem in foro externo: talia fundamenta sunt, si contractus sit legitimè conscriptus, si res sit tradita, si additum juramentum, si initus coram testibus, &c.

V. 5°. Dividitur in contractum firmum, irritum & rescindibilem, seu, ut vulgò loquuntur, irritandum.

Firmus est, qui validus est & robur habet: irritus, qui invalidus est & robur non habet, sive ob jus naturæ, sive ob jus positivum, sive ob inhabilitatem contrahentium, &c. rescindibilis seu irritandus dicitur, qui licèt validus sit, potest tamen rescindi ad arbitrium partis læsæ, manente alia parte obligata, si prior voluerit.

VI. 6°. Dividitur in contractum purum & non purum.

Purus dicitur is, cui nullum additur accidens, hoc est, qui fit sine conditione, modo, &c.

Non purus dicitur ille, cui additur aliquod accidens: quod cùm sit quintuplex, etiam quinque species contractûs non puri assignantur.

Primus dicitur "ad diem," cùm ipsi præfigitur dies, ante quem non oritur obligatio solvendi, vel rem tradendi, vel ante quem non datur actio.

Secundus dicitur "ad demonstrationem," dum apponitur in contractu aliquod signum demonstrans rem, de qua, vel personam, cum qua contrahitur: v. g. vendo Joanni cognato meo crucem argenteam in tali cista positam: contractus hic dupliciter est demonstrativus.

Tertius dicitur "modalis," sive "sub modo," dum ei additur modus, sub quo contractus obliget; v. g. dò tibi 50 florenos ad emendos libros.

Quartus dicitur "causalis," sive "ad causam," dum additur ratio, ob quam contractus factus est: v. g. lego tibi hoc prædium, quia meus cognatus es.

Quintus est "conditionatus," seu "sub conditione," dum ei apponitur aliqua conditio.

Nota, contractum dici dupliciter conditionatum: scilicet vel latè, ex aliquo accidenti addito; vel strictè, ex conditione suspensiva: unde,

VII. 7°. Dividi potest contractus in absolutum & conditionatum, nimirum sub conditione suspensiva.

VIII. 8°. Dividitur contractus in gratuitum seu lucrativum, & onerosum.

Gratuitus est, dum nil rependitur pro eo, quod datur, ut simplex promissio & donatio.

Onerosus vocatur, dum pro eo, quod traditur, aliquid rependitur, ut emptio, locatio, &c.

IX. Hoc interest inter contractus gratuitos et onerosos: 1°. Quòd onerosi sint firmiores. 2°. Quòd onerosi injiciant obligationem reciprocam, nisi jus impediatur in una parte, ut fit in contractu cum minorenni. 3°. Quòd de substantia contractûs gratuiti sit quædam animi liberalitas. 4°. Quòd in gratuitis interpretatio magis fieri debeat in favorem liberaliter agentis.

Præterea aliqui contractus onerosi sunt in utilitatem utriusque contrahentium, quales numerantur novem, scilicet emptio, cui relativè opponitur venditio; locatio, cui relativè opponitur conductio; census, cambium, emphyteusis, feudum & assecuratio.

Aliqui sunt ad utilitatem solius accipientis, videlicet, hi quinque, mutuum, commodatum, sub quo precarium, pignus, hypetheca et fidejussio.

Depositum est ad utilitatem solius dantis: sponsio ac ludus cedunt in utilitatem alterutrius indeterminatè.

N. 3. DE REQUISITIS AD VALOREM CONTRACTUS.

I. *Requisita ad valorem contractûs.* II. *Quinam habiles ad contrahendum.*

QUÆNAM requiruntur ad valorem contractûs?

I. R. Hæc quatuor: 1°. Ut contrahentes sint habiles ad contrahendum.

2°. Ut res sit capax & apta, ut hujusmodi contractui subjiciatur.

3°. Ut contrahentes præstent legitimum consensum.

4°. Ut observetur forma substantialis à jure vel consuetudine ad valorem requisita.

Ex quadruplici igitur causa contractus potest esse invalidus.

Quinam sunt habiles ad contrahendum?

II. R. Omnes illi, qui liberam habent bonorum administrationem, scilicet quousque hæc facultas administrandi se extendit.

Facultas hæc in rebus alienis vel habetur ex concessione Domini: et tunc voluntas Domini attendi debet: vel habetur à lege, jure, aut superiore, et tunc pendet ex legibus et probatis consuetudinibus.

Inhabiles ergo sunt ad contrahendum amentes, furiosi, perfectè ebrii, infantes ante usum rationis, et Religiosi solemniter professi.

Notandum, potestatem contrahendi sæpe per jura positiva esse limitatam, vel etiam ad tempus aut in perpetuum, quandoque suspensam aut impeditam, v. g. respectu pupillorum, minorennium, prodigorum, &c. pro quibus necessario attendi debent locorum consuetudines & jura municipalia.

N. 4. QUOUSQUE PUPILLI, &c. HABILES SINT AD CONTRAHENDUM.

I. *Pupilli.* II. *Puberes & minorennes.* III. *Tutela & curatela.* IV. *Quandonam desinat.* V. *Ante septennium contrahunt invalidè.* VI. *Quandonam validè de jure communi.* VII. *Mores Belgici.* VIII. *De obligatione naturali pupillorum.* IX. *Beneficium restitutionis in integrum.*

I. PRÆNOTANDUM, pupillos propriè censeri, qui curâ parentis, potissimùm defuncti, sunt destituti usque ad tempus pubertatis.

Horum aliqui sunt infantes, scilicet usque ad septimum ætatis annum completum: alii infantiæ proximi, quorum ætas propior est infantiæ, quam pubertati: alii dicuntur proximi pubertati, masculi quidem post annum decimum cum dimidio, feminæ post annum nonum cum dimidio.

II. Pubertas incipit in masculis completo decimo quarto anno, in feminis completo duodecimo. Postea dicuntur minores seu minorennes usque ad completum annum vigesimum quintum, ex quo incipiunt dici majores.

III. Pupillis datur tutor, minoribus curator. Officium tutoris finitur pubertate: curatoris, completo anno vigesimo quinto. Hodie tamen passim receptum est, ut tutela non finiatur pubertate, sed in curatelam (inter quam et tutelam nunc distinctio vix agnoscitur) transeat, etiam sine novo decreto.

IV. Moribus nostris expirat tutela ante annum 25. per Matrimonium & Ordines sacros: intellige quoad bonorum administrationem, non ita generatim quoad distractionem prædiorum seu immobilium, ut videre est apud Christinæum ad consuetudines Mechlin. tit. 19. art. 27. Idem est de iis, qui ob mercaturam aliasve causas citiùs veniam ætatis obtinuerunt, ut habet idem articulo 28.

Moribus quoque Belgicis, minoribus, etiam invitis, curator datur: ac etiam officium tutelæ competit parenti superstiti.

His præmissis, quæritur, quousque pupilli et minores habiles sint ad contrahendum?

V. R. Pupilli, nondum expleto septennio, inhabiles sunt ad contractus civiles; quia vel ratio ipsis deest, vel nimis infirma est: unde lib. inst. 3. tit. 20. §. Sed quod "de "inutilibus stipulationibus" dicitur: "Infans et qui infan- "tiæ proximus est, non multum à furioso distant; quia "hujusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum."

His verbis significari videtur, pupillos infantiæ proximos etiam inhabiles esse ad contrahendum: Herincx tamen & Billuart censent, hos validè contrahere in suum commodum; quia ibidem subditur: "Sed in proximis infantiæ "propter utilitatem eorum, benignior juris interpretatio "facta est; ut idem juris habeant, quod pubertati "proximi."

VI. Contractus initi sine authoritate tutoris cum pupillis pupertati proximis, puberibus & minorennibus sunt validi: 1°. Si sint in ipsorum commodum. 2°. Si res ex contractu tradita ipsorum dolo interierit. 3°. Si contrac-

tum juramento confirmaverint; & 4°. Si contractus sit factus à professuris religionem. Hæc de jure communi.

Similiter juxta Lessium validè contrahunt de bonis castrensibus & quasi-castrensibus sine authoritate tutoris.

Ut autem pupillus aut minorennis alienare possit rem immobilem, aut mobilem pretiosam, ut sunt gemmæ, vasa aurea, argentea, &c. quæ servando servari possunt, requiritur decretum judicis. Per alienationem intelligitur venditio, donatio aut pignoratio, servitutis impositio, cessio juris, &c.

VII. In Belgio pleræque consuetudines habent, ut contractus omnes pupillorum ac minorum non teneant sine authoritate tutoris initi, nisi inquantum illis sunt utiles. Ita refert Christinæus cit. tit. 19. art. 22.

Quæstio est, an pupilli & minores contrahentes in suum incommodum sine consensu tutoris, non teneantur obligatione naturali, seu in conscientia?

VIII. R. Id controvertitur: De Cocq aliique sustinent, pupillos infantiæ proximos nequidem naturaliter obligari; uti nec pupillum, qui mutuum accepit, aut qui contraxit cum ipso tutore, aut qui alienasset sine authoritate tutoris immobilia, vel mobilia pretiosa; quia leges talibus contractibus resistunt. Verùm quantum ad alios contractus, licèt pupilli non obligentur civiliter, putant tamen eos obligari naturaliter, si jam sint minores aut pubertati proximi: probant ex lege SI PUPILLUS lib. 35. digest. tit. 2. & lege 1. lib. 46. tit. 2. item ex eo, quod si tali contractui pro pupillo accessisset fidejussor, hic obligetur civiliter: ergo pupillus obligatur naturaliter; quia ex contractu undique nullo non potest oriri obligatio civilis in fidejussore. Legibus oppositis conatur respondere Billuart.

Notant Authores, quod pupillus pubertati proximus aut minor contrahens cum majori sine authoritate tutoris, non obligetur majori saltem civiliter, sed majorem sibi obliget, jure ita statuente: "Ut Minoribus ætas in damnis subve-"niret, & in prosperè gestis non obesset." Unde dicuntur contractus hujusmodi claudicare ex una parte.

IX. Pupillis et minoribus ex contractu valido notabiliter lœsis conceditur beneficium restitutionis in integrum, de quo diximus Num. 32. "de Jure et Justitia."

Varia insuper disputantur de habilitate prodigorum, filiorum-familias et uxorum ad contrahendum, sicut et de

habilitate contrahendi inter pupillum & tutorem, inter curatorem et clientem, inter medicum et ægrum durantè morbo, et inter advocatum et clientem durante lite, quæ scire spectat ad Jurisperitos.

Quoad maritum et uxorem, conformiter ad decisionem 55. Domini Stockmans, vir liberè alienat mobilia non solùm acquisita, sed etiam ab uxore allata: item juxta Christinæum per mores Mechl. potest vir alienare invitâ uxore immobilia stante matrimonio conquisita, modò id non fiat ad fraudandam uxorem: sed mores Lovanienses & Bruxellenses solùm permittunt, ait De Cocq, ut conquisita possit maritus alienare, in quibus mulier simul vestita non est.

N. 5. DE CAPACITATE REI AD CONTRACTUM.

I. *Rei capacitas pro contractu.* II. *Non omnis contractus illicitus est invalidus.*

UNDENAM provenit rem non esse capacem seu aptam, ut certo contractui subjiciatur?

I. R. Id aliquando provenit ex jure naturæ, ut in contractu simoniaco, ubi simonia est juris divini; item in contractu de re furtiva vel impossibili.

Aliquando id provenit ex jure solùm positivo, aut ex voluntate alicujus particularis: sic distributiones chori non possunt condonari non residentibus, nec bona fidei commissa alienari, licet quis acquisierit eorum dominium.

An omnis contractus illicitus etiam est invalidus?

II. R. Omnis contractus illicitus etiam est invalidus, si ideo sit illicitus, quia est de re illicita facienda: an verò et quomodo possit fieri validus, re illicitâ jam factâ, vide dicta Num. 59. "de Jure et Justitia," et dicenda "de Contractu sub conditione turpi."

Alioquin non omnis contractus illicitus semper est invalidus, v. g. promissio aut donatio prodiga: ratio est, quod possit quis excedere in debito usu et dispensatione rei suæ, licet propterea non excedat limites potestatis suæ, in rem ipsam.

N. 6. DE CONSENSU REQUISITO AD CONTRACTUM.

I. *Consensus ad contractum debet esse reciprocus,* II. *Externus,* III. *Et serius.* IV. *Internus in externa contractûs.* V. *Non in executionem.* VI. *Nec in susceptionem obligationis.* VII. *Excepto matrimonio.* VIII. *Et fortè sponsalibus.*

QUALIS consensus requiritur ad valorem contractûs?

R. Reciprocus & externus, legitimus ac serius, internus & liber.

Quomodo consensus contrahentium debet esse reciprocus?

I. R. Per hoc, quod reciprocè consentiant in obligationem: sic in onerosis singula pars acceptat obligationem, et consentit in suam propriam: in gratuitis verò una pars consentit in obligationem, & altera pars acceptat consensum prioris in obligationem.

Unde consensus contrahentium debet etiam esse simultaneus: patet etiam nequidem promissionem aliquam obligare "in ratione contractûs," nisi sit acceptata, idque defectu consensûs acceptantis.

Dicitur "in ratione contractûs;" quia promissio obligare potest ex virtute Religionis "in ratione voti," quod Deus acceptat: idque locum habet etiam in promissione merè interna, v. g. ad pias causas.

Quomodo consensus debet esse externus?

II. R. Per signum externum sufficienter consensum exprimens: sufficit autem quocumque signo manifestetur, nisi dum certa solemnitas, tanquam forma substantialis hujusmodi contractûs, à jure vel consuetudine præscripta est.

III. Debet etiam consensus externus esse serius, ita ut signa externa indicent serium animum contrahendi, ac adeo sese obligandi: hinc est, quod unus dicendo alteri: "Dabo tibi hoc," non semper obligetur ex justitia ad hoc præstandum; quia verba ista sæpe tantùm important propositum, seu affectum hoc aliquando faciendi.

Qualis debet esse consensus internus?

R. Prænotandum, consensum internum posse respicere tria sequentia: 1°. Ferri potest in seriam positionem externorum contractûs. 2°. In susceptionem obligationis. 3°. In executionem obligationis contractûs.

In quod ex istis tribus ferri debet consensus internus?

IV. R. Certum est, saltem requiri consensum internum in seriam positionem externorum contractûs; qui consensus est causa formalis & constitutiva contractûs: deinde debet esse actus humanus, adeoque voluntarius.

V. Certum est, non requiri consensum internum in executionem obligationis contractûs, ita ut, etiamsi contrahens nunquam intenderet exequi obligationem contractûs, nihilominus contractus sit validus; quia consistunt hæc duo, quod quis se obliget aut sit obligatus, et nolit adimplere seu exequi obligationem.

Disputatur autem, an requiratur consensus internus in susceptionem obligationis, seu, utrùm si externè seriò contrahens, internè dicat: "Nolo contrahere, nolo obligari," contractus ille sit validus?

VI. R. 1°. Talis contractus semper judicatur validus in foro externo.

2°. Sic contrahens tenetur in conscientia ante omnem sententiam judicis reparare damna, quæ alteri parti ex ficto isto contractu suboriuntur: imò per accidens tenebitur tali contractui stare, ob scandala, aliave incommoda amovenda.

3°. Videtur ille contractus etiam esse in se validus, ita ut tali modo contrahens teneatur vi contractûs præstare id, de quo conventum est. Ita sustinent plerique Lovanienses, contra Van Roy, Tournelli aliosque.

Probatur hæc sententia: tunc contractus debet dici in se validus, quando ponuntur omnia ejus essentialia: atqui ponendo seriò omnia externa, ponuntur omnia ejus essentialia. Probatur: nec jus gentium, nec jus positivum plus ad valorem contractûs requisivit: ergo saltem contractus, qui reipublicæ dispositioni subjacent, per solam positionem externorum sunt in se validi. Nec obstat ad contractum essentialiter requiri consensum: qui enim seriò ponit externa contractûs, habet intentionem efficacem contrahendi & se obligandi; quia scienter & voluntariè proferendo verba, quibus ex hominum institutione obligationem annexam novit, consentit in obligationem, saltem interpretativè, et illa intentio mere interna, qua non vult contrahere, est inefficax.

Præterea, altera opinio videtur contraria publicæ tranquillitati, quia juxta illam manent incerta rerum dominia, cum sciri non possit, an contrahens secum consenserit interne in obligationem contractûs.

Excipitur tamen matrimonium, quod externe serio

contractum cum animo non contrahendi vel se non obligandi, invalidum est in conscientia.

Quare potiùs matrimonium sic contractum invalidum est, quam cæteri contractus?

VII. R. Quia contractus matrimonii non ita subjacet potestati reipublicæ, ut cæteri contractus: unde nec respublica hìc consensum supplere potest. Deinde cùm contractus matrimonii inducat vinculum indissolubile animorum & amoris perpetui, graviaque alia onera adferat, æquum fuit, ut non tantùm verbis exterioribus, sed etiam consensu interiori, & maximè libero contraheretur, alioquin validum non foret.

VIII. An pro valore sponsalium præter verba seriò prolata etiam requiratur consensus internus in obligationem, non ità constat. Affirmat Daelman aliique; quia sponsalia inducunt obligationem ineundi contractum matrimonii indissolubilem, ut propterea videantur debere sequi conditiones contractûs matrimonialis.

Sed Pontius, Pauwels aliique id negant; quia de sponsalibus est par ratio, sicut de aliis contractibus; cum ex legitima causa, ut cæteri contractus, dissolvi possint.

N. 7. DE ERRORE ET DOLO IN CONTRACTU.

I. *Impedientia liberum consensum.* II. *Error.* III. *Error circa substantiam.* IV. *Error circa accidens redundans in substantiam.* V. *Error antecedens & concomitans.* VI. *Error substantialis irritum facit contractum.* VII. *Non error circa accidens tantùm.* VIII. *Dat tamen interdum causam recissionis.* IX. *Quandoque actionem* quanti minoris.

QUÆNAM impediunt liberum consensum in contractu?

I. R. Illa, quæ causant involuntarium sive positivum, sive negativum, sive simpliciter, sive secundùm quid. Præcipua autem, quæ solent impedire libertatem consensûs, sunt error seu dolus, et metus.

An omne, quod causat involuntarium in contrahente, vitiat contractum?

R. Negativè, sed requiritur, ut causet involuntarium in contrahente ratitionabiliter invito: hinc metus justè incussus non vitiat contractum.

Quomodo distinguitur error in ordine ad contractum?

II. 1°. In errorem circa substantiam et in errorem circa accidens.

2°. Error circa accidens alius redundat in substantiam, alius non.

3°. Aliquis error venit ex dolo alterius contrahentium, alius non est ex dolo, sed vel à tertio, vel à casu fortuito.

4°. Alius error est antecedens, alius concomitans seu incidens respectu contractûs.

Quis error dicitur circa substantiam?

III. R. 1°. Illa qui est circa rem, de qua contrahitur, v. g. si emas vitrum pro gemma: talis est etiam error circa personam in contractu matrimonii.

2°. Dicitur quoque error circa substantiam, quando erratur circa naturam contractûs: v. g. si putes tibi donari, quod tibi venditur.

3°. Est error circa substantiam, si erretur circa motivum substantiale contractûs: v. g. dare eleëmosynam ficto pauperi, donare alicui, tanquam consanguineo, qui consanguineus non est.

Aliud dicendum si error sit tantùm circa motivum impulsivum contractûs: v. g. dare eleëmosynam alicui, quia vere pauper est, sed simul putatur consanguineus.

4°. Vocatur etiam error circa substantiam, quando erratur circa accidens redundans in substantiam.

Quis error dicitur circa accidens redundans in substantiam?

IV. R. Tunc, quando accidens à contrahente principaliter intenditur, sive quando illud accidens est objectum principale consensûs omnium contrahentium in similibus circumstantiis: v. g. quis intendit emere equam juniorem ad fœtum inde obtinendum, et venditur annosa fœtui inepta, est error circa accidens redundans in substantiam. Idem est, si quis emat medicinam emortuam, licet sit utroque casu nulla substantiæ differentia.

Quis dicitur error antecedens respectu contractûs, quis concomitans?

V. R. Antecedens est, qui dat causam contractui, ita ut sine illo contractus non fuisset initus.

Concomitans, seu incidens est ille, qui non dat causam contractui, sed solùm facit, ut libentiùs aut cariùs contrahas, v. g. cariori pretio emas.

Error ex dolo dupliciter committitur: 1°. Dum alter positive causat errorem dictis aut factis, mentiendo ad decipiendum. 2°. Dum alter tacendo occultat vitium rei, quod debebat revelare, de quo specialiter N. 25. "de "emptione-venditione."

Quomodo error & dolus vitiant contractum?

VI. R. Error circa substantiam rei, naturam contractûs, motivum substantiale, aut circa accidens redundans in substantiam, reddit contractum ipso facto irritum jure naturæ, idque sive error sit ex dolo sive non, sive sit antecedens sive concomitans contractum : ratio est quòd sub hujusmodi errore nullus sit consensus, nec actualis, nec virtualis in substantiam præsentis contractûs.

VII. Error qui est solummodo circa accidentia non redundantia in substantiam, non reddit contractum ipso facto irritum, neque ex jure naturæ, neque ex jure positivo, idque si hujusmodi error sit ex dolo, sive non, sive sit antecedens, sive concomitans ; ratio est, quod similis error non tollat actuale voluntarium consensûs in substantialia contractûs : patet in matrimonio, ubi quis contrahit cum paupere quam putat esse divitem.

Aliud foret, si contractus esset initus sub isto accidente, tanquam conditione suspensivâ ; quia tunc simul cum substantia rei ingreditur motivum substantiale contractûs.

Collige, si deceptus errore merè accidentali velit stare contractui, decipientem teneri illum adimplere ante omnem sententiam judicis.

An contractus ex errore circa accidens tantum est rescindibilis ex parte decepti ?

Notandum, hìc agi tantum de errore circa accidens, quod considerari solet in hujusmodi contractu, et consideratum non fuit.

VIII. R. 1°. Si hujusmodi error sit antecedens et ex dolo alterius contrahentium, contractus (excepto matrimonio, quod est indissolubile) est rescindibilis ad arbitrium illius, qui dolum passus est ; nam fraus et dolus cuiquam patrocinari non debent.

Præterea sic deceptus habet actionem adversus deceptorem "in id, quod interest decepto non decipi :" hoc est, habet jus repetendi non tantum rem aut pretium datum, sed etiam petere potest compensationem omnium damnorum, quæ ex simili contractu secuta sunt : v. g. si dolo vendentis emeris ovem morbidam, quæ tuas infecit, jus habes exigendi damnum inde causatum, et vendens tenetur illud restituere.

IX. 2°. Si hujusmodi error sit quidem antecedens, sed non ex dolo alterius contrahentium, conveniunt Authores, deceptum habere actionem "quanti minoris :" hoc est, habere jus, ut tantò minus solvat, quanti minoris rem emisset vitio cognito.

An verò deceptus possit contractum rescindere, supposito rem adhuc integram esse, dissentiunt Authores: affirmant Lessius, Bonacina, &c. negant Antoine, Daelman, aliique. Quidquid de eo sit, ait Danes, jus positivum rescissionem non concedit, sed duntaxat actionem "quanti minoris."

Excipiunt tamen Authores, qui pro negativa stant, promissionem gratuitam et donationem liberalem, qui contractus rescinduntur; quia actionem "quanti minoris" non admittunt. Ob eandem causam etiam excipiuntur sponsalia, tum etiam ob hanc, quòd majorem libertatem requirunt.

3°. Si hujusmodi error sit concomitans sive incidens tantùm, contractus non est rescindibilis, saltem privatâ authoritate, idque sive ille error proveniat ex dolo alterius, sive non. Ratio est, quod cum error ille non dederit causam contractui, non sit ratio, quare deberet infirmari.

Interim, si error sit ex dolo alterius, deceptus habet adversùs deceptorem actionem "quanti minoris:" si sine dolo alterius, videtur equidem alter obligatus ad redigendum contractum ad æqualitatem, cum jus naturæ debitam æqualitatem rei & pretii requirat.

N. 8. DE METU CIRCA CONTRACTUM.

I. *Metus.* II. *Alius levis.* III. *Alius gravis.* IV. *Absolutè,* V. *Vel respectivè.* VI. *Justus vel injustus.* VII. *Contractus gratuiti ex metu injusto sunt invalidi.* VIII. *Onerosi sunt validi.* IX. *Etiam jure civili.* X. *Paucis exceptis.* XI. *Sunt tamen rescindibiles.* XII. *Quid de metu levi.* XIII. *Excipiuntur fœdera publica,* XIV. *Quid si metus incussus sit á tertio.*

I. METUS est mentis trepidatio, instantis vel futuri periculi causâ.

Quomodo metus distinguitur in ordine ad contractum?

R. 1°. In metum levem & gravem: metus reverentialis potest esse levis vel gravis.

II. Metus dicitur levis, quo timetur malum leve, vel grave, sed non verisimiliter impendens.

III. Gravis est, quo timetur malum grave versimiliter impendens, sive illud malum sit grave in se & absolutè, sive sit tantùm grave, respectivè seu respectu personæ timentis.

IV. Metus dicitur absolutè gravis, quo timetur malum secundùm se et absolutè grave verisimiliter imminens, ut est v. g. mors, mutilatio, exilium, infamia, gravis jactura bonorum, &c. et idem est, sive hoc malum immineat ipsi personæ timenti, sive ejus parentibus, conjugi, aut liberis.

Hic metus dicitur cadere in virum constantem; quia talis metus solet movere virum constantem etiam ad peccandum, absque eo quod perdat denominationem viri constantis.

V. Metus dicitur respectivè gravis, quo, licet non moveretur vir constans, moveretur tamen meticulosus, puer, femina, senex, &c.

2°. Metus alius oritur ex causa naturali, ut à morbo, incendio, tempestate: alius à causa libera, putà ab homine.

VI. Metus ab homine incussus dividitur in eum, qui est juste incussus, & in eum, qui est injuste incussus: item in eum, qui incussus est ad extorquendum consensum, & in eum, qui non est incussus ad extorquendum consensum.

Deinde metus vel incutitur ab illo, quocum initur contractus, vel ab aliquo tertio, quocum non initur contractus.

Quid requiritur, ut metus sit juste incussus?

R. 1°. Jus in incutiente; 2°. justa causa; et 3°. ut nil plus committatur, quàm jus permittit.

Quid facit metus circa contractum?

R. Seponimus hìc contractum matrimonii & sponsalium, de quibus suo loco.

1°. Contractus initus ex metu proveniente à causa naturali, est validus; quia contrahenti est simpliciter voluntarius, neque ei fit ulla injuria.

2°. Propter eandem rationem contractus etiam validus est, qui initur ex metu à causa libera juste incusso.

3°. Contractus initus ex metu gravi à causa libera injuste incusso, sed non in ordine ad extorquendum consensum, etiam validus est, saltem si non ineatur cum ipso metum incutiente: v. g. si invasus à sicariis, in auxilium tuum appelles transeuntes, et eis promittas 100, promisso teneris.

Si autem contractus ineatur cum ipso incutiente metum, vel metus gravis sit injuste incussus in ordine ad extorquendum consensum dicendum:

VII. 1°. Contractus, cujus objectum est sola liberatio à vexatione, seu injusto metu, est jure naturæ invalidus: idque verum est, sive metus sit gravis, sive levis, sive

incussus sit ad extorquendum consensum, sive non, modò in hoc posteriori casu contractus ineatur cum incutiente metum.

Ratio est, quod iste vexans teneatur ex justitia cessare ab illo injusto metu: adeoque non possit illam cessationem vendere, sive aliquid recipere ut cesset: et ita deest materia, de qua possit valide contrahi.

VIII. 2°. Contractus utrimque onerosi, in quibus præter liberationem à metu datur res pro re aut pro pretio, jure naturæ sunt validi, licet initi sint ex gravi metu injuste incusso ad extorquendum consensum: sic valet venditio equi facta justo pretio, licet metu mortis coactus fueris ad vendendum.

Ratio est, hìc haberi legitimum titulum & justam materiam, de qua contrahitur: præterea habetur sufficiens consensus, cum illa, quæ fiunt ex metu, sint simpliciter voluntaria.

Obj. I. Hujusmodi consensus non est liber: ergo non sufficit ad contractum. Probatur antecedens: est ex metu injusto.

R. Dist. prob. Est ex metu injusto, tanquam ex causa moraliter movente ad consensum; conc. ass. Est ex metu injusto tanquam ex causa efficiente consensum, nego assumptum: Est enim voluntas libera, quæ in casu efficit consensum: Verum quidem est, quod incutiens talem metum lædat jus contrahentis & libertatem accidentalem contractûs, ita ut ex justitia teneatur amovere metum & reparare damna alteri parti ex injusto metu oborta: sed non lædit libertatem contractûs essentialem.

Obj. II. Leg. 50. digest. tit. 17. regula 116. juris habet: "Nihil consensui tam contrarium est......quam "vis & metus," ergo, &c.

R. Regula ista non agit de consensu sufficiente ad naturam contractûs, sed de consensûs spontaneitate ac plena libertate: quam, quia excludit vis & metus, idcirco consensus revocabilis est, dum contractus est rescindibilis.

An contractus isti utrimque onerosi ex metu gravi, &c. de quibus ultimò dictum est, sunt etiam validi jure civili?

IX. R. Affirmativè: Probatur ex leg. 4. inst. tit. 13. § 1. ubi dicitur: "Si metu coactus......stipulanti Titio "promisisti, palam est, jure civili te obligatum esse.

Item lib. 4. digest. tit. 2. lege 21. dicitur: "Si metu "coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quia "quamvis, si liberum fuisset, noluissem, tamen coactus

"volui; sed per prætorem restituendus sum, ut absti-
"nendi mihi potestas tribuatur."

Sic etiam multi similes contractus dicuntur in jure rescindibiles, & de quibusdam præcipit jus, ut infirmentur: ergo isti contractus de se validi sunt; quod enim invalidum est, rescindi aut infirmari non debet.

X. Quidam tamen ex illis contractibus juxta communem Theologorum & Jurisperitorum sententiam jure positivo irriti sunt.

1°. Authoritas tutoris per metum extorta; l. 26. digest. tit. 28. lege 1.

2°. Jurisdictio per metum extorta; hoc tamen Lessius & alii negant.

3°. Dotis promissio aut solutio; lib. 4. digest. tit. 3. lege 21.

4°. Traditio aut promissio rerum Ecclesiæ; extra lib. 2. tit. 24. cap. 2.

5°. Professio Religiosa; extra lib. 1. tit. 10. cap. 1.

6°. Matrimonium & forte Sponsalia, de quibus suo loco.

7°. Absolutio à censuris Ecclesiasticis.

Priores sex casus expressit Glossa in cap. Abbas, "de "iis quæ vi:" his versibus:

"Tutor, judicium, dos, Sacrum, copula, votum:
"Hæc sex vi facta, de jure scias fore nulla,
"Cætera jus patitur, sed postea restituuntur."

An contractus jam dicti, validi de jure naturæ & positivo, sunt etiam firmi?

XI. R. Negativè; sed sunt rescindibiles ad nudam metum passi, si metus sit gravis & det causam contractui, & sit injustè incussus in ordine ad extorquendum consensum.

Probatur ex textu juris ante citato, ubi dicitur: "Per "prætorem restituendus sum," variisque aliis legibus: ratio harum legum est, injuriam læsæ libertatis exigere, ut res ponatur in pristino statu, ne alioquin injuria in suo effectu continuetur, & ne lædens ex sua nequitia commodum reportet.

Quod si metus non sit incussus in ordine ad extorquendum consensum, Bonacina aliique putant, tunc contractus illos non esse rescindibiles: alii tamen cum De Lugo sentiunt esse rescindibiles & videtur colligi ex lib. 4. digest. tit. 1. lege 4. ubi dicitur deprehensum in flagitio,

qui jure non poterat occidi, si quid promiserat propter metum, posse per hoc edictum juvari.

XII. Quantùm ad metum levem injustè incussum, qui dat causam contractui, multi Authores volunt, idem esse dicendum, sicut de metu gravi: in foro tamen externo ex metu levi non datur actio sive ad rescindendum, sive ad excipiendum, nam ut habet regula 13.. "Juris" lib. 50. digest. tit. 17. "Vani timoris justa excusatio non est." Hoc ita in jure statutum est, ne lites & fraudulentæ exceptiones nimiùm multiplicarentur, et quia non præsumitur, metum levem dedisse causam contractui: si autem in particulari casu metus levis causam contractui dederit, præsumptio debet cedere veritati, maximè in foro interno, aiunt Theologi.

XIII. Excipe hinc fœdera publica, quæ ex causa metûs gravis & injustè incussi non redduntur rescindibilia, sed jure gentium firma habentur, ut ita aliquis habeatur bellorum finis. Interim qui bello injusto aliquid extorsit, debet illud restituere: quia non obstante isto fœdere, manet in se injustum.

An antedicta conclusio, quâ contractus ex metu gravi, &c. rescindi potest, vera est, dum contractus initus est cum aliquo tertio ignorante metum incussum; v. g. cogis Petrum, ut emat agrum à Joanne ignorante tuam coactionem?

XIV. R. Affirmativè: dicitur enim lib. 4. digest. tit. 2. lege 14. § 3. "In hac actione non quæritur utrùm is, "qui convenitur, an alius, metum fecit, sufficit enim hoc "docere metum sibi illatum vel vim:" unde in casu, Petrus potest contractum rescindere cum Joanne, & Joannes tenetur rescissionem admittere: deinde cogens tenetur de damnis, tam quæ Joanni, quam quæ Petro inde oriuntur, quia est illorum causa injusta.

Ratio asserti est, quod metu coactus ob illam injuriam retineat jus ad rem ipsam, ita ut ad quosvis transeat, maneat hoc vitio affecta. Colligitur ex eadem lege §. 5.

Nec obest, jus positivum non concedere restitutionem, dum contractus initus est ex dolo circa qualitatem accidentalem causato ab aliquo tertio, ut dictum est circa finem Num. 7. hoc enim ideo est, quod dolus ille non lædat voluntarium perfectum circa substantiam contractûs, prout facit metus. Præterea dolus & error per diligentiam & circumspectionem faciliùs caveri possunt, quàm metus.

N. 9. DE JURAMENTO CIRCA CONTRACTUM,

I. *Juramentum,* II. *Regulariter servandum,* III. *Contractus validos confirmat,* IV. *Invalidos aliquando,* V. *Sed datur restitutio in integrum.* VI. *Differentia obligationis.* VII. *Quid, si juramentum sit coactum.*

I. NOTA 1°. hic non agi de juramento nudè assertorio, quale est, v. g. "juro me hoc tibi vendere :" nam hoc juramentum non magis contractum roborat aut irrevocabilem facit, quam si adjectum non esset; sed agitur de juramento promissorio, quo jurat se contractum servaturum, nunquam revocaturum, &c.

II. 2°. Juramentum sive firmet contractum, sive non, est validum & servandum, quandocumque servari potest sine peccato & sine damno alterius, nisi jus irritum reddat, non solùm contractum, sed etiam juramentum; sicut Conc. Trid. Sess. 25. "de Regularibus" cap. 16, irritam facit omnem renuntiationem novitii, etiam juratam, nisi facta sit prout ibidem præscribitur; item matrimonium ex metu gravi, &c. contractum, etiam juratum, Capit. SIGNIFICAVIT; extra "de eo qui duxit," lib. 4. tit. 7.

3°. Juramentum in ordine ad contractum, potest esse accessorium, vel per se stans. Juramentum validum se solo tantùm inducit obligationem virtutis religionis: unde ex valido juramento super contractu manente invalido, non oritur nisi obligatio religionis: proinde alter in conscientia, rem ex tali contractu, nec accipere poterit nec retinere.

Quid facit juramentum adjectum contractui valido?

III. R. Eundem confirmat vestiendo, & nascitur duplex obligatio, scilicet una religionis ex juramento, & altera justitiæ ex contractu, quæ transit ad hæredes, nec tollitur, etsi juramentum relaxaretur.

Quid facit juramentum adjectum contractui invalido?

IV. R. 1°. Contractus jure naturæ irritus & illicitus non firmatur juramento, ipsumque etiam irritum est; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis.

2°. Contractus jure naturæ irritus, sed non illicitus, juramento quidem non firmatur, sed ipsum, si sit validum, & per se stans, servandum est; alter tamen rem contractûs nec recipere nec retinere potest, ut supra dictum est.

3°. Si contractus sit rescindibilis propter injuriam aut turpitudinem commissam ab eo, cui jurabatur vel qui juramentum acceptabat, addito juramento, manet contractus

adhuc rescindibilis; v. g. si contractus sit extortus vi, metu injusto, vel dolo; sed tamen juramentum erit sæpe validum, adeoque servandum: hujusmodi tamen juramenta ita firma non sunt, quin facilè dispensationem admittant.

4°. Si contractus sit irritus aut rescindibilis ex jure positivo primario et principaliter propter bonum commune, talis contractus juramento non firmatur, nec ipsum juramentum validum est; quia tam illud, quam contractus est contra bonos mores, adeoque sunt illicita: sic nulla obligatio oritur ex contractu matrimoniali jurato, si inter contrahentes sit impedimentum dirimens, etiam juris tantum Ecclesiastici.

5°. Contractus, qui inducunt obligationem naturalem, sed qui jure positivo irriti sunt quoad obligationem civilem in bonum contrahentis, accedente ejus juramento firmantur; sic confirmantur contractus pupillorum, minorennium, &c. de quibus Num. 4. Item omnia pacta nuda, de quibus Num. 2. aliaque, quibus jus non assistit nec resistit.

V. Notandum interim quoad pupillos et minores aliosque similes, illis in Belgio & aliis plerisque locis concedi beneficium restitutionis in integrum etiam adversus contractus juratos, obtentâ relaxatione juramenti ab Episcopo: quia sæpe præsumitur tales personas vi aut fraude ad jurandum inductas fuisse. Vide De Cocq "De contrahen-"tibus" sectione 5.

6°. Si contractus sit irritus solo jure positivo ob bonum privatum et utilitatem contrahentis, sic ut ex eo non nascatur obligatio naturalis, (quales contractus vide. Num. 4.) tunc controvertitur, utrum accedente juramento contractus confirmetur, seu validus fiat, ita ut inducat obligationem justitiæ.

R. Herincx aliique negant; quia juramentum neque est neque facit contractum, nec inducit vinculum justitiæ, sed tantùm Religionis: admittunt tamen juramentum valere, & conventiones ex Religione servandas esse.

Alii è contra sustinent, hos contractus sic firmari, ut etiam inducant obligationem justitiæ; quia jurans se contractum non revocaturum, cedit ipso facto favori sibi per leges concesso: positâ autem hâc cessione, perinde est, ac si non esset amplius jus talem contractum irritum reddens.

Hæc posterior sententia, ait Billuart, non solum communior, sed & conformior videtur praxi omnium tribunalium, etiam civilium, in quibus communiter dicitur juramentum supplere defectum ætatis, & ex tali contractu conceditur actio.

Quid interest, an contractus valeant ex justitia, an ex Religione tantum?

VI. R. Multum interest: nam si obliget ex Religione tantum, relaxato juramento, ad nihil tenetur.

2°. Obligatio talis contractûs non transit ad hæredes.

3°. Qui juraverat, potest repetere quod solvit, & alter tenetur reddere: contrarium his tribus contingit, ubi habetur obligatio justitiæ.

Quid, si juramentum sit coactum?

R. Juramentum obligat, si sine peccato & præjudicio tertii servari potest: metus interim injustus facit, ut dispensatio facile concedatur. Vide Num. 153. "de Religione."

VII. Quid, si ulterius fuerit coactus jurare, se non petiturum juramenti relaxationem?

R. Illud juramentum videtur invalidum; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: quamvis enim possit esse licitum non petere dispensationem, obligatio tamen ad illam non petendam nocet bono communi, ex eo quod latrones tunc sine remedio extorquerent & nocerent.

N. 10. DE FORMA SUBSTANTIALI SEU SOLEMNITATE CONTRACTUS.

I. *Solemnitas contractûs.* II. *Alia accidentalis.* III. *Alia essentialis.* IV. *Undenam dignoscantur.*

QUID est forma substantialis contractûs?

I. R. Sunt quidam ritus seu solemnitates, quæ secundum leges in quibusdam contractibus adhiberi debent, ut certus numerus & qualitas testium.

Quomodo dividuntur istæ solemnitates?

II. R. In essentiales & accidentales. Accidentales sunt, quæ quidem requiruntur, ut contractus licitè ineatur, sed non ut validè, ut v. g. "Banna" respectu matrimonii: unde generatim sine istis contractus est simpliciter validus.

III. Essentiales sunt, quæ ad contractûs valorem requiruntur ex juris positivi dispositione: jus autem id facit, vel reddendo contrahentes inhabiles ad sic contrahendum, utì v. g. inhabiles sunt ad contrahendum matrimonium consanguinei et affines in tertio et quarto gradu; vel præscribendo formam, sine qua contractus validus esse non possit, utì Tridentinum præscripsit præsentiam Parochi et testium pro matrimonio.

Undenam dignoscitur, aliquam solemnitatem esse essentialem?

IV. R. Præsertim ex his tribus: 1°. Ex tenore legis; ut si lex dicat contractum aliter celebratum esse ipso facto nullum, irritum, nullius valoris, et similia. Item ex fine legis respiciente bonum commune et bonos mores.

2°. Ex praxi et stylo curiæ, in qua contractus forum sortitur: si hæc constanter illum contractum sine ista forma habeat tanquam invalidum.

3°. Ex communi Doctorum et interpretum sententia.

Ex opposito colliges, quandonam solemnitas aliqua censeri solùm debeat accidentalis.

Deinde observa, jus positivum quandoque solùm prohibère contractum absque eo, quòd ullo modo eum irritum reddat, ut matrimonium tempore clauso; quandoque relictâ obligatione naturali solùm denegare actionem in foro externo, ut in pactis nudis; quandoque ipsum contractum irritum reddere, v. g. testamentum non scriptum.

An contractus, cui deest forma substantialis à jure præscripta omnino invalidus est, sic ut nequidem obliget naturaliter seu in foro conscientiæ?

R. Certum est, varios contractus ex hoc capite omnino invalidos esse, sic ut nullam post se relinquant obligationem: sic irritum est matrimonium cum impedimento dirimente contractum, professio religiosa ante annum 16. completum, &c.

An dentur contractus, qui, licèt civiliter irriti sint, obligent tamen naturaliter, disputatur: aliquid jam de iis dictum est Num. 4. et adhuc dicetur, ubi "de testamentis "minùs solemnibus."

N. 11. DE EFFECTIBUS CONTRACTUUM.

I. *Effectus contractuum.* II. *Præcipui sunt actio,* III. *Et obligatio,* IV. *Quæ dividitur,* V. *In naturalem tantùm,* VI. *Civilem tantúm,* VII. *Et mixtum.*

QUINAM sunt effectus contractuum?

I. R. Principales sunt, obligatio et actio. In quibusdam effectus est translatio dominii; alii dant solùm usum; in aliis sunt adhuc effectus quidam speciales, ut in sponsalibus impedimentum publicæ honestatis, &c.

Quid est actio?

II. R. Est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.

Quomoda dividitur actio?

R. Principalis divisio est in actionem realem et personalem.

Realis est, quâ quis jus habet in judicio persequendi rem suam adversùs quemcumque, qui eam possidet et restituere potest: hæc actio etiam vocatur "vindicatio," à vindicando seu asserendo sibi dominium aut jus, quod habet in rem.

Personalis est, quâ quis jus habet in judicio agendi contra debitorem. Dicitur etiam "conditio," à condicendo diem alicui ut compareat in judicio, gallicè "ajourner:" in hac actione non supponitur actor habere jus in re à debitore possessa sicut in actione reali.

Nota, has duas actiones sæpe esse simul in eodem: sic Dominus rei furtivæ habet adversùs furem utramque actionem, et vocatur "actio mixta."

Quid est obligatio?

III. R. Ut dictum est Num. 1. est vinculum juris, quo quis alteri obstringitur ad aliquid faciendum aut omittendum.

Quomodo dividitur obligatio?

IV. R. In naturalem tantùm, civilem tantùm, et in naturalem et civilem simul, quæ dicitur "obligatio mixta."

V. Naturalis tantum est obligatio in conscientia ex natura rei orta, quæ non parit actionem in foro externo; hæc essentialis est contractui valido, adeo ut omnis contractus validus pariat obligationem saltem naturalem.

VI. Civilis tantum est illa, quæ dat in foro externo actionem, ob aliquam præsumptionem falsam: sed non obligat in conscientia: et hæc est accidentalis contractui.

VII. Mixta est, quæ obligat in conscientia ex natura rei, et insuper parit actionem in foro externo. Hæc oritur ex plerisque contractibus.

An contractus rescindibilis, seu, ut aiunt, irritandus, efficit aliquam obligationem?

R. Affirmativè, nempe quamdiu rescissus non est, parit obligationem naturalem, respectu unius absolutam, si alter contractum teneat firmum; et respectu alterius conditionatam, scilicet adimplendi conditiones contractûs, si non legitimè rescindatur: sic qui causavit metum aut dolum, plerumque stare tenetur contractui absolutè, si passus metum velit; et metum passus tantùm tenetur conditionatè, nempe si contractum rescindere nolit.

N. 12. DE OBLIGATIONE CONTRACTUS NON PURI ET CONDITIONATI.

I. *Obligatio contractûs non puri.* II. *Ad diem.* III. *Ad demonstrationem.* IV. *Sub modo.* V. *Ad causam.*

I. NUMERO 2. descripti sunt plures contractus non puri, quorum obligatio, cum non sit æquè clara ac contractûs puri, de ea hìc specialiter inquiritur:

Quomodo & quando obligat contractus ad diem?

R. Statim parit certam obligationem; sed debitor non tenetur satisfacere ante præfixum diem: v. g. promitto tibi 30. ad diem Paschæ.

II. Contractus "ad diem" incertum seu tempus incertum resolvitur in conditionatum: v. g. promitto dare 30. cùm navis ex Indiis advenerit, hoc est, si navis advenerit.

III. Contractus "ad demonstrationem" vitiatur et invalidus est, si in demonstratione sit error circa personam, substantiam, aut circa ipsum contractum, vel si demonstratio addita sit velut conditio strictè suspensiva: alioquin error circa quædam accidentalia in demonstratione non vitiat contractum: hinc invalidus est hic contractus: "lego " tibi pecuniam, quam Joannes mihi debet," si Joannes nullam mihi debeat: è contra validus est, si dicam: "do tibi equum, quem emi Parisiis," licèt alibi emerim.

IV. Contractus "sub modo" seu "modalis" obligat statim tanquam contractus absolutus, obligatque ad modum honestum & possibilem.

Quid, si modus ille non servetur, an acceptum sub tali modo retineri potest?

R. Distinguendo: si modus adjectus sit tanquam causa finalis seu à qua suspenditur consensus, contractus non est validus, casu quo modus non servetur, & acceptum reddi debet: talis sæpe judicatur esse modus appositus contractui utrimque oneroso, item qui cedit in utilitatem dantis: v. g. das pinguem eleëmosynam alicui, modò pro te recitet rosarium, audiat Sacrum, &c.

Si vero modus apponatur contractui tantum secundario, & tanquam onus accipientis, ac in ejus utilitatem, censetur modus non esse causa finalis contractus: unde donatio tenet, licèt modus ille non impleatur: ita valet donatio novi anni, modo bene studeat, etsi modus ille non impleatur; quia in casu primarium erat "donare:" nec etiam

modus ille adjici solet ut strictæ obligationis, sed potius instar monitionis, de fine à dante intento.

Notandum, quod licet modus non sit causa finalis contractus, ac adeo contractus valeat illo non servato, si tamen adjiciatur ut stricte obligatorius, tunc acceptans, si modum non servet, teneatur restituere, quantum interest modum non servari, atque ad eum servandum à judice compelli possit: casus est, si quis relinquat legatum, modo legatarius celebret certum numerum Missarum.

Quandonam autem modus sit causa finalis, quandonam non, item quando adjiciatur ut strictè obligatorius & quandonam non, maximè ex intentione aliisque circumstantiis discerni debet.

V. Contractus "ad causam" seu "causalis" nullus est, casu quo causa finalis non subsistat; si sola desit causa impulsiva, contractus valet, quia est tantum error circa accidens, nec inde supponitur suspendisse consensum: sic valida est donatio eleëmosynæ pauperi fictè pio; sed invalida est, si fiat ficto pauperi.

An causa potest esse tantùm impulsiva, si talis sit, ut sine ea non promisisses aut donasses?

R. Affirmativè; quia cum eo consistit, te interim absolutè promisisse aut donasse: sic generatim validæ sunt promissiones & donationes liberè & absolutè factæ ideo principaliter, ut alterius animum & gratiam lucrareris, licet reipsa ejus benevolentiam non obtinueris.

Si dubium sit, an causa fuerit finalis an impulsiva, tunc quando disponens intendebat favere isti in cujus gratiam disposuit, præsumitur causa solum fuisse impulsiva.

N. 13. DE MODO OBLIGANDI CONTRACTUS CONDITIONATI.

I. *Conditiones variæ.* II. *De præterito, præsenti & futuro.* III. *Necessaria,* IV. *Contingens,* V. *Et impossibilis.* VI. *Modalis,* VII. *Et suspensiva.* VIII. *Honesta & turpis.* IX. *Conditio de præterito aut præsenti.* X. *De futuro necessario.* XI. *Non suspendit contractum.* XII. *Impossibilis reddit jure naturæ irritum.* XIII. *Idem est de turpi.* XIV. *In matrimonio & testamentis.* XV. *Habentur pro non adjectis.* XVI. *Honesta de futuro contingente.* XVII. *Ordinariè suspendit contractum.* XVIII. *Usque ad conditionis eventum.* XIX. *Quem tenentur contrahentes expectare.* XX. *Casus.*

QUOTUPLICES sunt conditiones, quæ adjiciuntur contractibus?

I. R. 1°. Dantur conditiones de præterito, de præsenti & de futuro.

2°. Alia est necessaria, alia contingens, alia impossibilis.

3°. Alia est modalis, alia suspensiva seu resolutiva.

4°. Conditio alia est honesta, alia turpis, alia indifferens. Tandem alia dicitur repugnare substantiæ contractûs, alia non, de quibus specialiter in Tract. "de Matrimonio."

II. Conditio de præterito est v. g. hæc: "contraho tecum, si non commisisti tale crimen." De præsenti hæc: "si jam sis hæres tuæ amitæ." De futuro hæc: "si pater meus consensum daturus sit." Hæc ultima propriè est suspensiva.

III. Conditio dicetur necessaria, cujus eventus est infallibilis, v. g. "si Deus existat," quæ est necessarià ab intrinseco; vel "si Anti-Christus venturus sit," quæ est necessaria ab extrinseco.

IV. Conditio dicitur contingens, quæ est de re, quæ potest fieri & non fieri, v. g. do tibi 20, si cras pluat.

V. Dicitur impossibilis, quæ est de re, quæ fieri non potest, ut si dicam: do tibi 100, si volaveris.

VI. Conditio dicitur modalis, quâ injicitur onus aliquod contrahenti, sed non suspenditur consensus, sive valor contractûs. Vide numerum præcedentem.

VII. Suspensiva est, qua suspenditur valor absolutus contractus usque ad eventum conditionis adjectæ, & tunc resolvitur contractus in absolutum, validum aut invalidum: atque hinc hæc conditio resolutiva vocatur.

Undenam dignosces, conditionem esse modalem an suspensivam?

R. Aliquando ex ipsa expressione conditionis, aliquando ex natura & circumstantiis contractus, & maximè ex mente contrahentium aliquo modo manifestata.

Si inquisitis omnibus dubium perseveret, præsumitur conditio esse suspensiva.

VIII. Conditio honesta est, quæ aliquod bonum continet, & nullum bonum impedit. Turpis est, quæ vel continet peccatum, vel impedit aliquod bonum, vel in jure tanquam talis reputatur.

Quid efficiunt conditiones appositæ contractibus?

IX. R. 1°. Contractus initus sub conditione de præterito vel præsenti nullo modo suspenditur, sed si conditio subsistat, est statim validus; si non subsistat, invalidus.

2°. Contractus initus sub conditione de futuro necessario cognito ut tali, etiam non suspenditur, sed censetur purus, nisi quod hæc conditio quandoque efficiat, ut contractus sit velut "ad diem certum," de quo Num. superiori: v. g. vendo tibi equum, si die Paschæ sol oriatur.

X. Ratio est, quod conditio necessaria futura æquivaleat conditioni præsenti propter certitudinem eventus.

Dictum est "cognito ut tali;" quia si contrahens bonâ fide putaret, eam conditionem esse contingentem, contractus maneret suspensus usque ad conditionis positionem, cum talis tunc sit intentio contrahentis.

XII. 3°. Contractus initus sub conditione impossibili, jure naturæ est invalidus; quia qui vult suspendere consensum à conditione, quæ impleri non potest, non censetur velle contrahere sed nugari.

XIII. Eodem modo contractus initus sub conditione turpi de futuro, nullam jure naturæ obligationem inducit, antequam conditio ponatur; quia conditio turpis, cum sit illicita, censetur moraliter impossibilis & talis in jure vocatur.

XIV. Dictum est utroque casu "jure naturæ" contractum non valere, quia jure positivo in matrimonio, item in testamentis, legatis aliisque ultimis voluntatibus, conditiones impossibiles & turpes, quæ non repugnant substantiæ contractûs, habentur pro non adjectis, nec contractum irritum reddunt: ita statuit pro matrimonio Greg. IX. lib. 4. decret. tit. 5. cap. ultimo: pro testamentis autem habetur lib. 35. dig. tit. 1. lege 3. item inst. lib. 2. tit. 14. § 10.

Qua ratione contractus isti jure naturæ irriti possunt jure positivo esse validi?

XV. R. Quantùm ad testamenta, cum testamenti factio sit versimiliter juris positivi, vel saltem respublica ex justa causa de bonis subditorum disponere possit, satis patet, quomodo ex dispositione juris positivi acquiri possit dominium rerum testamento juræ naturæ invalido relictarum.

Quantùm ad matrimonium, videtur Pontifex præsumpsisse à contrahentibus similes conditiones tantùm adjici ut modales; vel si adjecerint ut suspensivas, eas non adjectas seriò, nec inde suspensum fuisse consensum. Cæterum si necessariò suum consensum à simili conditione suspendissent, matrimonium in foro conscientiæ foret invalidum; quia Pontifex hic consensum supplere nequit.

Dictum est supra: "antequam conditio" (turpis) "ponatur;" quia alia est quæstio, an posito opere turpi, alter obligetur ex justitia dare rem promissam, quam quæstionem vide N. 55. "de Jure & Justitia."

XVI. 4°. Contractus sub conditione de futuro contingenti & honesta, ordinariè suspenditur usque ad conditionis eventum: ratio est, quod per talem conditionem suspendatur consensus, adeo ut contrahentes nolint se obligare, nisi illa conditione posita.

XVII. Dictum est "ordinariè;" quia si contrahentes vellent (quod rarum est) ex nunc valere contractum, modò conditio posita adimpleatur, contractus ex nunc valeret, si conditio postmodùm ponatur; tunc enim non valor contractus, sed tantùm valoris notitia penderet à conditionis eventu: v. g. si quis diceret: ex nunc vendo tibi equum, si pater meus, cum redierit, consentiat.

An consensus, adimpletâ conditione, debet renovari?

XVIII. R. Negativè, sed contractus, posita conditione, statim fit absolutus sine novo consensu: ratio est, quod contrahentes voluerunt contractum tunc valere. Deinde alioquin contractus conditionatus, non esset contractus, sed tantum promissio contrahendi, quod nullus admittit.

An idem dicendum sit de matrimonio, vide suo loco.

An contractus jam dictus nil efficit in præsenti?

XIX. R. Efficit in primis hoc, quod uterque contrahentium obligetur expectare conditionis eventum, item quod neuter possit eventum fraudulenter impedire, nec etiam resilire ante conditionis eventum: ratio est, quia ex tali contractu oritur jus conditionatum respectu utriusque.

Quid censendum de hoc casu : Petro legata sunt 400, si ducat Mariam in uxorem, & ipsa ei matrimonium recuset ?

XX. R. Legatum debetur Petro : dicit enim regula 66. juris in 6. " cum non stet per ipsum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset."

Idem resolvitur lib. 45. digest. lege 85. § 7. si alter contrahentium malitiosè impediverit conditionis eventum. Ex natura rei videtur teneri secundùm verisimilitudinem conditionis ponendæ, si eam malitiosè non impedivisset ; ac indubiè tenetur amovere omnem fraudem, & rem restituere in pristino statu, si possit, & tunc conditionis eventum acceptare.

Quid, si de eadem re eodem modo contraxeris cum Joanne sub conditione, postea cum Petro sub alia conditione, & conditio cum Petro sit prior purificata : an res Petro tradenda est ?

R. Negativè : nam ex eo, quod prior impleatur conditio cum Petro, non ideo cessat contractus cum Joanne ; imò posterior contractus cum Petro invalidus est, inquantùm repugnat contractui cum Joanne inito.

DE CONTRACTIBUS

IN SPECIE.

N. 14. DE PROMISSIONE.

I. *Promissio* II. *Est liberalis,* III. *Deliberata & spontanea.* IV. *Fidei obligatio.* V. *Acceptata.* VI. *De re licita & possibili.*

QUID est promissio ?

I. R. Est liberalis, deliberata ac spontanea fidei obligatio acceptata, de re licita & possibili.

II. Dicitur " liberalis ;" quia promissio est contractus gratuitus, non onerosus.

III. Dicitur " deliberata ;" non quòd debeat esse prudens & matura, sed quòd debeat esse ex plena deliberatione & directè voluntaria, prout requiritur ad valorem voti.

Additur " spontanea ;" quia debet excludi omnis extorsio facta metu etiam levi, errore, dolo, vi aut fraude, quæ omnia sunt contra naturam contractûs gratuiti.

Si autem metus ex quo oritur promissio fuerit juste incussus, valebit promissio, non in ratione contractûs gratuiti, sed onerosi; similiter si metus incussus non fuerit ad extorquendam promissionem, rata erit promissio, (nisi fiat ipsi metum injustum incutienti, juxta N. 8.) sic valent vota in periculis Deo facta; quia tunc metus non est causa promissionis.

IV. Dicitur in definitione "fidei obligatio," per quod distinguitur promissio à donatione, quæ est "rei donatio:" item à simplici proposito, quod non imponit obligationem.

Notandum, vulgariter sæpe dici "promissionem," quæ à parte rei non est nisi "pollicitatio" seu promissio incompleta, quia non acceptata: vel nisi simplex propositum, etiam tunc, quando utuntur verbo promittere, spondere, &c.

Hinc rectè monet Steyaert; "non ex verbis solis, sed "ex circumstantiis sumendum an sit promissio: non enim "quodlibet "promitto" vel "dabo" mox inducit hoc vin- "culum: civilitas, jactantia, affectus ostendendi firmum "propositum, fortiorve assertio, &c. sæpe promuntur po- "tiùs quàm detur fides. Sæpius adhuc fides aliqua datur, "sed facile occurrentibus aliis rationibus revocabilis. Pro "rigida obligatione inter homines communiter expressius "aliquid requiritur in promissione."

V. Dicitur "acceptata;" quia alioquin non est plurium in idem placitum consensus, adeoque nec contractus. Deinde non potest in altero oriri aliquod jus ad obligationem prioris, nisi alter hoc voluerit, vel obligatio oriatur ex natura rei; jam autem obligationes contractuum non profluunt ex natura rei, sed quasi ex privata & voluntaria lege, quam sibi faciunt contrahentes: ergo acceptatio jure naturæ videtur necessaria.

Acceptatio fieri potest etiam inter absentes, v. g. per litteras, nec requiritur ut fiat expressis verbis dicendo, v. g. "accepto;" sed satis est, promissarium, v. g. nutu talia signa edere, ut ex illis testes, si adessent, possent probare cum promissione acceptasse.

Porro acceptatio validè etiam fieri potest ab aliquo tertio, qui specialem vel generalem commissionem habet à promissario: item in sequentibus casibus: 1°. Validè acceptat pro alio, qui est sub ejusdem potestate, v. g. filius pro patre, & servus strictè dictus pro domino, non famulus pro Hero: 2°. Qui alterius curam gerit, ut pater pro filio, tutor pro pupillo; 3°. Qui ex promissione absenti

facta reportat aliquod commodum vel onere aliquo liberatur, v. g. uxor pro marito, creditor pro debitore, socius pro socio, &c. 4°. Quilibet valide acceptat pro loco pio, Ecclesia, civitate, mensa pauperum & similibus. Ut tamen acceptatio illa sit valida, debet intentio promittentis ad acceptantem dirigi.

An est sufficiens acceptatio, si promissio fiat præsenti & tacenti?

R. Affirmativè: quia in gratiosis secundum regulam 43. juris in 6. "qui tacet consentire videtur."

An hæredes possunt acceptare promissionem viventi factam, sed ab eo non acceptatam?

R. Negativè, quia promissio non est ad eam directa.

Collige ex dictis, promissionem ante acceptationem esse ad nutum promittentis revocabilem, nisi jura aliter disposuerint, ut statuerunt de promissione facta infanti, item civitati ad restaurandas ejus ruinas.

VI. Finaliter in definitione additur: " de re licita & "possibili," quia ad illicitum vel impossibile nemo tenetur."

N. 15. DE OBLIGATIONE PROMISSIONIS.

I. *Promissio strictè dicta* II. *Obligat ex justitia.* III. *Idque in re gravi sub gravi.* IV. *Quandonam cesset promissio.* V. *An pereat res promissa.*

QUALIS & quanta est obligatio promissionis?

I. R. Utrumque controvertitur. Varii cum Cajetano sustinent promissionem solum obligare ex virtute fidelitatis seu veracitatis, idque tantum sub peccato veniali, excepto casu, quo promissarius notabile damnum inde incurreret, adeo ut juxta hos Authores, non adimplens promissionem, videatur solum mendacium committere.

II. Verum alii sustinent tanquam certum, veram & completam promissionem inducere in promissore obligationem justitiæ ad promissionem implendam, saltem quantum est de se, & consequenter, ubi res promissa est gravis, etiam esse gravem obligationem.

Hoc tamen advertit De Cocq cum aliis, requiri paulò majorem quantitatem ad materiam gravem in promissionibus, quàm in furto aut aliis contractibus onerosis, eò quòd promissarius minùs invitus censeatur, si res gratis promissa non præstetur.

III. Probatur posterior sententia: promissio onerosa confert promissario verum jus ad rem promissam: ergo etiam promissio liberalis; quia promittens liberaliter æque consentit & confert acceptanti jus ad rem, quam promittens

onerose, si sit promissio stricte dicta, de qua sola hic agitur. Hinc etiam in foro externo parit actionem exigendi rem tanquam ex promissione debitam.

Obj. Promissio definitur "obligatio fidei," &c.: ergo obligat tantùm ex fidelitate, non ex justitia.

R. Negando conseq. ratio est, quod fidelitas sit generalis aliqua virtus, quæ inest quidem omni contractui, sed non sola, obligatque secundùm illam virtutem, cui conjungitur, sive sit religionis, ut in voto, sive justitiæ, ut in promissione, aliisque contractibus. Sic Deus dicitur "fidelis," dum reddit "coronam Justitiæ 2." ad Timoth. cap. 4.

Cæterùm admittit Daelman aliique communiter, sententiam Cajetani, licet in se nimis generalem, practicè tamen sæpe veram esse, eo quod promittens tantùm censeatur proponere, vel sese tantum velle obligare sub levi, ut Num. superiori ex Steyaertio dictum est.

Si autem promissor addat promissioni juramentum, si promittat stipulando, si coram Notario & testibus, aut sub signatura Chirographi, vel dicat: obligo me quantum possum, similesve circumstantiæ concurrant, erit obligatio justitiæ secundum se gravis, quæ etiam transit ad hæredes promissoris, sicut ab aliâ parte jus acquisitum promissario etiam transit ad ejus hæredes.

Quomodo cessat obligatio promissionis?

IV. R. 1°. Absolutè cessat promissio per liberam promissarii remissionem: 2°. Si res promissa fiat impossibilis, damnosa, illicita aut inutilis. 3°. Si sit promissio mutua, & alter fidem non servet; frangenti enim fidem, fides servari non debet juxta regulam 75. Juris in 6. 4°. Potest promissor revocare promissionem ob insignem ingratudinem promissarii, vel ob immortales inimicitias. 5°. Generatim potest revocari promissio, dum supervenit talis mutatio statûs aut rerum, ut promissor non censeatur se voluisse obligare in tali eventu: sic v. g. desinit promissio facta pauperi, si ipse promittens in paupertatem incidat. Ratio est quod promissio non obligat ultra intentionem promittentis: deinde lex in simili casu cessat per epykiam: ergo à fortiori promissio, quæ solum est adinstar legis privatæ.

Id etiam verum est, etsi promissio foret jurata; quia juramentum censetur adhiberi sub iisdem exceptionibus, sub quibus facta est promissio.

Quomodo promissio cesset, si fuerit "Ad causam, ad "demonstrationem, &c." colligi potest ex Num. 12.

An obligatio promissionis tunc semper cessat, quando supervenit talis mutatio, quam si prævidisset promissor, noluisset promittere?

R. Negativè: si nimirum illam facilè prævidere potuerit, aut non sit mutatio notabilis respectivè ad promissionis negotium: hos enim casus non censetur promissor tacitè excepisse.

Nec obest, quod si prævidisset, promittere noluisset; quia cum eo consistit, eum equidem de facto promisisse; non enim à voluntate, quæ fuisset, sed à voluntate, quæ de facto fuit, pendet obligatio, alioquin vix ulla subsisteret promissio.

An, pereunte re promissâ, liber est promissor?

V. R. Si res determinata fuerit promissa, regulariter liber est promissor; quia ad hanc rem intentionem suam restrinxit: si tamen periisset ejus culpâ latâ vel dolo, vel fuerit in mora culpabili, adhuc tenebitur promissor. Idem est, si ex ejus dolo aut mora culpabili res fuerit facta impossibilis, illicita, inutilis, &c.

N. 16. DE DONATIONE.

I. *Donatio* II. *Dividitur in liberalem & antidoralem,* III. *Puram et non puram,* IV. *Verbalem et realem.* V. *In donationem inter vivos,* VI. *Et mortis causâ.*

QUID est donatio?

R. Est liberalis alicujus rei datio.

Dicitur "liberalis;" quia donatio strictè sumpta excludit ex parte donantis prævium debitum justitiæ, etsi fortè interveniat quoddam debitum gratitudinis, pietatis, &c. tunc tamen non poterit dici "pure liberalis."

Vera est donatio, quæ fit ad complendam promissionem: quia illa in suo fonte est liberalis, scilicet in promissione gratuita.

Dicitur "datio;" quia omnis datio naturâ suâ est translativa dominii, nisi quod per leges generatim requiratur, ut translatio dominii non fiat, nisi traditio rei accedat: et hinc donatio ante traditionem parit solum jus ad rem.

Sub donatione comprehenditur liberalis remissio debiti.

Observa, donationem, utì promissionem, debere esse spontaneam et acceptatam.

Quomodo dividitur donatio?

II. R. 1°. Dividitur in pure liberalem et in antidoralem seu remuneratoriam: hæc supponit aliquod debitum gratitudinis, pietatis, &c. et ideo dici nequit pure liberalis, ut initio hujus Numeri dictum est.

III. 2°. Alia donatio est pura seu absoluta, alia non pura, de quibus Num. 12.

IV. 3°. Dividitur in donationem verbalem seu incompletam, quam non comitatur rei traditio; et in realem seu completam, quâ res de facto traditur.

4°. Donatio famosè dividitur in donationem inter vivos et in donationem mortis causâ.

Quid est donatio inter vivos?

V. R. Illa, quâ quis sic donat, ut velit rem, se vivente, esse absolutè et irrevocabiliter alterius. Hæc est donatio ante definita, ac de ea hìc agitur.

Donatio mortis causa est illa, qua quis sic donat, ut non velit rem esse absolutè et irrevocabiliter alterius, nisi post suam mortem, ut contingit in testamentis, legatis, &c. de quibus postea.

Quomodo differt donatio à promissione?

R. In eo, quod promissio completa tantùm conferat jus ad rem, donatio autem completa jus in re; 2°. Quod donatio etiam incompleta conferat aliquod jus strictius quam promissio, sitque magis firma ac irrevocabilis.

N. 17. QUINAM VALIDE DONARE POSSINT.

I. *Quinam valeant donare.* II. *Quid vir uxori & contra.* III. *Quid pater filio.* IV. *Quid minor curatori.* V. *Quid novitius.* VI. *Invalidè dantur omnia bona præsentia & futura.* VII. *Item summa excedens* 500 *solid.* VIII. *Edictum an.* 1753. IX. *Edictum an.* 1771. X. *Donatio revocabilis ob ingratitudinem donatarii.* XI. *Ob natam prolem.* XII. *Et si fuerit inofficiosa.*

I. RESP. Omnes illi, qui habent dominium rei donandæ et liberam ejus administrationem: verùm usus ac consuetudo inspici debet. Quid donare possint uxores, filiifamilias et similes, colligitur ex Num. 10. "de Jure et "Justitia."

II. De donationibus inter maritum et uxorem sic habet lex 1. digest. lib. 24. tit. 1. "Moribus apud nos receptum "est ne inter virum et uxorem donationes valeant: hoc "autem receptum ne mutuato amore invicem spoliarentur, "donationibus non temperantes, sed profusa erga se libe-"ralitate."

Hæc lex in variis Belgii locis quoad plura usu servari solet, nisi quod juxta multos Authores ratæ sinantur donationes quædam minoris momenti inter eosdem; item donationes juramento firmatæ: item si mors donantis intercedat, vel si donatio facta sit ad remunerandam aliquam qualitatem in altero conjuge, v. g. quod sit nobilis, multum industrius, &c. Videri potest Stockmans decisione 60.

III. Similiter per legem 11. Codicis leg. 8. tit. 54 statutum est, ne pater valeat aliquid donare filio non emancipato, sed bene si emancipatus sit. Ratio est, quia filius non emancipatus fictione juris est una cum patre persona, et quidquid acquirit, regulariter acquirit patri.

Interim tales donationes iterum valebunt, si fiant filio non emancipato intuitu belli v. g. vel studii; quia bona statim fiunt castrensia; aut ratione fidelitatis vel obsequii; quia donatio est remunerationis: item si pater addat donationi juramentum.

IV. Pariter circa minores statuit Carolus V. edicto de 4. Octobris 1540. art. 8. ut donationes ab ipsis factæ curatoribus, eorumve liberis aut concubinis, sive sint donationes inter vivos, sive mortis causa, sint irritæ, quamdiu nimirum curatela durat, nec rationes sunt redditæ. Excipe si tutor sit pater, mater, avus, avia, frater aut soror. Moderatæ liberalitates erga tutores permittuntur. Vide Anselmo ad edictum perpetuum.

V. Quantum ad novitios, statuit Concil. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 16.; "Nulla novitii renuntiatio vel "obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favo- "rem cujuscumque piæ causæ valeat, nisi cum licentia "Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos "ante professionem." Idque ideo, ne fortè novitius bonis suis destitutus minus libere vel invitus profiteretur. Potest tamen valide conficere testamentum, quia per illud non destituitur bonis suis, ac illud revocat, dum placet.

VI. Plerique Authores docent, irritam esse donationem inter vivos, qua quis alicui donat omnia sua bona tam futura, quam præsentia; quia sic privatur potestate testandi, quod in jure turpe æstimatur. Aliud esset, si donatio illa facta sit causa mortis, quia hoc casu adhuc potest instituere hæredem, qui detrahere posset "falcidiam," de qua postea.

Quidam existimant, prædictam donationem valere, si sit juramento firmata, vel facta sit ad pias causas; quod tamen negat Bugnion lib. 2. cap. 6. "de Legibus abrogatis."

VII. Jure communi etiam invalida est donatio excedens summam 500 solidorum, nisi fiat cum insinuatione, seu notificatione apud Magistratum seu judicem domicilii donatoris, & inscriptione in registro.

Quantùm ad valorem solidi, existimat Stockman decisione 110, eum valere binos ducatus aureos hongaricos, quorum 72. ejusdem generis libram auri conficiunt, conformitor, ut putat, legi QUOTIESCUMQUE lib. 5. codicis "de susceptoribus."

VIII. Statutum autem est edicto die 15. Septembris anni 1753. Bruxellis emanato art. 17. "Volumus, ut "donationes & legata in pecunia parata, item mobilium aut "pro talibus habitorum, facta manui mortuæ aut alicui "personæ, quæ est membrum communitatis religiosæ, "etiamsi relicta essent ad certa onera vel in forma funda- "tionis, sint subjecta solemnitatibus ordinariis requisitis "pro validitate actorum inter vivos, vel ultimæ voluntatis "respectivè. Insuper ordinamus, ut, quando una dispo- "sitio vel plures simul factæ ab eadem persona excedunt "valorem 500 florenorum semel, vel 25 florenorum annuè, "debeat talis dispositio insinuari & inregistrari coram "judice loci domicilii istius, qui eadem reliquit, idque "tempore vitæ suæ sub pœna nullitatis absolutæ...& quan- "tùm ad dispositiones specierum designatarum hoc articulo "quæ solæ vel simul junctæ excedunt summam 1000 flore- "norum semel, aut 50 florenorum annuè, necesse erit "petere litteras nostræ authoritatis (vulgò "Octroi") "sub pœna nullitatis absolutæ."

IX. Donationes & legata, quæ præcedenti articulo adhuc permittebantur, prohibita fuerunt respectu domuum & personarum religiosarum edicto de 13 Maii anni 1771. art. 3. exceptis solis pensionibus vitalitiis in favorem alicujus personæ religiosæ creatis, quæ tamen juxta art. 11. ejusdem edicti summam 50 florenorum excedere non possunt.

Donatio excedens valorem 300 florenorum perfici debet Scripturâ, ut dictum est in fine N. 1.

An donatio quandoque potest revocari?

X. R. Omnis donatio, etiam inter vivos, revocari potest præcipue ob tres causas: 1°. Ob ingratitudinem donatarii juxta legem 10. codicis lib. 8. tit. 56. Casus sunt 1°. si donatarius donatorem atrocibus injuriis affecerit: 2°. si manus impias in eum injecerit: 3°. si vitæ ejus insidiatus fuerit: 4°. si grave damnum bonis ejus intulerit; 5°. si conditiones donationis non adimpleverit: 6°. si donatorem

inopiâ pressum non adjuverit. Quod ultimum bene notandum pro simplicioribus, qui sæpe ante tempus se exuunt donando omnia prolibus, aut aliis, à quibus tum negliguntur.

XI. 2°. Donatio revocari potest, si donatori insperatò nascatur proles; ita lex 8. loco statim citato, dicens: "Si "unquam libertis patronus filios non habens, bona omnia "vel partem aliquam facultatum, fuerit donatione largitus, "& postea susceperit liberos; totum, quidquid largitus "fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione "mansurum."

XII. 3°. Generaliter revocatur omnis donatio inofficiosa, hoc est, quæ facta est contra debitum pietatis officium, præcipue parentum erga filios v. g. si parens tam multùm donaverit, ut proles non habeant portionem legitimam, de qua, ubi "de Testamentis." Ita decernitur lege 1. tit. 29. lib. 3. codicis: & quidem si donatio inofficiosa sit facta extraneis, revocatur in totum: si verò facta sit aliis prolibus, tantùm revocatur quoad portionem legitimam.

Juramentum additum donationi inofficiosæ non obligat; quia ipsa donatio est peccaminosa.

N. 18. DE ULTIMIS VOLUNTATIBUS SEU TESTAMENTIS.

I. *Testamentum.* II. *Legatum.* III. *Codicillus.* IV. *Fideicommissum.* V. *Donatio mortis causâ.*

DONATIO mortis causâ descripta N. 16. sub se comprehendit testamentum, legatum, codicillum, fidei commissum & simplicem donationem mortis causâ.

Quid est testamentum?

I. R. Definitur lib. 28. digest. tit. 1. lege 1. "Voluntatis "nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem "suam fieri vult."

Dicitur "justa sententia," id est, solemniter & conformiter ad leges facta, ut excludantur omnes dispositiones minus solemnes, privatæ, &c.

Dicitur "de eo, quod quis post mortem suam fieri vult," ad significandum, testamentum tantum post mortem vires accipere, unde Apostolus ad Hebr. cap. 9. ait: "Mors "necesse est intercedat testatoris.

Quid est legatum?

Quid est legatum?

II. R. Definitur: "ultimæ voluntatis dispositio, quâ testator aliquid donat alicui non hæredi." Sæpe etiam sumitur pro re illa aut pecunia, quæ legato relicta est.

Quid est codicillus?

III. R. Codicillus est quasi parvus codex testamenti, et definitur: "quædam ultimæ voluntatis dispositio, quâ sine hæredis institutione testator aliquid fieri vult post mortem suam."

Fit communiter ad aliquid supplendum, minuendum, vel mutandum in testamento.

Quid est fidei commissum?

III. R. Est ultimæ voluntatis dispositio, quâ in hæredem vel legatarium transfertur dominium rei vinculatum, hoc est, cum obligatione rem illam vel ejus partem transferendi in aliquem tertium, qui fideicommissarius nuncupatur.

V. Dictum est initio Numeri, "donationem mortis causâ" generatim sumptam, sub se comprehendere quatuor species jam descriptas, et simplicem donationem mortis causâ: hæc autem regulariter constituitur inter præsentes mutuo consensu propter cogitationem mortis: unde quoad suum initium est adinstar contractûs, quoad effectum verò habet speciem ultimæ voluntatis, ut patet ex definitione data Num. 16.

N. 19. OBSERVATIONES CIRCA PRÆCEDENTIA.

I. *Mores Belgii differunt à jure communi.* II. *Differentia testamenti & fideicommissi.* III. *Substitutio.* IV. *Observanda circa legata.* V. *Circa donationem mortis causâ.* VI. *Falcidia.* VII. *Trebellianica.* VIII. *Legitima.*

I. ANTE omnia observandum, leges & mores Belgii, præsertim in materia testamentaria, plurimùm differre à jure communi: unde quæ Lessius, Wiggers, aliique in hac materia secundum jus commune tradunt, longè aberrant à veris regulis, quas secundum leges et mores nostros in testamentis observare oportet.

Ita olim Jure Romano pro testamento requirebantur septem testes omni exceptione majores, item institutio hæredis: pro codicillo autem quinque testes, inter quos etiam admittebantur mulieres, &c. Verum hodie in Belgio illa abrogata sunt, & consuetudine nunc factum est, ut codicillus & testamentum plane sint idem, habeantque

easdem omnino solemnitates, nec requiratur hæredis institutio, sed omnia bona relinqui possint per legata aut fideicommissa: ita si quis faciat codicillum instituto hærede, valebit ut testamentum: si conficiat testamentum nullo hærede instituto, valebit tanquam codicillus, ait Stockmans decisione 2.

II. Quomodo differt fidei commissum a testamento?

R. In eo, quòd in fideicommisso datur dominium vinculatum, adeo ut hæres aut legatarius bona fideicommissi post mortem suam relinquere debeat personæ in fideicommisso determinatæ; unde non potest eadem bona alienare, nec gravare, nec in hypothecam tradere: & si gravaverit, potest successor gravamina illa in conscientia rejicere.

Fideicommissum quandoque extenditur ad plures generationes, quod ex tenore verborum, quibus confectum est, colligi debet. Ex quibus causis cessare possit fideicommissum, requiri debet a jurisperitis.

III. Quid est substitutio?

R. Est additio secundi hæredis facta ab ipso testatore in testamento, casu quo prior hæres hæreditatem non velit, vel non possit acceptare: unde substitutio toto cœlo differt a fideicommisso; quia per substitutionem nullum onus injicitur hæredi, nec hæreditas vinculatur ut fit in fideicommisso. Vide plura apud Daelman et alios.

IV. Quid observandum circa legata?

R. 1°. Legatum non transit ad hæredes legatarii, casu quo ille ante legatorem moriatur.

2°. Adversùs legata potest hæres uti falcidiâ; sed eâ uti non potest legatarius.

3°. Legatum gaudet jure accrescendi, ita ut si duobus conjunctim legetur, uno moriente, pars ejus accrescat alteri.

4°. Legata non debentur, nisi deducto ære alieno.

5°. Ea quæ necdum sunt, sed futura sunt, legari non possunt, ut fructus ex agro proventuri; digest. 32. tit. 1. lege 17.

6°. Si res aliqua nominatim legata sit, v.g. hic equus, & non inveniatur in hæreditate, nec dolo hæredis deesse probetur, peti non potest ex testamento; secùs si res in genere legata fuerit leg. 31. digest. tit. 1. lege 32. § 5.

7°. Res aliena legari potest, ita ut hæres teneatur eam emere et tradere legatario, vel si id non possit, debeat legatario dare illius rei æstimationem, lib. 6 codicis tit. 37. lege 10.

V. Quid notandum circa donationem mortis causâ?

R. 1°. Revocari potest, prout quævis ultima voluntas.

2°. Implicitè censetur revocata, si ob periculum mortis sit facta, & illud jam cessaverit: item si donatarius ante donationem moriatur.

3°. Si donator adjiciat juramentum, vel promittát se non revocaturum, transit donatio illa in donationem inter vivos, ait De Cocq.

Faber, Anselmo, aliique putant, donationem causa mortis non subjacere solemnitatibus testamentariis: verum id videtur contra mentem edicti perpetui, quod non sola testamenta, sed quascumque ultimas voluntates istis solemnitatibus adstringit: atqui donatio causâ mortis est quædam species ultimæ voluntatis; ergo, &c. Ita in tribunalibus passim judicari testatur Wynants.

Ultimò notandum, ne conventio inter vivos, v. g. contractus ante-nuptialis, confundatur cum donatione mortis causâ: potest enim quis ex nunc donare aut promittere rem suam post mortem tantùm tradendam, sic ut ex nunc oriatur obligatio: quo casu non erit donatio mortis causâ, etsi res tantùm post mortem tradenda sit; sed erit donatio inter vivos: quia donatio mortis causâ nullam parit obligationem ante mortem.

Igitur non omnis mentio mortis in donatione, aut dilatio præstandi rem ad mortem usque, facit donationem esse mortis causâ; sed tunc solum, quando mors primaria seu finalis donandi causa est, ait Stockmans decisione 45. num. 2.

VI. Quid est falcidia?

R. Est lex lata a Falcidio tribuno plebis lib. 2. inst. tit. 22, quâ hæres aut hæredes simul possunt accipere ex hæreditate quartam partem liberam, antequam obligentur solvere legata relicta.

Falcidiæ usum in Belgio obtinere, testatur Stockmans decisione 38. & Authores passim.

VII. Falcidiæ similis est portio Trebellianica, ita dicta, quia Senatûs-Consulto Trebelliano statuitur, ut, si hæres ita sit gravatus fideicommissis, ut ei quarta pars hæreditatis non maneat salva, possit hæres tunc ille accipere quartam partem liberam, & reliqua bona tradere fideicommissariis.

Usum Trebellianicæ etiam obtinere in Belgio, adstruit Author cit. decis. 39. ubi etiam ostendit, undenam proveniat rarior ejusdum usus.

Eodem loco docet, Trebellianicam amitti, si hæres neglexerit inventarium: atque idem videtur dicendum de falcidia.

Falcidiam non obtinere adversùs legata in pias causas facta, existimat De Cocq.

VIII. Quid est legitima?

R. Per legitimam intelligitur triens seu tertia pars portionis debitæ ab intestato, si non sint plures, quam quatuor proles: si autem sint plures, quam quatuor proles, tunc legitima constituit medietatem portionis debitæ, quæ in jure dicitur "Semis."

In hoc liberorum numero computandus est is, qui hæreditati renuntiavit: non tamen is, qui legitimè est exhæredatus.

N. 20. DE SOLEMNITATIBUS TESTAMENTORUM.

I. *Scriptum,* II. *Clausum,* III. *Et apertum.* IV. *In Belgio observandæ consuetudines homologatæ.* V. *Iis deficientibus standum edicto perpetuo.* VI. *Notarius.* VII. *Cujus loco veniunt Pastor & Vice-Pastor.* VIII. *Subscriptio.* IX. *Ordo necessariò servandus.* X. *Prælectio.* XI. *An liceat scribere abbreviando.* XII. *Casus.* XIII. *Alter.* XIV. *Quomodo facienda mutatio circa testamentum.* XV. *Quid de nuda scedula ei adjecta.*

I. PRÆNOTANDA est divisio testamentorum in scriptum & nuncupativum: scriptum subdividitur in apertum & clausum.

Nuncupativum est quod fit vivâ voce inter testes sinè scriptura saltem authentica. Hujusmodi testamenta nullo modo in hac patria admitti, asserit Wynants decisione 175.

II. Clausum est, quo testator scripto de rebus suis disponit, sic ut non indicet Notario & testibus, quomodo disposuerit, sed solùm declarat hoc scripto ultimam suam voluntatem contineri, qua declaratione positâ, testator, testes & Notarius extrinsecus, seu in dorso, subscribunt ac subsignant.

III. Apertum dicitur, dum coram Notario aut aliâ persona debitè qualificata & testibus testator ultimam suam voluntatem apertè & distinctè declarat; debetque prælegi testibus, ac subsignationes fieri debent interiùs; ut in sequentibus magis declarabitur.

Quænam solemnitates observandæ sunt pro valida confectione testamenti?

R. Id deducitur ex edicto perpetuo Alberti & Isabellæ emanato anno 1611. in quod edictum commentarium cum pluribus interpretationibus eorumdem Principum edidit sæpe cit. Anselmo: in hoc autem edicto statuitur,

IV. 1°. Art. 11. si dentur consuetudines loci homologatæ, hoc est, decreto Principis comprobatæ, observanda est tes-

tamentorum forma ab hujusmodi consuetudine præscripta.

Quòd si hujusmodi consuetudines varient in loco domicilii testatoris, & in loco, ubi res sita est; tum juxta art. 13. citati edicti videri poterunt sequendæ consuetudines loci, ubi res sita est: verùm hodie, ait Stockmans decisione 9, sine hæsitatione judicamus, sufficere solemnitates, quæ obtinent in loco confectionis, ut ubique et quoad omnia bona vim habeat testamentum. Ita valet testamentum a Brabanto factum Leodii secundum leges Leodienses, ubi testator non debet subscribere, idque etiam de bonis sitis in Brabantia.

Si tamèn, inquit idem Author, quædam requirantur ad valorem testamenti non tanquam solemnitates extrinsecæ, sed veluti solemnitates substantialem testamenti dispositionem intrinsece informantes, ut si consuetudo loci requirat certam ætatem ad testandum, tum sequendæ forent solemnitates istæ, quæ vigent in loco sitûs bonorum.

Ita Mechliniæ in testamentis, quibus unus conjugum alterum instituit hæredem, præsentes esse debent duo Scabini urbis; quæ solemnitas ita necessaria est, ut si quis instituat conjugem hæredem, & condat testamentum communi ritu eo in loco, ubi hæc solemnitas non requiritur, v. g. Bruxellis, dictum testamentum non sit habiturum effectum in bonis ditionis Mechliniensis.

Similiter si consuetudo, ubi testatoris bona sita sunt, prohibeat eà alienare, testator de iis disponere non poterit existens in loco, ubi similis consuetudo non viget: ita v. g. Flander existens in Brabantia non plus quam de tertia parte bonorum hæreditariorum in Flandria sitorum disponere validè poterit.

Consuetudines Principis decreto non comprobatæ, cedere debent edicto perpetuo.

V. 2°. Ubi non sunt tales consuetudines, standum est solemnitatibus præscriptis in eodem edicto, juxta quod requiritur:

1°. Ut in conficiendo testamento adsint ad minus duo testes omni exceptione majores, hoc est, masculi, non infames et puberes, qui nempe impleverunt annum 14. ætatis. Monachus potest esse testis etiam sine sui Superioris licentia, ut habet Stockmans decisione 5.

Deinde testes non possunt ex testamento aliquam utilitatem reportare: ex quo consequens est, hæredem universalem non posse adhiberi tanquam testem necessarium, nec etiam executorem universalem, qui est loco hæredum:

aliud est de executore particulari, qui est nudus minister. Vide Stockmans decis. 7. Si legatarius sit testis necessarius, testamentum quidem valet, sed ipse legato suo excidit; quia detracto ejus testimonio, non superest legitima probatio pro isto legato: atque ita judicatum refert idem Author decisione 6.

Denique cavendum, ne in testes assumantur filii aut domestici hæredum, aut alii, qui ratione consanguinitatis aut statûs utilitati hæredum studere solent; quia licet in rigore testes esse possint, in jure tamen hac super re difficultates exoriri possunt.

Hinc pro securitate etiam in testes admitti non debent Amanuenses aut domestici Notariorum, nec exteri loci, ut observat Anselmo citatus §. 9. & 10; debent etiam noscere & videre testatorem tempore testationis.

VI. 2°. Requiritur, ut adsit Notarius, qui testamentum scribat, aut saltem scriptum subsignet.

Nota, non posse Notarium excipere testamentum nisi in ea Provincia, in qua admissus est. Quòd si aliquis se gerat pro Notario, ac pro tali publice habeatur, qui tamen nunquam fuit creatus vel admissus, acta ejus judicabuntur invalida; quia non habet titulum coloratum. Vide Anselmo juxta edictum Caroli V. die 4. Octob. anni 1540. Debet Notarius noscere testatorem, vel, si ipse non noverit, debent testes eum ipsi notificare, atque de eo in testamento expressa mentio fieri debet; alioquin judicabitur invalidum. Juxta edictum autem Caroli V. anni 1553. possunt Pastor et Vice Pastor Notarii officio fungi, & in ea qualitate testamentum scribere aut scriptum subsignare.

VII. Sub Pastore vel Vice-Pastore comprehenditur deservitor perpetuus, item verosimillimè ille, qui mortuo Pastore constituitur; non verò quivis Confessarius aut Pastor alterius Parochiæ.

Pastor & Vice-Pastor non solum in necessitate, sed etiam præsente & invito Notario testamentum scribere possunt: monet tamen Manuale Mechliniense, ne citra necessitatem se huic negotio facilè ingerant, tum ne in materia hac delicata errores committant, tum ut suspiciones & odia evitent.

Notandum, juxta art. 12. edicti perpetui, Tabelliones seu Notarios Pastores & Vice-Pastores nihil sibi, suisque consanguineis usque ad quartum gradum inclusivè juxta jus civile computandum, adscribere posse in testamentis, quibus suam authoritatem interponunt.

"Attamen juxta Anselmo §. 46. non prohibentur adscribere ecclesiæ, vel etiam sibi in favorem ecclesiæ, modò res apud Ecclesiam vel piam causam perpetuò sit mansura, licèt usus aut usufructus Pastoris sit: ut si quis relinquat certam summam pro anniversario annuè celebrando in sua Parochia. Caveri interim debet omnis avaritiæ suspicio.

Quòd si contrà fiat, testamentum propterea non erit invalidum; sed sic relictum Notario vel Curato aut eorum consanguineis non debebitur, ut de legatario teste dictum est.

Notandum etiam, Pastorem vel Vice-Pastorem, qui testamentum conscripsit, Protocollum seu minutam nullatenus à se abdicare posse, ut monet Manuale Mechliniensè.

Curandum etiam, ut secundum Principum nostrorum edicta testamentum debito sigillo muniatur.

VIII. 3°. Requiritur, ut testator ipse suo testamento subscribat, prout etiam subscribere debent testes; quòd si aliquis eorum scribere non noverit vel præ infirmitate non possit, debet ille per signum aut notulam, v. g. crucem, subsignare; debetque in calce testamenti sub pœna nullitatis expressa fieri mentio, quòd interrogati, an scribere possent, responderint se scribere non posse. Quòd si illi nequidem notulam apponere potuerint, illud etiam in testamento exprimi debebit.

IX. Ordo autem in subsignatione necessariò servandus est hic, ut 1°. subsignet Testator, 2°. Testes, 3°. Notarius, vel Pastor, aut Vice-Pastor

X. Antequam testamentum subsignetur, debet illud (si apertum sit) clarà & distincta voce prælegere Notarius aut Pastor vel Vice-Pastor, quamvis non sub pœna nullitatis, ut declaratum refert Anselmo §. 18.

Formam conscribendi testamenta & codicilli suppeditat Manuale Pastorum hujus diœcesis.

An valet testamentum scriptum notis, cyfris aut abbreviationibus?

XI. R. Juxta Anselmo §. 26. debet testamentum sub periculo nullitatis scribi integris dictionibus litteralibus sine abbreviaturis, notis, vel characteribus tam in summis, quam in aliis: unde v. g. mille non possunt exprimi cyfris 1000, sed dictione litterali: (flandricè "duyzènd," gallicè "mille,"): dici tamen Wynants decisione 171. ubi abbreviatio non potest afficere ipsam dispositionem eam diminuendo, augendo aut immutando, sed solum applicabilis est ad clausulas consuetas, solitasque adjici de stylo Notariorum tum testamentum inde non subjici vitio nullitatis.

XII. Testator calcem testamenti nomine et cognomine subscripserat, et postea illud "clausum" in manibus Notarii tradidit dicendo, contentam esse ultimam suam voluntatem, ac testes et post ipsos Notarius subscripserunt, testator verò non: quæsitum fuit, utrùm testamentum subsisteret?

Respondit Conc. privatum 10 Februarii anno 1613. et 16 Martii anno 1623. non subsistere, sed in testamento clauso necessarium esse, ut primò testator, dein testes & post eos Notarius exteriùs, seu in dorso subscribant.

XIII. Testator testamentum ipse scripserat: deinde non in aversa, sed interiori paginâ non prælectum signari fecit à Notario et testibus hâc formâ: "declaro, quod in "hac charta scripsi, meum esse testamentum, cui nunc "coram vobis subscribo."

R. Fuit declaratum validum in Junio anno 1653, ut refert Stockmans decisione 11; ubi etiam habet, valere testamentum scriptum in charta complicata non obsignata, ubi testatio tota peracta est in dorso ejusdem folii et munita signaturâ testoris, Testium, et Notarii, intus verò destituta solemnitatibus, sed exarata integre manu testatoris, ita ut non dubitaretur de fide scripturæ interioris, quæ tamen prælecta non fuerat testibus; quia, ut ait, subsistit testamentum relativum ad Scripturam non cohærentem et alibi depositam, modò de fide ejus Scripturæ satis constet: ergo et in casu à fortiori.

XIV. Quid faciet testator, si post testamentum factum quidpiam mutare libuerit?

R. Mutatio fieri non potest in testamento facto, sed vel fiat ex integro, vel per codicillum, adhibitis iterum solemnitatibus ad testamentum requisitis.

XV. Hinc non satis securè executioni ultimæ suæ voluntatis prospiciunt, qui circa testamentum solemniter confectum mutant aliquid per nudam scedulam adjectam, prætermissis solemnitatibus: dicitur enim aresto revisionis in Conc. Brabantiæ declaratum, non nasci obligationem ex tali scedula, quamvis etiam testator in testamento solemni declarasset, se velle habere ratum et pro dispositione ultimæ suæ voluntatis, quidquid per scedulam adjectam sub signatura propriæ manûs in eo explicaret aut mutaret.

Sustinet tamen Anselmo ad edictum perpetuum §. 8, si testator in perfecto et solemni testamento declaraverit, se velle, ut epistola, quâ Gaïo & Seïo mille reliquerat, vices codicillorum obtineret, ratam esse et firmam dispositionem factam per nudam epistolam; quia cum solemne testamen-

tum posterius sit ipsâ epistolâ, ex ipso solemni testamento constat de voluntate legantis, item de quantitate & nomine legatarii: quo casu illa epistola fit pars, portio & accessio testamenti perfecti.

N. 21. DE TESTAMENTIS QUIBUSDAM SPECIALIBUS.

I. *Testamentum peste infecti*, II. *Militis* III. *Clausum*. IV. *Apud acta*, V. *Coram principe*, VI. *Inter liberos*.

INQUIRENDA quædam restant de testamentis exceptis, uti sunt testamentum tempore pestis, militis, clausum, apud acta, coram principe, inter liberos, ad pias causas & minùs solemne.

I. An solemnitates antedictæ requiruntur in testamentis peste infectorum?

R. Negativè, sed etiam mulier potest hic esse testis: item satis est, testamentum conscribi ab illo Sacerdote, qui expressè constitutus est pro peste infectis: valet etiam testamentum reciprocum conjugum sic factum, licèt tantùm una pars sit infecta, nec requiritur in illo casu supra dicta præsentia duorum Scabinorum Mechliniæ. Vide Anselmo §. 44, 45. et sequentibus.

II. Quid de testamento militis?

R. Agitur de illo, quod facit miles existens in castris, non in præsidio, aut hibernis. Ad hujus validitatem satis est, si quovis modo, voce, vel scripto voluntatem suam declaret; modò probari possit per duos testes etiam non rogatos. Lib. 29. digest. tit. 1. lege 35.

III. Quænam observanda sunt in testamento clauso?

R. 1°. Testator ipse per se aut per alium scribit testamentum.

2°. Scriptum intus solus signat testator.

3°. Testamentum sic paratum clauditur & obseratur sigillo, filo, aut vittâ: tum testatur illud tradit Notario, declarans suam ultimam esse voluntatem quod etiam dorso inscribitur, ac tum in eodem dorso illud subsignant 1°. Testator, 2°. Testes. 3°. Notarius.

Plura de testamento clauso vide apud Stockmans decisione 13. item ea, quæ dicta sunt in casibus Num. præcedenti positis.

IV. Quid de testamento apud acta?

R. Testamentum "apud acta" dicitur, "quod fit coram duobus Scabinis, vel pluribus de Magistratu, & scribitur à graphiario, seu actuario, veluti aliæ scripturæ publicæ et actus judiciales:" nec pro illo testamento ulla alia solemnitas debet observari, quàm in reliquis scripturis et actis publicis: et licèt aliqui aliquando requisiverint signaturam Scabinorum, eam tamen non esse necessariam asserit Stockmans decisione 10.

Testamentum factum coram Principe, vel principi per libellum supplicem insenuatum, sine ullis aliis solemnitatibus validum est et firmum; quia Principis authoritas supplet abunde solemnitates juris.

Similiter testamentum factum coram Episcopo sinè ordinariis solemnitatibus valet; quia habet jurisdictionem, & est dignior sæculari, ait Anselmo §. 38.

VI. Testamentum "inter liberos" dicitur, quod fit à parentibus aut ab alterutro eorum, vel ab uno ascendentium, in favorem liberorum. Hoc non comprehenditur edicto perpetuo, ut declaratum est à Conc. privato 3. Augusti anni 1619.

Undè subsistit hoc testamentum juxta Wynants decisione 178. si parens manu propria testamentum scripserit, non notis, sed plenis litteris, ac significaverit, licet nullos testes adhibuerit. Quidam tamen volunt, à testatore exprimi debere tempus conditi testamenti, nomina filiorum, et portiones unicuique eorum assignatas.

Si autem parens manu aliena illud scribi curaverit, et tantùm subscripserit, valebit dummodo saltem duos testes adhibuerit.

Sustinent Anselmo §. 27. si in testamento inter liberos commissa sit notabilis inæqualitas, tunc hoc testamentum non censeri privilegiatum, sed consuetis et ordinariis solemnitatibus subjici.

N. 22. DE TESTAMENTIS MINUS SOLEMNIBUS.

I. *Testamentum minùs solemne,* II. *Ad causas profanas.* III. *Ad pias causas.*

I. AN testamenta solemnitatibus jure civili requisitis destituta, sunt valida?

R. Varii recentiores juris interpretes volunt, testamenti factionem esse pure juris civilis, adeo ut, si solemnitates à jure requisitæ defuerint, testamentum penitùs nullum sit, nullaque inde oriatur obligatio.

Quòd autem testamentum ex solo jure positivo vim habeat, probant ex eo, quòd ex voluntate testatoris nullum hæredi jus acquiritur: non ante mortem, cum juxta omnes voluntas testatoris sit usque ad mortem ambulatoria: non post mortem; quia ipsa morte testator jure rerum suarum exuitur, adeòque tum jus nullum in hæredem potest transferre.

Daelman hanc sententiam quoad substantiam amplectitur, sed diverso fundamento.

Multi distinguunt inter testamentum ad pias causas, et ad causas profanas.

II. Quantùm ad testamentum minùs solemne ad causas profanas, etiam Steyaert, Braunman, Collet, aliique sustinent, inde nullam oriri obligationem, contra Sylvium, Wiggers, De Cocq aliosque, qui ex illo naturalem obligationem inde oriri putant.

Billuart laboriosè tentat inire viam mediam, dicendo, tale testamentum esse validum, inquantum hæres institutus potest hæreditatem acceptare et retinere, donec per sententiam judicis rescindatur testamentum.

Pro praxi videtur statuendum hoc modo: sedulo examinandum, utrum solemnitas, quæ deest, fit vere essentialis, vel an tantum adferat periculum nullitatis: si posterius, potest dici tale testamentum esse validum, donec per sententiam declaretur invalidum.

Si desit solemnitas vere essentialis, non videtur hæres institutus hæreditatem posse acceptare; quia verisimilius tale testamentum penitus nullum est: cum tamen sententia Sylvii aliorumque, qui ex tali testamento obligationem naturalem oriri putant, non sit omnino improbabilis, deberet hæres ab intestato ad ratam dubii partem aliquam dare hæredi instituto, legatariis, aliisque.

III. Quantum ad testamentum ad pias causas, multi censent illud esse privilegiatum, nec subjacere solemnitatibus juris civilis, sed tantum juris canonici relatis cap. Relatum "de testamentis," quod solum requirit duos testes, ut per eos voluntas testatoris probari possit.

Unde Anselmo ad art, 12. edicti perpetui §. 61. asserit: huc usque usu immemoriali et in viridi observantia obtentum & observatum est tam in foro civili, quam Ecclesiastico, ut donata ad pias causas debeant judicari juxta canones: atque ita ipsos Acatholicos judicasse refert eodem loco.

Probat etiam ibi citat. Author, testamenta ad pias causas non comprehendi edicto perpetuo; quia generalis

illa dispositio edicti non sufficit ad tollendum Privilegium piæ causæ, sed specialiter idipsum debuisset edicto comprehendi; illudque confirmat rescripto ipsorum Principum dato 28 Julii anno 1621.

Hinc testamentum minus solemne invalidum quoad profana, manet juxta hanc sententiam validum quoad pia legata; atque illud manifeste colligitur ex isto Principum rescripto. Estque hodie in Belgio admissum, fatente Stockmans decisione 40. num. 1, quòd quis mori possit pro parte testatus, et pro parte intestatus.

Interim in foro externo certè declarabuntur invalida testamenta ad pias causas, si in eis non observetur edictum anni 1753, relatum N. 17.

N. 23. DE IIS, QUI TESTARI AUT HÆREDES INSTITUI POSSUNT.

I. *Testari non possunt.* II. *Carentes usu rationis.* III. *Quid de cæco,* IV. *Prodigo,* V. *Usuariis,* VI. *Illegitimis,* VII. *Impuberibus,* VIII. *Clerisis.* IX. *Religiosis,* X. *Damnatis ad mortem.* XI. *Hæredes institui non possunt spurii.* XII. *Quid de illegitimis naturalibus.* XIII. *De piis causis.* XIV. *Quandonam liberi exhæredari possunt.*

I. QUIBUS licitum est testamentum condere?

R. Generatim omnibus illis, qui sufficientem rationis usum,& rei, de qua testantur, dispositionem liberum habent.

II. Hinc testari non potest sufficienti rationis usu destitutus, infirmus delirans, aut sanus amens: et si contingat, ut inter testandum ratio infirmi deficiat, non licet in testamento scribendo pergere.

Amens habens lucida intervalla, potest testari, quando sufficiens rationis et judicii lux in intervallo observatur.

III. An cœcus testari potest?

R. Affirmativè, et quidem solemnitatibus ordinariis, ut docet Stockmans decisione 16. ad majorem tamen cautelam prudenter adhibetur tertius testis, sicut olim Jure Romano in testamento cœci adhibebatur testis octavus.

IV. Prodigus testari non potest, nisi disponat cognatis suis aut egenis juxta prudentiæ regulas: sed in variis locis præterea requiritur consensus Magistratûs, vel curatorum ipsius prodigi.

V. Usurarius publicus testari non potest, nisi antè restituerit, vel sufficientem cautionem præstiterit de restitutione facienda.

VI. Circa illegitimos et spurios variant locorum consuetudines: in Brabantia testari non possunt, nisi habeant proles legitimas, vel rescripto Principis fuerint etiam ad id legitimati, vel saltem Principis consensum obtinuerint: sed illis succedit Princeps: ita expressè habent consuetudines Lovanienses & Antuerpienses. Consuetudines Mechl. tit. 18 art. 2. simplicibus illegitimis seu naturalibus testari permittunt coram scabinis: verum spuriis ex adulterio aut alio damnato legibus coitu procreatis leges testari inhibent, ibidem art. 1. Consuetudines Alostanæ rubricâ 21. art 5. generatim statuunt bastardum posse de bonis suis disponere per testamentum ad unam tertiam.

Quibusdam in locis, ut in Brabantia, indulto Principis opus est, ut quis testamento disponat de bonis feudalibus, ut observat Perezius. In Gallia quoque bona extraneorum, jure, ut aiunt "Albinatus," spectant ad Regem, exceptis bonis legatorum, mercatorum habentium animum ad sua revertendi, Regnicolarum, &c. Vide Pontas verbo TESTAMENTUM casu 11. & 12.

VII. Impuberes generatim testari non possunt, id est, masculi ante 14, puellæ ante 12. annum ætatis completum; sufficit tamen, ultimum diem esse inchoatum.

Puberes verò, etsi sub patria potestate existant, testari possunt in Brabantia de bonis castrensibus, & quasi castrensibus, item de bonis adventitiis sine patris consensu.

Verum de proprietate illa, quam proles obtinent jure devolutionis dissoluto per mortem parentum matrimonio, testari aut disponere nullomodo possunt, ut ait Stockmans decisione 8.

Mechliniæ requiritur plena pubertas, id est, 18 annus completus in masculo, & 16 in puella, ut citra authoritatem tutorum testari possint. Vide consuetudines Mechlinienses tit. 19. art. 24.

VIII. Clerici sæculares hodierno usu validè testantur, etiam de proventibus Ecclesiasticis: sed meminerint strictæ obligationis quam habent, expendendi superflua proventuum Ecclesiasticorum in pios usus. Vide Num. 13. "de Jure & Justitia."

IX. Religiosi solemniter professi testari non possunt, nisi sint Episcopi. De Novitii testamento vide Concilium Trid. sess. 25. "de Regularibus" cap. 16.

X. Denique quidam prohibentur testari ob delictum, ut rei criminis Læsæ Majestatis, damnati ad mortem tum civilem, tum naturalem: reo tamen morienti in custodia, sua

jura sunt salva, ait Zoësius, nisi sit crimen, quod etiam post mortem movetur, veluti crimen Læsæ Majestatis.

Quinam possunt institui hæredes?

XI. R. Generatim omnes dominii capaces, etiam infantes et amentes, nisi quidam speciali lege prohibeantur.

Generalis regula viget in Brabantia, ait Stockmans decisione 67. spurios liberos nec succedere propinquis, ne quidem patri aut matri, nec vicissim ipsis succedere parentes aut propinquos ullos, sed exclusis omnibus succedere fiscum: possunt tamen quædam ipsis donari aut legari ad moderatam alimentationem.

Quòd si fortè per rescriptum Principis sint legitimati, non aliud consequuntur, ait dictus Author decis. 68. quàm ut possint institui hæredes a parentibus; minimè verò, ut præteriti querelam instituere aut supplementum legitimæ, vel gravati fideicommisso, legitmam deducere possint.

XII. Illegitimi naturales jure communi succedunt matri ab intestato, etiam ex asse, si nullas alias proles habeat: si verò alias proles habuerit, tunc ab intestato æqualiter participabunt cum illis, nisi fortè mater illustris sit; sed patri ab intestato non succedunt: verùm hæc in Belgio non sunt universaliter recepta; consuetudines v. g. Mechl. titulo 18. art. 3. negant illegitimis jus succedendi ab intestato sive in recta, sive in transversali linea.

Per testamentum illegitimi dicti naturales, hæredes institui possunt tum ab extraneis, tum a parentibus, si hi legitimas proles non habeant: quod si legitimas habeant, tenentur singulæ relinquere ad minus unam legitimam hæreditatis.

XIII. Circa pias causas, seu manus mortuas, hæredes instituendas, videri debet edictum anni 1753. citatum N. 17. in quo habetur art. 17: "Non erit necesse inregistrare vel indultum (Octroi) petere pro dispositionibus pecuniariis, vel rerum mobilium, quæ excedunt antedictas summas (scilicet art. 17.) quando fient in favorem alimentationis pauperum in hospitalibus, in ægrotoriis, vel pro mensa pauperum erecta in Parochiis, pro scholis charitatis, pro Universitate Lovaniensi, pro instructione seu studiis infantium, vel pro ædificiis aut locis per civitates acquirendis ad utilitatem publicam."

Si bona immobilia relinquerentur in favorem pauperum, aliosve fines statim dictos, sub hac clausula, ut si pia causa ea obtinere non possit, pretium ex iis divenditis ei detur, valeret dispositio juxta Wamesium consilio 459.

An liberi exhæredari possunt?

XIV. R. Liberos exhæredari posse, in confesso est apud omnes, idque varias ob causas, quæ habentur novella 115. cap. 3 & 4, & apud De Cocq sectione 4. "de Testamentis," quæ causæ ferè reducuntur ad nefariam ingratitudinem erga parentes, v. g. si manus violentas injecerint, si machinati sint mortem parentis, si accusaverint in judicio, &c.

Item juxta edictum Caroli V. die 4 Octobris anni 1540, confirmatum a Philippo V. 29 Novembr. anni 1623. exhæredari possunt filiifamilias minores 25 annis, qui insciis aut invitis parentibus matrimonium contraxerunt.

Non comprehenduntur ea constitutione filiifamilias majores 25 annis, dummodo consilium parentum requisierint, sed neque ii, quorum matres ad secundas nuptias convolarunt.

Si parentes irrationabiliter consensum denegaverint, & superiores re cognita consensum parentum suppleverint, pœna edicti non habebit locum, ait Zypæus lib. 5. notitiæ juris Belgici.

Consultò abstinetur in testamentis a terminis "exhæ-" redo, secludo," &c. propter difficultates, lites ac acerbitates, quæ inde oriuntur, dum causa allegata non est sufficiens: sed potiùs persona simpliciter omittatur et prætereatur, nil dicendo, dum secundum justitiam et charitatem hoc fieri potest.

N. 24. DE REVOCATIONE ET EXECUTIONE TESTAMENTI.

I. *Testamentum cessat* II. *Revocatione testatoris,* III. *Licet juratum.* IV. *Aut promissione firmatum,* V. *Quomodo revocatio fiat.* VI. *Rescinditur inofficiosum.* VII. *Apertio testamenti.* VIII. *Hæres non debet acceptare hæreditatem.* IX. *Beneficium inventarii.* X. *Quomodo impetrandum.* XI. *Non ubique obtinet.* XII. *Executor testamenti.*

QUOMODO cessat testamentum?

I. R. Præcipuè duobus modis, scilicet revocatione facta a testatore & rescissione facta a judice.

II. Quantùm ad revocationem testatoris, ea est testamenti conditio, ut revocatum statim omnes vires amittat, sive sit "Privilegiatum, apud acta, coram Principe, &c." sive sit commune; quia voluntatis hominis ambulatoria est usque ad mortem.

Similiter testamentum conjugum reciprocum revocari potest: 1°. Mutuo consensu; 2°. Etiam altera parte inscia, invita vel præmortua, idque etiamsi adjecta foret promissio de non revocando, aut additum foret, mutationem sine mutuo consensu fieri non posse. Lucrum tamen aut favorem in illo ab altera parte præstitum revocans perdit in quibusdam locis.

Nota, hìc non agi de pactis antenuptialibus, quibus v. g. alterutri conjugum superstiti assignatur certa pensio, ususfructus, particulare prædium, &c. quæ pacta secundum se valida sunt & irrevocabilia.

Quid si testamentum juramento sit confirmatum?

III. R. Debet juramentum servari, dum potest sine salutis dispendio: interim si mutet aut revocet, semper validè aget, & potest hæres institutus testamento secundo, quo prius juratum revocatur, in conscientia hæreditatem acceptare & tenere; quia hæres prioris testamenti jurati non acquisivit jus ex isto testamento.

Quid, si promiserit se non revocaturum, & promissionem illam juramento firmaverit?

IV. R. Equidem validè revocabit: verùm disputatur, utrùm illa promissio sit obligatoria, & jus conferat ad hæreditatem hæredi instituto in priori testamento; adeo ut hæres posterioris testamenti teneatur restituere, quod isti juri æquivalet: quam quæstionem vide apud Daelman "de Testamentis" observatione ultimâ.

Nota interim, aliud esse, si ex nunc promittam rem meam alicui post mortem tantum tradendam, aliud, si simpliciter promittam me non revocaturum testamentum: ex priori enim promissione oritur jus ad rem meam, adeo ut, si eam consumam, tenear isti juri reddere æquivalens; estque talis promissio propriè donatio inter vivos. At si tantùm promittam, me non revocaturum testamentum, tunc alteri, quamdiu vivo, nullum jus in rem meam confero; sed solùm me censeor obligare ad rem illam testamento relinquendam, si me moriente sit adhuc integra. Vide Daelman eodem loco.

Quomodo revocatur testamentum?

V. R. Ad revocationem testamenti moribus antiquis requirebatur quædam solemnitas, sed hodie nudâ contrariâ voluntate testatoris satis declaratâ, etiam sine nova hæredis institutione testamentum revocatur: v. g. si testator dicat coram testibus, se velle mori intestatum, si laceret, si scindat testamentum, vel si hoc jubeat, si cancellationem faciat, si ruperit ligamen seu filum testamenti clausi, aut

rumpi jusserit, &c. verùm in aliquibus locis usus habet, ut revocetur coram Notario & testibus.

Quandonam testamentum a judice rescinditur?

VI. R. Jure Romano, dum aliqua proles erat præterita sine causa in testamento parentum, vel non habebat integram legitimam salvam, proles illa habebat actionem, quæ vocabatur "Querela inofficiosi testamenti," & judex causa cognita propter legitimam rescindebat testamentum. Hodiedum moribus Belgicis adhuc debetur prolibus legitima, ita ut in jure eam possint exigere et ejus supplementum petere, si integra relicta non sit, ac eatenus quasvis donationes & dispositiones parentum rescindere.

Quomodo testamentum debet aperiri?

VII. R. Olim requirebatur iterum quædam solemnitas; sed hodie, ait Stockmans decisione 13. nulla solemnitas exigitur in aperiendo testamento, quando in eo conficiendo Notarius adhibitus fuit.

Specialiter statuitur in Belgio edicto de 6 Decembris 1586. ut omnia testamenta infra 40 dies a morte testatoris communicentur hæredibus et aliis interesse habentibus, inquantum illos respective concernunt.

Quid observandum circa executionem testamenti?

VIII. R. Hæres sive ab intestato, sive ex testamento, sive necessarius sive non necessarius, potest acceptare vel repudiare hæreditatem; item potest eam acceptare pure & simpliciter, vel sub beneficio inventarii, nisi forte testator id prohibuerit.

Minimum tempus, quod hìc hæredi concedi solet ad deliberandum, an velit hæreditatem àcceptare, est spatium 100. dierum, maximum 9 mensium: medium tempus arbitrio judicis relictum est.

Quid si debita defuncti excedant vires hæreditatis?

R. Si hæres adierit hæreditatem absque beneficio inventarii, per creditores cogi potest ad omnia debita testatoris persolvenda, nec ampliùs ei liberum erit hæreditatem repudiare.

IX. Dicitur sine beneficio inventarii; quia hoc beneficium præstat, 1°. Ut hæres non teneatur plus solvere, quam ferunt vires hæreditatis; 2°. Ut possit detrahere falcidiam & trebellianicam, de quibus N°. 19. 3°. Ut possit deducere expensas funeris testatoris, & ipsius inventarii. 4°. Ut circa ordinem & præferentiam creditorum non debeat esse solicitus.

Quomodo obtinetur beneficium inventarii?

X. R. Juxta art. 30. & sequentes edicti perpetui hoc beneficium a solo Principe impetrari debet intra trimestre a morte testatoris.

2°. Debet inventarium scribi ac perfici intra 4. dies a litteris impetratis.

3°. Ante bonorum apprehensionem debet præstari cautio super mobilibus inventis.

4°. Debet infra 50 dies obtineri actio citatoria, quâ omnes creditores citentur, ut proferant actiones, &, ut vulgò aiunt, prætentiones suas, easque probent infra sex menses, si in patria; infra annum, si extra patriam degant: eo elapso, a prætentione secluduntur, et coguntur expectare reliquum, si forte quid supersit aliis expeditis.

5°. Facta proclamatione, mobilia venduntur, et eorum pretium mox inter creditores distribuitur sub cautione restituendi, si necesse fuerit.

6°. Elapso tandem anno, hæres tenetur declarare, an velit continuare inventarium: si affirmet, proceditur ad venditionem immobilium. Potest autem hæres sub justâ taxatione sibi recipere immobilia, tradendo pretium creditoribus: item potest durante anni lapsu sub cautione recipere rerum fructus.

Quid si defunctus prohibuerit, ne hæreditas adiretur sub inventario?

R. Voluntas defuncti observanda est, modo hæres non sit in gradu descendentium, ait edictum art. 15.

XI. Jure consuetudinario beneficium inventarii non obtinet Gandavi, nec in Hannonia, nec in patria Namurcensi, saltem quoad immobilia.

Beneficium hoc non conceditur, nisi hâc conditione, si non existat alius hæres, qui hæreditatem simpliciter adire velit.

XII. Circa executorem testamenti notari potest, alium esse universalem, cui facta est potestas totam voluntatem defuncti exequendi, alium esse particularem, cui solùm concessum est exequi partem v. g. quæ ad funus pertinent, vel pia legata, &c. et ita plures executores statui possunt. Quòd si executor non nominetur in testamento, executio ipsa devolvitur ad hæredes. Plura vide apud De Cocq, Daelman, aliosque.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

N. 25. DE EMPTIONE-VENDITIONE.

I. *Emptio-venditio.* II. *Ad eam tria requiruntur:* III. *Merx,* IV. *Pretium,* V. *Et consensus.* VI. *Ad transferendum dominium etiam traditio.*

QUID est emptio-venditio?

I. R. Est contractus, quo res aliqua per mutuum consensum pretio commutatur.

Contractus hic completus duos alios quasi partiales continet, scilicet ex parte unius "venditionem," quæ est "datio "mercis pro pretio, & ex parte alterius "emptionem," quæ est "datio pretii pro merce: et inde unus vocatur "venditor," alter "emptor."

Patet contractum emptionis-venditionis esse utrimque onerosum; nempe ex parte venditoris est obligatio tradendi rem venditam emptori, & ex parte emptoris, persolvendi pretium, de quo conventum est.

II. Patet etiam ad emptionem-venditionem tria requiri: 1°. mercem, 2°. pretium, 3°. consensum.

Quid intelligitur nomine mercis?

III. R. Intelligitur omne id, quod pretio mensurari & alienari potest, sive sint res corporales, ut ager, domus, grana, &c. sive incorporales, ut jura, actiones, &c.

Quid est pretium mercis?

IV. R. Est mensura valoris ipsius mercis.

Quale pretium intelligitur in definitione emptionis-venditionis?

R. Pecuniarium, illudque determinatum, & ita emptio-venditio differt à permutatione; nam permutatio est "pac-"tio mercis pro merce," adeo ut in permutatione valor unius mercis sit mensura valoris alterius mercis: in emptione-venditione autem pecunia est mensura valoris mercis.

Quomodo perficitur contractus emptionis-venditionis?

V. R. Per se loquendo sufficit solus consensus contrahentium sine traditione, scripturâ aut certâ verborum formâ ut nascatur obligatio justitiæ, neque liceat alterutri contrahentium altero invito resilire.

VI. Attamen (statuentibus ita legibus) ante traditionem mercis non transfertur illius dominium, nisi res vendita foret Civitati Ecclesiis aliisque piis causis, ut dictum est Num. 23. "de Jure et Justitia:" Imò nec dominium

transfertur ante solutionem pretii, etsi traditio mercis facta sit, nisi venditor censeatur in dominii translationem consensisse secutus fidem emptoris, ut sæpe fit, aut in fidem solutionis acceptaverit pignus vel fide-jussorem. Vide Num. 62. "de Jure et Justitia."

Sufficere tamen potest traditio ficta, ut diximus N. 23. "de Jure et Justitia."

Ex dictis collige, rem uni venditam, sed nondam traditam injuste quidem vendi alteri, sed non validè, si alteri simul fiat traditio; quia prior venditio sine traditione tribuit tantùm jus ad rem, nec abstulit venditori dominium; unde potest adhuc illud valide transferre in alterum.

Si tamen posterior emptor mala fide processerit, sciens nimirum rem illam jam alteri venditam; posset prior emptor eam sibi vindicare, ut dictum est Num. 23. "de Jure "et Justitia."

N. 26. DE PERICULO ET COMMODO REI VENDITÆ.

I. *Res vendita,* II. *Et nondum existens sub dominio emptoris,* III. *Si indeterminata, perit venditori.* IV. *Si determinata, emptori.* V. *Idem dic de melioratione et deterioratione rei et de ejus fructibus.*

CUINAM res vendita perit?

I. R. Sepositis pacto, culpa & mora, res perit emptori, si per traditionem aut aliter dominium rei in ipsum translatum sit.

II. Si vero res vendita necdum translata sit in dominium emptoris, v. g. quia nondum facta est traditio, tunc distinguendum est scilicet:

III. Vel res non est in individuo determinata, v. g. emuntur sex oves ex grege, eas non designando; & tunc res vendita perit venditori, quamdiu manet in individuo indeterminata.

Similiter perit venditori res vendita & determinata, sed nondum ponderata, numerata aut mensurata, v. g. si emeris ex aliquo vase decem pocula olei, & necdum mensurata sint; si vas pereat, ad nihil teneberis.

Idem dic de venditione conditionata; quia ante purificationem seu eventum conditionis periculum & detrimentum rei pertinet ad venditorem.

IV. Vel res absolutè vendita, etsi nondum tradita, est in individuo determinata; et tunc, saltem juxta jus commune,

res vendita perit emptori, etiam ante traditionem : ita si quis emerit hunc equum, qui fortuito moritur, perit emptori, quamvis ei nondum traditus sit.

Si alicubi juxta leges aut consuetudines loci aliud observetur, hoc statutum juris communis cessat, etiam pro foro conscientiæ.

Excipiuntur etiam in jure communi quidam casus, in quibus res vendita et determinata, ante traditionem perit venditori.

Primus est, si aliter inter partes expresse conventum sit.

Secundus, si venditor fuerit in mora rem venditam tradendi.

Tertius, si culpa venditoris res perierit aut deteriorata fuerit.

Quartus, si res ante traditionem fuerit confiscata ob delictum venditoris.

Quintus, si venditor affirmaverit, rem diutius posse conservari, et tamen corrumpatur ante traditionem ; vel etsi non affirmaverit, sciens tamen rem non duraturam, emptorem non admonuerit, cui tunc venditor obligatur, quantum ejus intererat admonitum fuisse.

Dum ex duabus rebus una disjunctivè venditur, v. g. ex duobus equis unus, non determinando uter ; si ante traditionem pereant ambo post venditionem absolute factam, emptor tenetur solvere pretium promissum : si vero alteruter dumtaxat pereat, perit venditori, qui tenetur residuum tradere emptori. lib. 18. digest. tit. 1. lege 34.

V. Sub iisdem distinctionibus resolvendum est, dum quæritur, cui res vendita deterioretur aut melioretur ante traditionem.

Pari quoque modo resolvendum videtur, cuinam res vendita fructificet : sunt tamen varii, qui volunt, dum res in individuo determinata est vendita, fructus pendentes tempore venditionis quidem esse emptoris, sed non fructus natos post venditionem, nec rei incrementum sequens : verius tamen est, etiam illa incrementa ad emptorem pertinere, ut sustinent Lessius, Sylvius, Billuart, &c.

Quando pretium non est solutum, nec pro soluto habitum, sic ut emptor sit in mora solvendi, censent Sylvius, Lessius & communiter Theologi, nihilominus fructus omnes statim à peracto venditionis contractu esse emptoris ; alioquin enim venditor ideo fructus perciperet, quia emptor est in mora solvendi, quod usuram sapit. Si quod venditor interesse ex mora emptoris patiatur, hoc reparare tenebitur emptor.

Huic ultimæ conclusioni multi Juristæ contrarii sunt: unde in Gallia, qui rem frugiferam emit creditò, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii interesse solvere, etiamsi res per accidens nullos fructus ferat, ut si domus vel non elocetur, vel non nisi pretio longè minori elocari possit.

In praxi mens contrahentium & consuetudo loci attendi debent.

An venditor posset adjicere pactum, quo utilitatem rei venditæ aut ejus emolumentum percipiat, donec solvatur pretium?

R. Distinguendo: potest adjicere pactum, quo percipiat utilitatem rei venditæ, & periculum ipsius rei maneat penes ipsum usque ad illius traditionem faciendam, dum solvetur pretium. Sed non potest post traditionem factam, donec solvatur pretium, rem vendendo creditò, exigere ejus utilitatem, sepositis titulis extrinsecis mutui; quia pro dilata solutione percipere convinceretur; nisi fortè res tantò minoris fuerit vendita, aut alio modo utilitas illa compensetur.

N. 27. DE PRETIO EMPTIONIS-VENDITIONIS.

I. *Pretium est duplex,* II. *Legitimum,* III. *Et vulgare.* IV. *Quod est triplex.* V. *Summum, medium & infimum.* VI. *Quantitas justi pretii.* VII. *Peccant qui pretium non servant.* VIII. *Item qui fraude vel dolo pluris vendant.*

QUOTUPLEX est pretium rerum?

I. R. Duplex, scilicet legitimum et vulgare.

II. Pretium legitimum seu legale dicitur, quod lege Principis aut Magistratûs statuitur.

III. Vulgare, quod communi hominum ea in re peritorum æstimatione statuitur, spectatis rerum qualitatibus, variisque circumstantiis.

Quænam est differentia inter pretium legitimum & vulgare?

R. Prima est, quòd legitimum statuatur lege, vulgare communi hominum æstimatione.

Secunda est, quòd legitimum consistat in indivisibili, vulgare habeat suam latitudinem.

Quotuplex distinguitur pretium vulgare?

IV. R. Triplex, videlicet summum, medium & infimum.

V. Summum est illud, supra quod res vendi non potest; infimum, infra quod res emi non potest; medium, quod mediat inter summum et infimum: sic v. g. si summum

pretium equi sit 100, et infimum 80, medium erit ab 80 usque ad centum.

Quali pretio emendum vel vendendum?

R. Si res non habeat pretium legitimum, servandum est vulgare.

Si res habeat pretium legitimum tam ex parte emptoris, quàm venditoris; illud servandum est, modò lex illud statuens sit rationabilis, et adhuc vigeat.

Si verò res habeat pretium legitimum, sed taxatum in gratiam emptoris tantùm, ut solet (supposito semper, legem esse rationabilem et adhuc vigere), tunc quidem pluris vendere non licet, sed tamen licet minoris emere: sic tempore caritatis annonæ, pretium taxari solet à Magistratu.

Quòd si pretium legitimum taxatum sit in gratiam venditoris tantùm; tunc emptori minoris emere non licet, sed tamen licet pluris vendere; sic v. g. Censuistæ non licet emere jus censuale sex florenorum et quinque assium infra 100 florenos, licet tamen pluris vendere.

Si res habeat pretium legitimum et vulgare, utrum servari debet?

R. Ordinariè legitimum: aliquando tamen licebit sequi vulgare, si legitimum vel contineat manifestam injustitiam, vel contrariâ consuetudine sit abrogatum, sicut consuetudo legem tollit.

Undenam cognoscitur quantitas justii pretii rerum?

VI. R. Vel ex lege, putà quoad pretium legitimum, vel ex communi hominum æstimatione quoad pretium vulgare.

Notandum autem, pro justitia pretii non debere attendi valorem et dignitatem mercis in se, seu physicam; nam sic v. g. pulex pluris valet, quàm ingens summa auri; sed considerari debet valor rei moralis, qui spectat ad usum convictumque humanum.

VII. Collige ex dictis 1°. non tantùm peccare contra justitiam & teneri ad restitutionem, qui non servat pretium legitimum, set etiam qui non servat pretium vulgare, ut si quis emat infra pretium infimum, vel vendat supra summum, nisi adsint tituli excusantes, de quibus Num. seq.

Peccat etiam contra charitatem vendens pauperi indigenti pretio summo, et emens à simili paupere pretio infimo.

VIII. 2°. Justitiam lædunt & ad restitutionem tenentur, qui fraude vel dolo aliove modo injuste inducunt emptorem ad emendum majori pretio, quàm aliàs emisset, licèt non supra pretium summum: ratio est, quòd

quivis jus habet ne dolo vel fraude inducatur ad emendum pretio rigoroso, quando posset emere inferiori. Hac in parte non facilè excusandi, qui mendaciis et forte perjuriis, extorquent summum pretium, nisi mendacia sint talia, ut ob ea merces non pluris æstimentur, qualis solet esse mendax querela venditoris de parvitate lucri, vel mendacia sint communiter nota velut omnia venditorum stratagemata.

3°. Peccant eodem modo, qui, dum rem pretio infimo vendiderunt, sciunt occultè sibi comparare pretium summum, vel emptorem decipiendo in numeratione pecuniæ, vel in pondere aut mensura.

Quinimò venditor, qui tali fraudulentiâ (quasi nempe viliori pretio venderet quàm alii) avocarat emptores ab officinis aliorum, reus videtur injustitiæ erga eosdem, et teneri de damno, quod inde isti patiuntur; quia quisque jus habet, ne dolo vel fraude impediatur a lucro sperato.

" Mos venditorum plus initio exigentium, quàm pre-" tium justum, etiam summum, neque generatim culpan-" dus, neque probandus est, inquit Steyaert:" consuetudo in aliquo foro " nota" excusare potest; sed nec illam licet excedere: et si emptor ignarus supra justum offerat, nequidem illud acceptandum."

N. 28. DE TITULIS EXCEDENDI PRETIUM.

I. *Tituli excedendi pretium.* II. *Aliqui generales.* III. *Alii speciales.* IV. *Ut lucrum cessans.* V. *Damnum emergens.* VI. *Periculum.* VII. *Auctio publica.* VIII. *Non utilitas emptoris.* IX. *Neque quòd res sit spontè oblata.* X. *Quid de rebus pretium non habentibus.*

I. AN dantur aliqui tituli, ob quos licet emere infra pretium infimum, vel vendere supra summum?

I. R. Affirmativè; aliqui autem sunt generales seu communes, alii speciales, de quibus hìc agitur.

II. " Generales" sunt, dum per quasdam supervenientes circumstantias mutatur pretium vulgare currens in pretium vulgare majus aut minus: v. g. ex multitudine vel paucitate emptorum, copia vel inopia pecuniæ, abundantia vel raritate mercium, &c.

Ex hujusmodi titulis generalibus res quidem pluris vendi aut minoris emi potest, quàm antea alioquin valebat: sic v. g. sæpe post bella & vastationes, item in fine nundinarum res quædam emuntur viliori pretio, & in numeroso militum transitu venduntur cariùs, quàm paulo

antè; sed non potest ideo res pluris vendi aut minoris emi, quàm nunc de facto valeat juxta pretium vulgare commune, quod attentis illis causis a communi æstimatione taxatum est.

Quinam sunt tituli speciales, ob quos licet pluris vendere vel minoris emere, quàm res alioquin valet pretio vulgari?

R. Sunt præcipuè quatuor:

III. Primus est lucrum cessans, sub quo comprehenditur etiam spes cujusvis utilitatis aut commodi extrinseci pretio æstimabilis, utì si merces, quas in aliud tempus servare decreveram, quo pluris valituræ sunt, nunc vendam in tuî gratiam.

IV. Sed oportet notare, lucrum cessans, ob quod pretium rei exceditur, æstimari solùm debere deductis expensis in rei conservatione faciendis, item attento periculo, cui res longiori tempore servanda subjicitur, &c.

V. Alter titulus est damnum emergens, sub quo intelligitur quodvis onus et incommodum, ac privatio cujusvis commodi pretio æstimabilia, et extrinseca contractui emptionis-venditionis; ut si nunc vendas in gratiam emptoris merces, quas postea cogeris emere cariùs: sic etiam emptor emere potest infra pretium infimum, si v. g. emens rem Mechliniæ cogatur in gratiam venditoris quærere eam Gandavi.

VI. Tertius est periculum pretio æstimabile, quod venditor vel emptor in gratiam alterius subiret.

Cæterùm hi tres tituli intelligendi sunt sub his conditionibus: 1°. Ut verè proveniant ex præsenti emptione-venditione: et hinc v. g. venditor compensare non potest expensas, quas imprudenter fecit in acquirendis mercibus. 2°. Ut non vendatur pluris, nec ematur minoris, quàm valeat æstimabilitas lucri cessantis, damni emergentis aut periculi. 3°. Ut emptio-venditio fiat ad instantiam alterius: et hinc non potest pluris vendere, qui non in gratiam emptoris, sed ad subveniendum propriis necessitatibus vendit, quamvis ex hac venditione patiatur lucrum cessans aut damnum emergens.

VII. Quartus titulus est in auctionibus publicis, de quibus infra specialiter.

An est titulus justus pluris vendendi rem, quia ipsi emptori est valdè grata, utilis aut necessaria.

VIII. R. Negativè: quia illa singularis utilitas, necessitas, &c. pertinent ad emptorem, non ad venditorem: adeoque emptor ea emere non debet. Alia ratio est, quòd

valor seu pretium rerum venalium æstimari debet ex utilitate ac necessitate communi, non ex necessitate aut utilitate alicujus privati. Utinam hæc doctrina, quæ est S. Thomæ, et communis et certa, etiam esset communiter in praxi recepta!

Aliquando, sed rarò, licitum esse potest pluris vendere, si res sit specialiter grata ipsi venditori, v. g. quia rara, antiqua aut memorialis a majoribus accepta; quia vendens subit aliquam molestiam in carentia rei suæ, hocque in gratiam emptoris, quod videtur aliqualiter pretio æstimabile, saltem si affectus venditoris erga rem illam sit rationabilis.

An justus titulus est minoris emendi, ideo quòd venditor necessitate pressus, rem vendere vel venalem offerre cogitur?

IX. R. Negativè: nam tanti valet per se res oblata, quàm non oblata, cùm ultronea oblatio nil mutet circa valorem mercium.

Quo ergo sensu verum est commune dictum: "Merces "ultro oblatæ vilescunt?"

R. Sensus non est, eas per se vilescere, ut dictum est, sed tantum vilescere per accidens.

1°. Quia quandoque ultrò offeruntur ob paucitatem aut defectum emptorum, vel ob abundantiam mercium: unde contingit, ut ex communi hominum æstimatione minuatur pretium vulgare.

2°. Quia quandoque res illa non tanti valet emptori, qui ad emendum sollicitatur, v. g. quia res ipsi parum utilis est, vel ex emptione patitur lucrum cessans aut damnum emergens.

3°. Quandoque ob periculum defectûs latentis aut palliatæ præstantiæ.

4°. Quia tunc merces solent emi pretio infimo aut circiter, ubi aliàs expectando opportunitatem emptorum solent vendi pretio medio et quandoque summo.

Quomodo procedendum in rebus, quæ nec pretium legitimum, nec vulgare habent, quales sunt picturæ et gemmæ rariores, canes venatici, &c.

X. R. Sylvius, Wiggers, aliique communiter docent, in similibus consulendos esse earum rerum peritos, et ex eorum judicio statuendum esse pretium vulgare, quo res illæ vendantur; quod pretium solet esse magnæ latitudinis.

An licitum est, ut venditor et emptor, nescientes justum rei pretium, interim contrahant pretio certo?

R. Affirmativè; si uterque fideliter procedat: quia si æqualiter ignorent, uterque se exponit æquali periculo damni, et voluntariè sic contrahendo, cedit juri suo.

N. 29. DE TITULO ANTICIPATÆ AUT DILATÆ SOLUTIONIS.

I. *Dilata vel anticipata solutio.* II. *Sunt tituli ficti per se.*

CONTINGIT sæpe, rem creditò vendi, et propterea solvi pretium summum, cùm paratâ pecuniâ facilè venderetur pretio medio aut infimo: similiter ob anticipatam solutionem rem emi pretio infimo, quæ alioquin venderetur medio vel summo; hæc secundum se injusta non sunt; sed quæritur:

An, dum res creditò venditur, licitum sit ob dilatam solutionem augere pretium supra summum vulgare; vel ob anticipatam solutionem licitum sit rem emere infra infimum pretium vulgare?

II. R. Id per se illicitum est, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 7. "Si aliquis velit cariùs vendere "res suas, quàm sit justum pretium, ut de pecunia sol- "venda emptorem expectet, manifestè usura committi- "tur; quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet "rationem mutui: unde quidquid ultra justum pretium "pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium "mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Similiter "etiam si quis emptor velit rem emere viliùs, quàm sit "justum, eo quòd pecuniam ante solvit, quàm possit ei "res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista antici- "patio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus "quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio "rei emptæ."

In confirmationem hujus doctrinæ vide etiam propositionem 41. damnatam ab Innocentio XI.

Dictum est, "id per se illicitum esse;" quia si ex dilata vel anticipata solutione oriatur verum damnum emergens, lucrum cessans, vel periculum extraordinarium mercis aut pretium amittendi, vel molestiæ pretio æstimabiles subeundæ forent ex tali dilatione aut anticipatione, tum posset justo titulo res vendi supra summum vel emi infra infimum pretium.

N. 30. DE SCIENTE PRIVATIM PRETIUM AUGENDUM VEL MINUENDUM.

I. *Privatim sciens pretium augendum vel minuendum potest emere vel vendere pretio currenti,* II. *Sepositâ vi & fraude,* III. *Et abusu scientiæ à Magistratu.*

AN privatim sciens pretium mercis brevi augendum aut minuendum, potest justè eam pretio currenti emere vel vendere non monito altero contrahente?

I. R. Affirmativè, modò absit omnis vis & fraus; quia pretium currens est pretium justum, & nondum mutatum; per privatam enim scientiam non mutatur pretium commune, quod confirmari potest ex facto Joseph. Gen. cap. 41. qui in Ægypto coëmit frumentum pretio communi, divinâ revelatione certus, pretium esse augendum ob futuram sterilitatem.

Obj. Talis v. g. emptor inducitur errore formali; quia si scivisset pretium minuendum, non tanti emisset rem: ergo talis venditio est nulla.

R. Negando conseq. quia talis error non est circa substantiam, sed circa accidens omnino extrinsecum, nec etiam causatus est à venditore, & ideo error iste nihil nocet contractui, sicuti juxta omnes nihil nocet, si error sit in utroque contrahente.

Obj. II. qui scit debitorem suum non esse solvendo, aut mercem suam brevi corrumpendam, non potest debitum istud, nec mercem vendere pretio communi: ergo nec mercem, cujus pretium novit brevi minuendum.

R. Negando conseq. Disparitas est, quòd debitum istud sit in se vitiatum sicut et ista merx, quæ ex vitio intrinseco corrumpenda est: verùm in nostro casu merx nullo vitio affecta est, et scientia alicujus particularis non mutat pretium commune, ut dictum est.

Aliud foret, dum communiter scitur pretium minuendum; quia tunc illarum rerum pretium ex communi existimatione jam censetur diminutum.

Notandum 1°. Venditorem facilè peccare in casu contra charitatem, præsertim si uni et eidem venderet magnam copiam similium mercium, conservaturo easdem magno suo detrimento.

II. 2°. Venditorem peccare contra justitiam, si vi, mendaciis aut blanditiis insolitis emptorem inducat ad emendum similes merces, et idem est de emptore respectu venditoris.

Quid, si aliquis v. g. Consiliarius regius aut scabinus, novisset scientiâ particulari officii sui, pretium esse minuendum, monetam mutandam, & similia?

Respondet Braunman, eos merces suas, prout ante solebant, vendere et pecunias similiter exponere posse; propterea enim nihil in ordinario suo negotiandi modo ex justitia obligantur immutare, & justè sese conformant communi cursui, ne aliàs deterioris essent conditionis, quàm alii de communitate.

III. Ad fraudem tamen, inquit, spectare videtur & injustitiam, si scientiâ illâ prœter ordinarium modum abuterentur in privatorum incommodum; v. g. si simul et semel merces plurimas pretio currenti venderent, vel magnam pecuniæ minuendæ quantitatem secundum valorem currentem in mercibus emendis exponerent, aut cum alia specie non minuenda permutarent: quia tali modo abutendo ista scientiâ peccant contra debitum sui officii in gravamen subditorum, quod est injustum.

Idem a fortiori dicendum juxta Billuart, si ex industria differant promulgationem edicti, ut ita sibi aut suis consulant; vel si amicos moneant de pretio mercium aut valore monetæ minuendo; quia illicitum est revelare ad utilitatem aliquorum, quod ex officio tenebantur tacere, ne alii inde damnificarentur.

N. 31. DE EMPTIONE-VENDITIONE DEBITORUM LIQUIDORUM.

I. *Debita liquida* II. *Non possunt minoris emi,* III. *Secluso damno emergente, &c.*

1. PRÆNOTANDUM 1°. debita activa, seu actiones minoris emi non posse merè ob dilatam solutionem secluso lucro cessante, damno emergente, &c. ut constat ex N. 29.

2°. Si debitum non sit liquidum, sed quodammodo litigiosum, adeo ut difficultates vel expensæ subeundæ sint, vel immineat periculum extraordinarium solutionis obtinendæ, similisve circumstantia pretio æstimabilis concurrat, licet tunc istud debitum minoris emere, quanti scilicet istæ difficultates prudenter æstimari possunt.

Quæstio tota in eo est, dum debitum est liquidum, sed difficilis solutionis v. g. ob morositatem debitoris, utrum ille, qui ob specialem amicitiam aut favorem debitoris solutionem sine difficultatibus obtinere potest, debitum

istud emere possit minoris æquè ac alii, qui difficultates subire deberent.

II. R. Videtur sententia negativa probabilior, quam defendunt Wiggers & Daelman contra Lessium aliosque: ratio est, quia istud debitum habet pretium certum & legitimum, tantum scilicet, quanti sonat; adeoque debet emi pretio legitimo, nisi obstent difficultates aut alii justi tituli allegati: atqui respectu hujus emptoris, qui sine difficultate solutionem obtinere potest, nullus est titulus: ergo, &c.

III. Pro quo notandum, simile debitum secundum se non habere nisi pretium legitimum; solùmque habere pretium vulgare minus, quando consideratur ut conjunctum cuidam periculo aut damno: verùm illud pretium vulgare non est absolutum, sed solummodo respectivum, nempe respectu illorum, qui pericula, aut difficultates subire debent. Patet hoc exemplo: Qui emit debitum, v. g. 100 aureorum solvendum post duos annos, debet dare pretium legitimum, si non habeat titulum lucri cessantis, &c. ubi si alii emant, quibus inde lucrum cessat, &c. possunt illud minoris emere, et tantò adhuc minoris unus præ alio, si uni præ alio majus lucrum cesset.

Obj. I. Si istud debitum publicè exponeretur venale, multò viliùs venderetur: ergo etiam ille, qui ex speciali favore scit obtinere solutionem sine difficultatibus, potest illud minoris emere.

R. Negando conseq. quòd enim publicè minoris venderetur, ideò est, quia habet etiam pretium vulgare: sed cùm illud sit solùmmodo respectu illorum, qui difficultates subire debent, ut statim dictum est, propterea locum non habet in nostro casu.

Obj. II. Talis habet justum titulum minoris emendi: probatur; quia illa amicitia vel favor est prætio æstimabilis, spectatque ad ejus industriam & bonam fortunam; ergo justè potest minoris emere.

R. Negando assumptum: quia licèt admittatur, talem amicitiam & industriam esse pretio æstimabilem in ordine ad acquirenda officia aliosque favores; nunquam tamen potest esse justus titulus, ut propterea aliqua res aut actio viliori pretio ematur, quàm in se valeat; sed observari debet æqualitas pretii ad mercem, ne alioquin justitia lædatur.

Ex dictis collige, quid dicendum sit de ministris Principum & quæstuariis publicis minoris ementibus debita Principum & communitatum ab eorum creditoribus: hi enim cèrtò injustitiam committere videntur, cùm vi offi-

cii omnibus solvere teneantur, & ordinariè in causa sint, quòd veris creditoribus non solvatur: & si sibi possint procurare solutionem, possunt etiam aliis, ad quod ex justitia tenentur.

N. 32. DE SUBHASTATIONE.

I. *Est quod offertur à concurrentibus.* II. *Sepositâ fraude tum ex parte venditoris,* III. *Tum ex parte emptoris,* IV. *Et officialium.* V. *An liceat rem retrahere.*

QUID est subhastatio, seu venditio sub hasta?

R. Est venditio publica, ad quam invitantur emptores voce præconis vel affixione schedulæ aut catalogi rerum venalium. Vocatur etiam auctio publica; quia posterior adauget pretium prioris, ascendendo nimirum, ut communiter fieri solet.

Quodnam est justum pretium in subhastatione?

I. R. Illud, quod offertur à concurrentibus sepositâ fraude & dolo: unde licèt res pluris vendatur aut minoris ematur, quàm valet extra subhastationem, etsi etiam magna foret illa inæqualitas, adhuc justa erit emptio-venditio; quia in simili contractu venditor et emptor utrimque se liberè subjiciunt æquali periculo perdendi aut lucrandi.

Quænam fraudes lædunt justitiam pretii in subhastatione?

II. R. Ex parte venditoris injustitia committitur:

1°. Si unam rem exponat pro alia, vel defectuosam pro integra.

2°. Si subornet fictos emptores, qui pretium augeant, vel ipse augeat in rem suam; quia tunc soli emptores incurrunt periculum damni cariùs emendo, et fit simul venditor et emptor, quod admitti non potest.

III. Ex parte emptorum injustitia committitur:

1°. Si plures conspirent & determinent pretium, ultra quod non ascendunt.

2°. Si procurent, ut licitatio citiùs finiatur, et detur "proficiat" ante tempus.

3°. Si vi, dolo vel fraude alios emptores avertant ab auctione vel ab emendo; si autem solo rogatu aut simplici suasione avertant alios, dicit Collet aliique, tales non peccare saltem contra justitiam, modò emant pretio justo, licet infimo.

IV. Lædi etiam potest justitia ex parte officialium: 1°. Si præco, qui proclamat, citiùs aut tardiùs rem uni adjudicet, quàm fieri solet aut convenit.

2°. Si auctionem instituant tali tempore, quo sciunt paucos futuros emptores, ut ita ipsi aut amici eorum possint viliori pretio emere.

V. An peccat contra justitiam venditor, qui rem venalem retrahit ideo, quia ob paucitatem vel teporem licitantium vendenda est infimo vel infra infimum pretium?

R. In venditionibus rerum immobilium, cùm illæ soleant perfici authoritate publicâ, videndum est, quid potestas publica circa illas venditiones ordinaverit.

Si auctiones sint institutæ ea tacitâ conditione, ut res omnes finaliter sint vendendæ; tunc injustum videtur rem retrahere titulo nimis exigui pretii, eò quòd sic soli ementes exponantur periculo damni emendo nimis carè; & ita tolleretur æquitas hujus contractûs.

Videri tamen debet, utrùm alicubi id lex particularis fortè non permittat. Usus etiam diuturnus, & taciturnitas judicis attendi debent, ut videatur, num fortè praxis illa retrahendi sit tacitè approbata.

N. 33. DE DEFECTIBUS REI VENALIS.

I. *Defectus circa substantiam.* II. *An licet vendere res mixtas.* III. *Defectus circa quantitatem, aut qualitatem.* IV. *Scienter vendens defectuosam pro integra peccat.* V. *Idem dic de emente rem pretiosam pro vili.* VI. *Exceptiones.*

AN licet vendere rem defectuosam, non aperiendo vitium?

R. Juxta S. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 2. defectus potest esse vel circa substantiam, vel in quantitate aut in qualitate.

I. Defectus est circa substantiam rei, dum venditur "quid pro quo," seu una res pro alia, a qua specie distinguitur: si ergo res, quæ venditur sit substantialiter diversa a re, quam emptor intendit emere, contractus ille est nullus, ut dictum est Num. 7.

Sæpe interim difficile est pro contractu emptionis-venditionis discernere, quandonam una res sit substantialiter diversa ab alia. In his, dicit Daelman, magis attendi debet species rei moralis, prout servit humanis usibus, quàm

species physica: & hinc, ait, vendi aliquando posset validè una res physicè distincta ab illa, quam intendit emptor, si eundem omnino usum habeat eosdemque producat effectus, & de cætero justum pretium observetur.

II. Similiter potest quandoque licitum esse vendere rem mixtam: v. g. aliquis habet merces optimi valoris, ita ut si eas purè vendere velit, cogatur eas vendere infra infimum pretium: tunc si eis misceat alias merces minoris valoris, aut aliam rem, donec virtute & efficaciâ moraliter æquivaleant aliis mercibus ejusdem speciei, licitè id facit juxta Daelman aliosque, modò vendat pretio communi.

Sæpe tamen periculum mali in eo est, cùm ab una parte venditores quasi constituantur judices in propria causa, & cupiditas lucri facilè merces proprias nimis magno æstimet; & ab alia parte ista mixtio repugnet fidei & sinceritati negotiationis: dum emptores intendunt emere merces puras: unde antedicta mixtio sæpe est illicita, licèt non semper sit contra justitiam.

III. Alter defectus rei venalis est circa quantitatem aut qualitatem: res dicitur defectuosa circa quantitatem, quando deficit in pondere, mensura vel numero.

Res defectuosa circa qualitatem potest esse talis, ut defectus ille redundet in substantiam, vel in substantiam non redundet, de quibus vide Num. 7. His præmissis,

IV. R. 1°. Qui scienter vendit rem defectuosam sive in substantia, sive in quantitate aut qualitate tanquam integram, hoc est, eodem pretio ac si foret integra, peccat contra justitiam & ad restitutionem tenetur; quia committit fraudem in damnum proximi, nec servat æqualitatem pretii ad rem.

2°. Qui ex ignorantia inculpabili vendit rem defectuosam pro integra, non peccat quidem, sed ubi resciverit, tenetur damnum compensare emptori, nisi bonâ fide vendendo declaraverit emptori, se nolle suscipere periculum vitii, si quod fortè lateat, tunc enim emptor censetur emere suo periculo.

V. Quod in utraque hac conclusione de venditore dictum est, intelligi etiam debet de emptore, qui emeret rem integram aut pretiosam pro vili seu defectuosa, v. g. gemmam pro vitro; militant enim eædem rationes.

VI. Observat tamen Daelman, dum res pretiosa v. g. liber pretiosus, venalis exponitur apud Veteramentarios seu illos, qui res antiquatas solent divendere; tunc non videri semper injustum, si ematur infra pretium, quod

alioquin res illa haberet; quia dum sic venalis exponitur, censetur antiquum suum pretium amisisse, & pretium suum accipere ex judicio emptorum officinas similes frequentantium, ferè ut de auctionibus publicis dictum est: idem est, ait idem Author, si quis v. g. librum suum jam detulerit ad officinam animo vendendi solam chartam.

Hinc passim ab Authoribus asseritur, dum quis detulit fascem herbarum ad vendendum pro pabulo v. g. equorum, licitum est illas herbas emere pretio communi, quo ab aliis ad talem usum emerentur, quamvis emptor noverit in illo fasciculo latere herbas pretiosas & medicinales.

Dictum est Num. 7. errorem circa qualitatem aut quantitatem, hoc est circa mera accidentia, si sit antecedens & ex dolo alterius, reddere contractum rescindibilem: si autem error non sit ex dolo alterius, deceptum tantùm habere actionem "quanti minoris." Sed jam difficultas exoritur, quandonam dolus committi censeatur; unde quæritur:

N. 34. QUANDONAM DEFECTUS REI SIT APERIENDUS?

I. *Dolus positivus,* II. *Et negativus.* III. *Aperienda sunt vitia occulta & noxia.*

PRÆNOTANDUM, dolum in occultando rei defectu posse committi dupliciter, scilicet positivè & negativè.

I. Positivè committitur, dum injustis verbis aut factis, v. g. mendaciis aut fuco, venditor conatur occultare vitium rei.

Nota, hìc non accusari eos, qui generaliter laudant merces suas, eas aliquantulum fucant, & meliores extrinsecùs ponunt; quia dolus ille est communis & communiter notus emptoribus.

II. Dicitur dolus negativè committi, dum quis non aperit defectum rei, quem aperire tenebatur.

Prænotandum 2°. alium defectum esse occultum, alium manifestum, alium nocivum aut periculosum emptori, alium non nocivum nec periculosum. His notatis,

R. 1°. Si venditor interrogetur ab emptore de vitio suæ mercis, tenetur illud declarare, saltem si sit alicujus momenti, nisi venditor aperte declaret, se nolle vendere mercem, nisi prout est.

2°. Si vitium rei sit occultum, sed non damnosum aut periculosum emptori, non tenetur venditor illud aperire:

debet tamen de pretio minuere, quanti res minoris valet propter vitium: ratio est, quòd tunc servatur debita æqualitas inter pretium & mercem, nec ullum damnum causatur.

Similiter si vitium rei sit apertum, non debet venditor illud declarare *saltem ex Justitia,* modò procedat bonâ fide & sine simulatione, nec veneat pluris, quam res valeat attento vitio. Tenetur tamen quandoque vitium aperire *ex charitate,* v. g. dum videt emptorem ex sua simplicitate id non advertere, indeque incursurum aliquod damnum: ratio est quia damnum, si quod in casu oriatur emptori, non potest adscribi dolo venditoris, sed imprudentiæ emptoris, quam corrigere est officium charitatis.

III. 3°. Si vitium rei venalis sit occultum, & simul emptori nocivum vel periculosum, tenetur venditor, etiam non interrogatus, tale vitium ex justitia aperire: ratio est, quòd in casu damnum, non imprudentiæ emptoris, sed deceptioni venditoris adscribi debet. Unde in casu venditor tenetur reparare omnia damna, quæ ex illa venditione emptori oborta sunt: ac insuper contra justitiam peccavit, si non diminuerit de pretio, quanti res minoris valebat ob vitium latens.

Nota ex S. Thoma, rem non censeri noxiam aut inutilem emptori ex eo, quòd ea non possit uti ad fines suos, modò sine suo gravamine, etiam detecto vitio, possit illam eodem pretio vendere aliis, quibus utilis est.

N. 35. DE NEGOTIATIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4.

I. *Negotiatio* II. *Est licita.* III. *Ejus tituli.* IV. *Est tamen periculosa.* V. *Est prohibita Clericis et Monachis,* VI. *Sive per se, sive per alios negotientur.* VII. *Quædam licita sunt.*

QUID est negotiatio?

I. R. Est actio, qua quis sibi merces comparat eo animo, ut eas immutatas cum lucro vendat aut permutet.

Hinc non est negotiatio, si quis aliquid emat usui suo, licet illud postea mutata voluntate vendat cum lucro: neque est negotiatio stricte dicta, si quis emat v. g. boves macros, ut impinguatos revendat.

An negotiatio est licita?

II. R. Affirmativè, ut constat ex communi doctrina & usu universali: ratio est, eam esse reipublicæ ejusque mem-

bris sine ullius præjudicio multum proficuam & pene necessariam. Nec obstat, lucrum esse negotiationis finem: nihil enim prohibet, lucrum referri ad finem aliquem honestum.

Quinam sunt tituli, ob quos mercatores possunt percipere lucrum ex rebus iisdem immutatis?

III. R. 1°. Quia emunt illas pretio minori & fortè infimo, & vendunt majori quandoque summo.

2°. Quia, sive sint mercatores in grosso, ut aiunt, sive minutim merces suas vendant, varios habent titulos pretio æstimabiles, quales sunt interesse suarum pecuniarum, pericula & expensæ, quas subire debent in mercibus congregandis & conservandis, labor & industria, quibus serviunt ementium commodo. Vide Daelman.

IV. Verum quidem est, negotiationem esse periculosam, quia sæpe præbet occasionem fraudandi, mentiendi, jurandi, &c. sed hæc sunt vitia hominis, non artis, ait S. Thom.; unde negotiatio non est occasio proxima "per se," sed solùm per accidens respectu aliquorum, in quibus avaritia, cupiditas lucri immoderata, aut similis vitiosa animi affectio prædominatur.

Quandonam in negotiatione committatur injustitia, cognoscitur ex contractibus, quibus peragitur: hi autem consistere solent in emptione-venditione.

Estne negotiatio aliquibus prohibita?

V. R. Affirmativè, scilicet Clericis & Monachis, ut constat ex variis Canonibus, quos innovavit Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. "de Reformatione."

Nomine Clericorum veniunt juxta Sylvium non tantùm, qui sacris Ordinibus initiati sunt., sed etiam simplices Beneficiati, & primâ tantùm tonsurâ insigniti, saltem si habitum Ecclesiasticum gestant.

Indubiè hæc prohibitio obligat sub gravi culpa, si agitur de negotiationis professione: aliàs per unum aut alterum actum non videntur graviter peccare, modò negotiatio non sit turpis & absit scandalum; quia "negotiari" videtur sonare habitum seu frequentiam.

An licitum est Clericis vel Monachis negotiari per alios?

VI. R. Negativè; militant enim eædem rationes, cùm, quod quis per alium facit, per seipsum facere censeatur. Deindè Benedictus XIV. omnem controversiam sustulit, dum litteris suis Apostolicis datis 25 Februarii 1741. declaravit, nullam negotiationem, aliàs Clericis prohibitam, posse ab iisdem sub alieni nominis velamine exerceri, eosque iisdem pœnis obnoxios fecit, quæ à sacris Canonibus constitutæ sunt contra Clericos negotiatores.

In Synodo Provinciæ Mechliniensis anni 1607. tit. 18 cap. 5. statuitur: " Clerici Beneficiati vel in Sacris constituti decimas, census, prædia aut terras alienas non conducant quæstûs faciendi gratiâ, neque ullam negotiationem sæcularem exerceant sub pœna arbitraria."

Licitum interim est Clericis et Monachis 1°. Si negotiis sæcularibus se immisceant ad sublevamen pauperum, pupillorum & similium miserabilium personarum.

2°. Si recreationis gratiâ, aut ne otio torpescant, artem aliquam honestam exerceant, etsi per accidens ex arte illa aliquod reportent lucrum.

3°. Si ad tempus negotia gerant, ut propriæ inopiæ subveniant, vel ne aliis sint oneri: sic olim Monachi sportas conficiebant & vendebant, ut se sustentarent; & Apostolus Act. cap. 18. v. 3. artem scenofactoriam exercuisse legitur.

4°. Si agros proprios colant, eorum fructus vendant, ex iis nutriant animalia, quæ vendant. Aliud est, si alienos agros conducerent; nisi fortè paucos, dum sine illis proprios commodè excolere nequeunt. Sicut autem Clericis & Monachis illicitum est pro se negotiari, ita illis illicitum agere proxenetam, sive negotiari pro aliis.

An & quousque negotiatio prohibita sit Nobilibus, Jurisperitis inquirendum relinquimus.

N. 36. DE MONOPOLIO.

I. *Monopolium* II. *Variè committitur.* III. *Ex privilegio potest esse licitum.* IV. *Impedientes ne aliorum merces advehantur.* V. *Conspirantes de certo pretio.* VI. *Quid liceat non cooperanti.*

I. QUID est monopolium?

R. Monopolium, prout illud accipiunt Theologi, est machinatio unius pluriumve in unum conspirantium, ut ipsi soli certum genus mercium vendant, vel vendant certo pretio.

II. Monopolium igitur potest assignari duplex: unum dum efficitur, ut unus vel pauci, aliis exclusis, vendant certum genus mercium: secundum, dum plures conspirant inter se non vendere, vel etiam non emere, nisi certo pretio.

Monopolium primum iterum tripliciter committi potest; 1°. Dum unus vel pauci quidam obtinent privilegium à Principe ad certas merces vendendas.

2°. Dum unus aut pauci coemunt omnes merces certi generis.

3°. Dum impediunt, ne istius generis merces in patriam advehantur.

An monopolium est licitum?

III. R. Privilegium à Principe vel republica concessum alicui, ut solus vel cum paucis vendere possit certum genus mercium, est licitum, si justis causis nitatur, putà quòd aliàs negotiatio in similibus negligeretur, quòd bonum commune inde augeatur, &c. exemplum familiare habetur in Bibliopolis sive Typographis, qui ex privilegio quandoque soli vendunt certos libros, ut ita compensare possint expensas impressionis. Item in opificibus nostris, qui soli certum opificium possunt exercere; idem etiam concedi solet, quia quispiam invenit quamdam artem, aut aliunde invexit.

Qui coemunt ferè omnes merces ejusdem generis, ut inducant raritatem, & hinc pro libitu caritatem, certò peccant contra charitatem, ac etiam contra justitiam legalem, seu contra bonum commune.

Imò Sylvius, Henno, Daelman, Collet, aliique probabiliter docent, similes etiam peccare contra justitiam commutativam; quia in causa sunt, quòd res, quæ satis abundantes forent secluso isto monopolio, nunc majori pretio emi debeant, idque injustè; quia supponitur sciri, merces sufficientes detineri ab istis emptoribus; & interea per eorum morositatem aut pertinaciam tollitur ab emptoribus libertas tales res emendi pretio moderato aut minori. Aliud fortè dici posset, si unus aut plures occultè multas similes merces coemptas detinerent; quia abundantia mercium non cognita, non influit in æstimationem pretii vulgaris: Collet tamen eos etiam injustitiæ accusat, quia per coemptionem & suppressionem mercium causa sunt, quòd mercibus pretium justò majus imponatur, attentâ earumdem abundantiâ.

Aliud est de iis, qui merces suas servant in illud tempus, quo eas cariores fore prævident, modò caritatem hac arte non inducant.

Quod fecit Joseph Gen. cap. 41. coëmens grana in Ægypto, id factum non fuit ad inducendum caritatem, sed

ad providendum bono communi & ex potestate regia: deinde raritas granorum non provenit ex coemptione Joseph, sed ex sterilitate annorum sequentium.

Quomodo peccant, qui impediunt, ne merces talis vel talis speciei aliunde advehantur?

IV. R. Dist. si impediant vi aut fraude, vel exteros mercatores pecunia corrumpant, ut ejusmodi merces non advehant, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem incolis quibus causa sunt, quòd merces debent cariùs emere, item aliis mercatoribus, quos à mercibus comparandis injuste prohibuerunt.

Si sine vi aut fraude impediant advectionem, peccant tantùm contra charitatem & utilitatem communem graviter vel leviter secundùm subjectam materiam: imò contingere potest, ut nullo modo peccent, si nempe extraneorum mercium adventus causa foret, cur cives merces suas pretio legitimo vendere, onera & vectigalia solvere nequeant, &c.

Semper interim reflectendum, peccari contra justitiam, si efficiatur, ut pretium ascendat ultra summum, quod alioquin convenienter merces haberent.

Quomodo peccant, si plures mercatores conspirent non vendere vel non emere nisi certo & determinato pretio?

V. R. Si conspirent non vendere, nisi supra summum, vel non emere nisi infra infimum, apertum est eos utroque casu peccare contra justitiam, & ad restitutionem teneri: & 1°. quidem tenentur, qui sic vendiderunt aut emerunt: 2°. iis deficientibus alii conspirantes; 3°. Singuli tenentur in solidum deficientibus aliis.

Si conspirent de certo pretio, manendo intra latitudinem pretii justi, constat eos peccare contra charitatem & contra justitiam legalem; sed quæstio est, an etiam contra justitiam commutativam.

Negant Sylvius, Steyaert, Daelman, &c. affirmant Braunman, Collet. &c. dantque hanc rationem, unumquemque jus habere, ne cogatur emere summo pretio, aut vendere infimo, ad quod per tale monopolium cogitur.

Hoc monopolii genus sæpe invenire est in conductione decimarum, & in emptione juris cædendi sylvas seu lignandi, &c.

Hujus quoque monopolii rei sunt artifices, qui inter se

conveniunt de non consummando opere, quod unus ipsorum inchoavit; item si conspirent inter se de non elocanda sua opera nisi certo pretio.

Similiter si curent spargi falsos rumores, merces interiisse, naves submersas esse, &c. ut ita augeantur pretia rerum.

An aliquis, qui non est particeps monopolii ab aliis initi, potest vendere aut emere pretio per monopolium introducto?

R. Daelman & Billuart probabiliùs negant; quia pretium est injustum secundùm se, saltem si sit supra vel infra pretium justum, quod alioquin res illa haberet: & hoc præcipuè verum videtur, quando sciuntur sufficientes merces adesse.

VI. Hinc juxta hos Authores etiam non excusatur ignorans monopolium factum; sed tenebitur tanquam bonæ fidei possessor, ubi resciverit, restituere.

N. 37. DE EMENTE AUT VENDENTE NOMINE ALTERIUS.

I. *Negotiorum gestor*, II. *Seposità concessione Domini*, III. *Nil sibi retinere potest.* IV. *Res empta pecuniis alienis.*

AN proxeneta seu negotiorum gestor, vendens supra, aut emens infra pretium sibi constitutum à suo principali, potest excessum illum sibi retinere?

I. R. Si vendat supra, vel emat infra pretium justum, tenetur proxeneta ad restitutionem, ut ex antedictis satis constat.

II. 2°. Si servaverit pretium justum, videri debet, an Dominus explicitè vel implicitè concedat illum excessum in stipendium aut præmium diligentiæ, attendendo id, quod in similibus casibus communiter fieri solet a mercatoribus.

III. Si nihil horum, dicendum, proxenetam non posse excessum sibi retinere, quia nullum habet titulum; Dominus enim determinando pretium, tantùm voluit, ut non emeret supra, nec infra venderet.

Quid si proxeneta sibi emat rem pretio designato a Domino, & postea eam vendat tanquam suam pretio majori?

R. Per se loquendo id potest fieri licitè positis his duabus conditionibus. 1°. Ut post adhibitam moralem diligentiam non sit inventus alius, qui plus pro re illa offerret; quia voluntas Domini est, ut non vendat minoris, sed pluris si possit: 2°. Ut rem verè, et non fictè sibi emat, hoc est, ut subeat periculum rei, et ut solvat taxatum a Domino pretium, etsi res pereat, vel tanti postea non vendatur.

Inferes ex dictis, sartores, quibus commissio data est emendi pannum & cætera necessaria conficiendis vestibus, non posse sibi retinere, si emerint infra taxam, nequidem titulo temporis in illa emptione perditi, sive lucri cessantis; quia præterquam quòd illa temporis insumptio modica esse solet, censentur (seclusâ peculiari conventione) sese ad id gratis offerre: nec Dominus præsumendus est ipsis emptionem commissurus, si sciret illos eo prætextu compensationem facturos: neque etiam illos excusare solet, quòd venditor dicit, se vendere pretio medio vel infimo in gratiam sartorum.

Non sunt tamen condemnandi sartores, aliive, si ex eo quòd frequenter eandem officinam adeunt, recipiant hinc inde quædam munuscula, aut novum annum, ut vulgò vocant; modò tamen, (quod seriô notandum) non emant ideo cariori pretio, aut merces viliores.

Ad quem pertinet res empta pecuniis alienis, an ad emptorem, an ad eum, cujus est pecunia?

IV. R. Si quis emerit rem nomine illius, cujus est pecunia, pertinet res illa ad Dominum pecuniæ: si emerit nomine proprio, v. g. ex pecunia apud se deposita, res est ementis, ut expressè habet lex 6. cod. lib. 3. tit. 32; excipiuntur communiter res emptæ pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, vel militis; quæ res sic emptæ ad eos respectivè pertinent.

Cui debetur res successivè vendita duobus?

R. 1°. Si neutri sit tradita, debetur priori; quia qui prior est tempore, potior est jure, juxta regulam 15. juris in 6.; deinde prior acquisivit jus ad rem illam, non secundus, qui solùm habet actionem personalem, quatenùs deceptus est, & ita talis res non potest tradi secundo emptori sine injuria prioris.

2°. Si res secundo emptori sit tradita, manet *regula-*

riter ipsius; quia acquisivit ejus dominium, et prior habet actionem personalem adversùs vendentem. Ita decernit lex 15. codicis lib. 3. tit. 32.

Dictum est *regulariter;* quia si secundus emptor processerit malâ fide sciens rem jam esse alteri venditam, jura ipsum non juvant, sed prior emptor rem evincere poterit. Imò secundus emptor sponte rem priori emptori tradere tenebitur, si vendentem ad sibi vendendum induxerit; quia tunc est injusta causa damni, saltem cooperans. Item si prior pretium solverit, et secundus nec solverit, nec assecuraverit, nec venditor ejus fidem secutus fuerit; quia hoc casu secundus non acquisivit dominium.

N. 38. DE RE NON VENDIBILI.

I. *Res invendibiles,* II. *Quibus homines uti non possunt sine peccato,* III. *Aut saltem communiter abutuntur,* IV. *Vendere rem indifferentem non licet sine justa causa.*

QUÆNAM vendere non licet?

I. 1°. Res spirituales aut spiritualibus concomitanter aut consequenter annexas. Vide N. 201. *de Simonia.*

2°. Ea quæ justâ lege prohibentur.

3°. Ea quibus emptor non potest uti sine peccato, vel quæ moraliter ad nocendum destinantur.

Licetne vendere rem, qua emptor abusurus est ad peccatum?

II. R. 1°. Nullo modo licet vendere rem, qua emptor uti non potest sine peccato, v. g. philtra, idola, picturas obscœnas, &c.

Perinde est, sive res illæ ex natura sua, sive tantùm ex modo aut formâ sint deputatæ ad peccatum. Si autem peccatum illud cederet in damnum tertii, venditor etiam teneretur ad restitutionem, deficiente emptore.

III. 2°. Etiam non licet vendere res, quibus homines communiter abutuntur ad peccatum, nisi venditori constet, eas hic et nunc emi ad finem bonum: sic non licet vendere venenum, nisi illis, de quibus non est suspicio

mali usûs; neque licet vendere libros prohibitos, nisi illis, qui noscuntur habere veniam eosdem legendi.

IV. 3°. Si quis vendat rem de se indifferentem illi, qui scitur, vel verisimiliter putatur eâ abusurus ad peccatum, etiam peccat, nisi justa causa subsit propter quam se possit habere permissivè ad peccatum alterius.

Ratio est, quòd quisque debet saltem ex charitate impedire peccatum alterius, dum potest sine suo incommodo: deinde quia illicitum est alteri subminisrare materiam peccandi sine justa causa.

Quænam est justa causa, ob quam se quis potest permissivè habere ad peccatum alterius?

R. 1°. Si abusus ille non improbetur, sed toleretur a republica ob aliquam publicam causam, v. g. si tempore belli hæretici occupent patriam, licebit illis vendere et coquere carnes diebus jejunii; quia cùm ob publicam causam illis permittatur in patria esse, etiam illis permittitur vivere more suo. Aliud dicendum de hæreticis, qui ob causam aliquam privatam v. g. mercaturam, alicubi versantur inter Catholicos.

2°. Admittitur etiam licitum esse vendere res in magna quantitate seu in *grosso*, ut aiunt, illis personis qui prævidentur quandoque illas vendituri aliis, qui rebus illis abusuri sunt: sic etiam braxator licitè vendit cerevisiam tabernariis, quamvis hi prævideantur vendituri aliis, qui se inebriabunt.

Ratio est in his casibus, res illas tantùm remotè & mediantibus aliis personis, venire ad eos, qui rebus istis abusuri sunt: unde primi venditores sunt solùm causa remota, non moralis illorum abusuum.

3°. Licitum quandoque esse potest etiam immediatè vendere illis, qui prævidentur abusuri, dum aliqua ratio majoris momenti occurrit, ob quam se possit habere permissive ad peccatum alterius; ita si ebriosi minentur hospiti mortem, comburere domum, gravem mutilationem, vel blasphemiæ aut alia gravia mala timeantur, nisi potus detur, ratio sufficiens est negligendi peccatum ipsorum; similiter si furens irâ mihi intentat mortem, nisi ipsi vendam gladium aut cultrum, quo alium prævidetur occisurus, vendere possum.

Notandum cum Daelman, ut causa sit justa, eam debere conferri cum propinquitate et magnitudine periculi istius peccati, quod committet abutens: pro quo attendi

debet, an venditio proxime disponat, aut notabiliter influat in peccatum abutentis, & an illud sit grave an leve.

Notandum etiam, vendentem sine justa causa peccare peccato scandali; & insuper eâdem specie peccati, qua peccat emptor, quatenus ejus peccato cooperatur.

N. 39. DE DISSOLVENDA EMPTIONE-VENDITIONE.

I. *Emptio-venditio tunc dissolvitur* II. *Per læsionem ultra dimidium.* III. *Rescissio raro admittitur.* IV. *Pro conscientia.* V. *Retractus.* VI. *Gentilitius, & feudalis.* VII. *Conditiones.* VIII. *Vitia & fraudes.*

QUIBUS de causis dissolvitur emptio-venditio:

I. R. 1°. Per mutuum consensum, re adhuc integrâ; per quas enim causas res nascitur, per has etiam dissolvitur.

2°. Rescindi potest ob dolum, errorem, metum & defectum rei venditæ, de quibus actum est in præcedentibus.

II. 3°. Quod hic præcipuè inquiritur, dissolvi potest empti-venditio per læsionem ultra dimidium: item per retractum flandricè *vernaederinge*, gallicè *retraire.*

Quandonam dicitur esse læsio ultra dimidium?

R. Juxta Zoësium et jurisperitos communiter, tunc dicitur venditor lædi ultra dimidium, quando res valet pretio infimo vel legitimo v. g. decem florenis, & venditur infra quinque.

Emptor autem censetur lædi ultra dimidium, quando res valet pretio summo aut legitimo v. g. decem florenis, et venditur infra viginti. Sufficit in his excessus ultra dimidium, etiam modicus,

Theologi plerique dicunt, emptorem esse læsum ultra dimidium, si rem valentem pretio summo decem florenis emat supra quindecim.

Quod remedium habet læsus ultra dimidium?

R. Juxta legem 2. codicis lib. 4. tit. 44. item lege 3. decret. extra tit. 17. cap. 3 & 6. læsus habet actionem coram judice rescindendi talem emptionem-venditionem.

III. Observat tamen Stockmans decisione 197. & Bignion lib. 3. cap. 66. moribus hodiernis tantùm solere admitti in jure allegationem & probationem doli ex proposito, et inde actionem *Quanti minoris*, sed vix unquam rescissionem.

Maxime autem hæc rescissio negari solet in emptione ex subhastatione conformiter ad consuetudines Antuerpienses tit. 60.

IV. Certum interim manet, lædentem semper teneri in conscientia ad ponendam æqualitatem inter rem & pretium, sive rescissio detur sive non, etiam dum læsio est minor, quàm ad dimidium: quòd enim jura non dederint actionem ex minori læsione, ideo est, ne nimiùm lites multiplicarentur; non autem ad protegendas injustitias.

Notandum est, actionem talium læsionum præscribi termino 10 annorum juxta edictum Alberti & Isabellæ anni 1611. art. 29.

Quid est retractus?

V. R. Est jus contractum emptionis-venditionis cum alio initum, intra certam tempus rescindendi, et rem immobilem eodem pretio ad se revocandi: vel est jus prælationis, quod habet proximus consanguineus, aut Dominus feudalis ad rem immobilem venditam.

Quomodo dividitur retractus?

R. In retractum gentilitium, & feudalem.

VI. Gentilitius est jus prælationis competens consanguineo venditoris, etiam mulieri, ad retrahendam sibi rem venditam extraneo vel remotiori consanguineo.

Feudalis est jus simile, quod habet in aliquibus locis Dominus directus seu feudalis, ut retrahat sibi bona feudalia alienata.

In quibusdam locis adhuc datur alius retractus ex servitute activa: scilicet ille, qui habet servitutem activam, v. g. qui habet jus transeundi ad aquas per agrum alterius, potest retrahere istum agrum alteri venditum.

Quænam sunt conditiones legitimi retractûs?

VII. R. 1°. Debet omnis retractus fieri sub eodem pretio, quo res ante fuit vendita.

2°. Utens retractu gentilitio debet retrahere rem animo sibi tenendi, non alteri, idque sine fictione, quod etiam in jure cogitur jurare: salvo, quòd postea mutatâ voluntate non prohibeatur vendere rem illam, quam verè

sibi retraxerat: ipse verò, qui utitur retractu feudali potest retrahere in favorem amici, item potest jus suum vendere, vendendo scilicet rem, cui feudum est subjectum.

3°. Retractus gentilitius debet intentari intra annum & diem à die investituræ; & intra tempus sex hebdomadarum, dum fiunt publicationes venditionis in locis consuetis; quod tempus currit etiam contra minores et absentes.

Feudalis retractus in variis locis fieri debet intra 40 dies. Plura a Jurisperitis require.

Quænam fraudes committuntur in retractu?

VIII. R. 1°. Retrahentes quandoque peccant ut monopolistæ, dum scilicet deterrent alios emptores minando se rem retracturos, ut ita viliori pretio veneat, et consequenter vili pretio retrahere possint.

2°. Alia est iniquitas retrahentium, dum rem fictè pro se, revera autem pro aliis, retrahunt: tales committunt perjurium et injustitiam in illum, a quo sic rem eripiunt, quia in retractu gentilitio non habent jus ita procedendi.

3°. Vice versâ venditor et emptor quandoque fraudem committunt, dum ex conspiratione in contractu ficte apponunt tales conditiones, quæ solent deterrere eos, qui habent jus retractûs, v. g. empta est domus 1000 florenis, et venditor et emptor jubent in contractu scribi 1300, ut retrahens deterreatur. Hic dolus in jure vocatur *stellionatus*, estque contra justitiam; quia per mendacem fictionem alius impeditur a jure suo vel justo lucro, quod poterat facere, rem venditam viliori pretio retrahendo: possunt tamen dari modi justi, quibus retractus redditur difficilior seu minùs gratus.

N. 40. DE MUTUO ET USURA.

S. Thom. 2. 2. quæst. 78.

I. *Mutuum* II. *Est contractus onerosus,* III. *Quo res constans pondere, &c.* IV. *Usuque consumptibilis,* V. *Transfertur in dominium alterius, Cum obligatione reddendi, &c.* VI. *In pecuniis valor extrinsecus,* VII. *In aliis intrinsecus attendi debet.* VIII. *Qui mutuum dare possint, Vel accipere.*

QUID est mutuum?

R. Mutuum dupliciter accipitur, nimirum vel pro ipso contractu mutui, vel pro ipsa re, quæ mutuo datur.

I. Contractus mutui definitur: contractus onerosus, quo res constans pondere, mensurâ, vel numero, usuque consumptibilis, transfertur in dominium alterius cum obligatione reddendi aliam rem ejusdem speciei & bonitatis.

II. Dicitur *contractus onerosus,* & quidem utrimque; quia mutuator à se alienat rem, quam mutuo dat, & mutuatarius suscipit onus reddendi similem rem ejusdem speciei & bonitatis.

III. Dicitur *quo res constans pondere, mensurâ vel numero;* quia, cùm debeat postea reddi res ejusdem speciei & bonitatis, id convenienter fieri non possit, nisi res mutuo data sit ponderata, mensurata vel numerata.

V. Dicitur *usuque consumptibilis;* quia si res illa usu non consumeretur, tunc potiùs fieret contractus commodati, locati, conducti, &c. sic v. g. ager & domus non traduntur mutuo, sed venduntur, locantur, &c. imò debet res illa esse consumptibilis quasi unico actu saltem principali, hoc est, debet res esse talis, ut ejus principalis usus sit ipsa rei consumptio, saltem respectu ipsius utentis, licèt adhuc maneat in rerum natura; tales res sunt panis, vinum, cibus & potus, pharmaca & pecuniæ; quia licèt aliquis talibus etiam uti possit ad ostentationem, avaritiam, &c. tamen earum rerum usus principalis est consumptio, sicuti & ipsa pecunia alienando consumitur, saltem respectu alienantis: vestes autem & similia utensilia, quæ usu teruntur, non dicuntur res usu consumptibiles; quia non consumuntur unico actu.

V. Additur *transfertur in dominium alterius;* et per has particulas mutuum differt à commodato, pignore, deposito & locatione, quibus dominium non transfertur.

Finaliter additur *cum obligatione reddendi ;* & ita mutuum differt à donatione : *aliam rem,* & denotatur non esse obligationem reddendi rem eandem, quamvis eadem reddi possit ex eo, quòd mutuatarius v. g. jam non indiget re mutuatâ : si autem alia reddatur, debet esse *ejusdem speciei,* alioquin non esset mutuum, sed permutatio vel emptio-venditio : debetque esse *ejusdem bonitatis,* ut servetur æqualitas.

Quænam bonitas rei in redditione mutui est attendenda?

R. Rei bonitas seu valor est duplex, unus in se, intrinsecus, alter extrinsecus.

VI. In pecuniis attenditur valor extrinsecus seu pretium à Principe taxatum, non respiciendo ipsum metallum : et ita qui mutuum accepit v. g. 100 patacones, tenetur in pecuniis reddere summam valore extrinseco æquivalentem 100 pataconibus, sive aureos reddat, sive solidos, &c. sive valor interea creverit vel decreverit. Hoc quantum ad justitiam, sepositâ aliâ conventione : honestas etiam facilè aliud postularet, quæ dictat mutuatori reddendum esse id, quod ipsi utilius est, & sine notabili damno mutuatarii præstari potest.

VII. In aliis rebus v. g. granis, cibo, potu, &c. attenditur valor intrinsecus, seu ipsa bonitas rei in se : & ita, qui 100 modios tritici mutuo accepit, tenetur ex justitia 100 modios æqualis bonitatis reddere, sive pretium tritici interea creverit, sive decreverit. Intelligi hæc iterum debent quantùm est ex natura contractûs mutui, seposito alio pacto. Quænam verò pacta licitè adjici possint, ex postea dicendis colligi poterit.

Quinam possunt mutuum dare, & quinam accipere?

VII. R. Mutuum dare possunt, qui rei mutuatæ dominium habent & liberam administrationem, nisi certa lege prohibeantur.

Quantum ad accipientes mutuum, notandum ex Senatûs-consulto Macedoniano, filios-familias cogi non posse ad reddendum mutuum, quod sine consensu patris ipsis datum est, dum adhuc erant sub patria potestate, nisi in casibus quibusdam exceptis, quos vide apud Daelman, qui

etiam notat ex Tuldeno, hoc Senatûs consultum in hac Patria locum habere saltem tunc, dùm mutuator sciebat, filium-familias mutuo abuti ad luxum.

Si Curator vel Administrator Ecclesiæ, civitatis, pupilli, &c. mutuum acceperit pro cliente, mutuator jus non habet pecuniam mutuatam a cliente exigendi, nisi docere possit, pecuniam versam esse in ejus utilitatem: habet tamen mutuator actionem adversùs Curatorem vel Administratorem. Ità lib. 21. digest. tit. 1. lege 27. & lib. 5. codicis tit. 39. lege 3.

No. 41. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE USURÆ.

I. *Usura variè accipitur.* II. *Propriè sumpta definitur:* III. *Lucrum indebitum,* IV. *Immediatè proveniens ex mutuo.* V. *Dividitur in mentalem & realem,* VI. *Apertam & palliatam,* VII. *Compensatoriam,* VIII. *Poenalem* IX. *& lucrosam* X. *Moderatam & excessivam.*

QUID est usura?

I. R. Usura variè accipitur; aliquando enim sumitur pro fructu rei, aliquando pro usu rei, sive bono sive malo: sic homo vivens dicitur habere usuram temporis, usuram lucis, id est, usum.

2°. Usura, prout de ea hìc agitur, sumitur vel pro contractu usurario, vel pro lucro vitioso, quod quis ratione mutui accipit.

Sumpta pro contractu definiri potest: contractus mutui cum expressa, vel tacita obligatione reddendi aliquid indebiti supra sortem.

II. Sumpta verò pro lucro, prout ordinariè accipitur, definiri potest: lucrum indebitum immediatè proveniens ex mutuo.

III. Nomine *lucri* venit quidquid exigitur ultra sortem et aliàs indebitum est, sive illud sit pecunia, sive munera, officia, beneficia, onera, obligationes, &c.

IV. Dicitur *immediatè*, quia si auctarium in mutuo proveniat ratione alterius tituli mutuo extrinseci, putà damni emergentis, lucri cessantis, aut periculi extraordinarii sortis, non est usura.

Similiter usura non est, dum occasione mutui mutuatarius omninò liberaliter aliquid donat mutuatori.

Quomodo dividitur usura?

V. R. A Theologis dividitur 1°. in realem & mentalem. *Mentalis* est sola voluntas accipiendi usuras. *Realis* est lucrum usurarium sub expresso vel tacito pacto acceptum aut accipiendum: si sit acceptum, erit *realis completa:* si verò adhuc sit accipiendum, erit *realis incompleta.*

VI. 2°. Dividitur in apertam & palliatam: aperta est, dum mutuatarius expressè & formaliter obligatur ad solvendam usuram: palliata dicitur, quando lucrum supra sortem solvitur prætextu alicujus speciosi tituli a parte rei non subsistentis.

VII. Ad hæc Juristæ usuram dividunt in compensatoriam, pœnalem & lucrosam. Compensatoria est, qua fit compensatio damni emergentis, lucri cessantis, vel alterius justi tituli, & hæc per se licita est.

VIII. Pœnalis est dum mutuator aliquid exigit ultra sortem a mutuatario in pœnam, quòd fuerit in mora reddendi sortem suo tempore.

IX. Lucrosam dicunt, quæ ante definita est, et quæ sicut & pœnalis, planè illicita est, ùt infra probabitur.

X. 3°. Eam dividunt in moderatam et exessivam: moderata dicebatur jure civili, si non excedebat 12 in 100; aliàs dicebatur excessiva.

Moderata olim fuit tolerata jure communi, ut patet ex variis locis digestorum, et inde male docuerunt illam esse licitam Calvinus & Molinæus, dum exigitur, non a paupere, sed a divite aut mercatore, qui rem familiarem ex pecuniis mutuatis amplificant.

No. 42. QUO JURE USURA SIT PROHIBITA.

I. *Usura prohibita est* II. *Jure naturali,* III. *Positivo divino,* IV. *Canonico,* V. *& civili.*

I. RESP. Usura propriè dicta omni jure prohibita est, hoc est, jure naturali, jure positivo divino, canonico et civili.

II. Eam esse prohibitam jure naturali, ex eo probatur, quia est contra jus naturæ bis vendere idem, vel vendere,

quod non existit aut non est suum: atqui usurarius unum ex his facit: quia vel accipit lucrum usurarium pro re mutuata v. g. pecunia; et tunc vendit bis idem: quia recipit pro eadem pecunia sortem & auctarium ejus.

Vel accipit lucrum pro usu rei mutuatæ, et tunc vendit, quod non existit, vel quod suum non est; vendit, quod non existit, quia in re usu consumptibili, ipse usus absolutus & independens non distinguitur ab ipsa re, hoc est, non æstimatur, nec compensatur seorsim à re ipsa: vel si distingui possit, vendit quod non est suum: quia vendit usum rei non suæ, utpote cujus dominium in mutuatarium transtulit.

III. Usura etiam prohibita est jure positivo divino, tam veteri quàm novo; Psalm. enim 14. v. 1. quærit Propheta: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo?* et respondet v. 5. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et Lucæ cap. 6. v. 35. dicit Christus: *Mutuum date, nihil inde sperantes:* unde Conc. Lateran. III. pronuntiat: *Usuram utriusque testamenti pagina detestatur.*

IV. Usura manifestè prohibetur jure Canonico, ut patet ex loco statim citato: item Clementinarum lib. 5. tit. 5 cap. unico dicitur: "Si quis in illum errorem inciderit, ut "pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non "esse peccatum, decernimus eum veluti hæreticum esse "puniendum."

V. Usuras etiam prohibitas fuisse jure civili, videtur ex eo colligi, quòd usurarios habuerit tanquam infames. Edicta Belgica etiam usuræ vitium prohibent, ut edictum 10 Aprilis 1510, 3 Januar. 1545, 8 Maii 1606.

Obj. I. Licet aliquid exigere pro usu domûs, agri, &c. ergo etiam pro usu rei mutuatæ.

R. Negando conseq. Disparitas est quòd in priori casu non transfertur dominium, sicuti in posteriori casu: unde mutuator non potest aliquid exigere pro usu rei mutuatæ, quia usus rei pertinet ad eum, cujus est res.

Nec dicatur, mutuatorem etiam posse reservare dominium rei mutuatæ, concesso solo ejus usu: negatur enim id fieri posse; in rebus enim unico actu consumptibilibus usus absolutus et independens, qualis in mutuo conceditur, non distinguitur à dominio, ut dictum est Num. 34. *de Jure et Justitia.*

Quòd si dicas posse concedere usum dependentem et revocabilem, quem loco citato diximus à dominio distingui,

R. Imprimis id esse extra quæstionem, cùm tunc non sit ampliùs mutuum, de cujus ratione est, ut transferat dominium simul et usum: præterea plus perderet mutuator in hoc supposito, quàm lucraretur; nam posset tantùm aliquid recipere pro usu revocabili, quem concedit, et nil pro dominio, quod sibi reservat, adeoque minùs deberet recipere, quàm contulit; nam usus facti revocabilis per se minùs æstimabilis est, quàm dominium.

Obj. II. Mutuator non tenetur dare mutuum: ergo dum illud facit in gratiam alterius, qui inde lucrum percipit, justè participare potest de eodem lucro.

R. Neg. conseq. quia ob gratiam sibi factam obligatur quidem mutuatarius etiam ad invicem gratiam reddendam mutuatori ex virtute gratitudinis, sed non ad solvendas usuras aliquo pacto.

Obj. III. Scienti et volenti non fit injuria: ergo si mutuatarius consentiat in auctarium, non fiet ipsi injuria.

R. Dist. ass. Plenè volenti non fit injuria, conc. ass. Non plenè volenti, nego ass. Jam autem mutuatarius non est plenè volens; consentit enim vel ex metu, vel ad redimendam vexam, &c.

Obj. IV. Leges civiles permittunt usuras, ac etiam usurariis ad eas exigendas dant actionem, ut videre est lib. 4. codicis tit. 32: ergo, &c.

R. Neg. conseq. Ratio est, quòd jus civile tantùm toleraverit usuras ad evitanda majora mala, non verò approbaverit ut licitas, ut patet ex constitutione 83. Leonis imperatoris, quæ sic habet: "Qui antea usurarum spe ad "mutuandum pecuniam prompti fuerant, post latam "legem, quòd nil lucri ex mutuo percipere possint, in "eos qui pecuniis indigent, difficiles ac immites fuerunt; "et sic propter redundantem in humana vitia perver- "sitatem, non modò non profuit legis virtus, sed obfuit: "quamquam igitur ex se legem culpare (quod quidem "etiam absit) nequeamus, propterea tamen quòd humana "natura ad illius sublimitatem non perveniat, egregium "illud præscriptum abrogamus."

Cæterum si quædam leges civiles permiserint usuras propriè dictas, illæ per jus canonicum correctæ sunt.

N. 43. DE ALIIS TITULIS FICTIS, SEU PALLIIS USURÆ.

I. *Tituli ficti.* II. *Labor mutuandi.* III. *Ordinaria difficultas recipiendi sortem.* IV. *Carentia pecuniæ.* V. *Obligatio non repetendi sortem ad tempus.* VI. *Utilitas pecuniæ præsentis.* VII. *Debitum gratitudinis.*

I. TITULI sive prætextus, sub quibus usuram palliare conantur, numerantur etiam sequentes:

1°. Labor mutuandi pecunias.

2°. Imaginaria difficultas recipiendi summam capitalem.

3°. Carentia pecuniæ.

4°. Obligatio non repetendi sortem ad certum tempus.

5°. Utilitas pecuniæ præsentis major, quàm absentis, &c.

An licet aliquid exigere ultra sortem pro labore mutuandi?

II. R. Negativè: quia labor ordinarius, intrinsecus omni mutuo, non magis est pretio æstimabilis, quàm actio sive labor donandi, vendendi, &c. similia enim constituunt essentiam talium contractuum.

Si obeundus foret labor aliquis extraordinarius ad numerandum, scribendum obligationes, &c. deberet mutuatarius mutuatorem servare indemnem; sed talia mutuo extrinseca sunt.

An licet aliquid exigere in mutuo ob difficultatem recipiendi summam capitalem?

III. R. Non licet ob difficultatem ordinariam, vel illam, quam quis sibi imaginatur, v. g. quod sors in manibus mutuatarii non sit æque salva, quàm in manibus propriis, quòd mutuatarius possit bello, fulmine aut aliis infortuniis depauperari, &c. ratio est, quia in aliis negotiis aut contractibus talia merè possibilia non solent movere hominem prudentem: neque propterea omitteret quis vendere dilatâ solutione, ob quam solam tamen non licet vendere pluris, ut dictum est N. 29.

Licetne aliquid recipere in mutuo ratione absentiæ seu carentiæ pecuniæ suæ?

IV. R. Negativè; patet ex condemnatione propositionis 41. per Innocentium XI. quæ sic habet: "Cum "numerata pecunia pretiosior sit quam numeranda, &

" nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem " quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à " mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari."

Ratio est pecuniam absentem & præsentem ejusdem esse valoris sepositis extrinsecis, damno emergente, lucro cessante, periculoque extraordinario sortis.

V. Eodem modo obligatio non repetendi sortem intra certum tempus, titulus non est exigendi aliquod auctarium: id etiam probat condemnatio propositionis 42. ab Alexandro VII. " Licitum est mutuanti aliquid ultra sor- " tem recipere, si se obliget ad non repetendam sortem " usque ad certum tempus."

VI. Vanus etiam titulus est imaginaria utilitas pecuniæ præsentis; sepositis enim extrinsecis mutui, pecunia præsens ac absens æquè utilis, seu potius inutilis est mutuatario.

An licitum est ratione mutui aliquid exigere tanquam debitum, non ex justitia, sed ex gratitudine, benevolentia, honestate, &c.?

VII. R. Negativè, ut constat per condemnationem propositionis 42. per Innocentium XI. " Usura non est, " dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevo- " lentia aut gratitudine debitum, sed solum si exigatur " tanquam ex justitia debitum."

Ratio est, idem esse, ex quacumque obligatione detur auctarium, modò detur sine titulo justo. Præterea si id liceret, facilè omnes usuræ excusarentur, & ipsi usurarii parùm curabunt, sive ex gratitudine sive ex justitia detur.

Docet tamen S. Thom. quæst. 78. art. 2. ad 2. in mutuatario oriri quamdam obligationem amicitiæ, scilicet *spontaneam;* unde ad 3. dicit; " Si munus ab obsequio " vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed " ex benevolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non " cadit, licet hoc exigere, accipere & expectare."

Dicit autem *exigere & expectare,* non quasi mutuator aliquod, licet tenue, jus prætendere posset, sed expectando & exigendo à mutuatario tanquam ab amico, qui pro mutuo accepto, gratiam liberaliter & libenter reddit.

N. 44. DE TITULIS USURÆ DISPUTATIS.

I. *Tituli disputati*, II. *Obligatio frequentandi officinam*, III. *Remutuandi*, IV. *Dandi beneficium*, V. *Agendi quod debet.* VI. *Fructus percipiendi*, VII. *Exceptio.* VIII. *Appositio pœnæ*, IX. *Sub certis conditionibus*, X. *Pactum legis commissoriæ.*

I. AN est usura dare mutuum sub obligatione, ut mutuatarius teneatur frequentare officinam mutuatoris?

II. R. Cum Daelman probabilius affirmativè: quia talis obligatio indebita est; dicere autem, mutuatarium ad id obligari ex gratitudine, non est generaliter verum, cum possint esse alii, quibus magis obstringetur: & quamvis tales non essent, equidem illa obligatio non potest deduci in pactum, sed gratitudo debet esse libera.

An est usura mutnum dare eâ conditione, ut mutuatarius mutuatori remutuet?

III. R. Juxta S. Thom. art. 2 ad 4: "Licet mutuanti "unum, simul aliquod aliud mutuum recipere, non autem "licet eum obligare ad mutuum inposterum faciendum." Hinc licitum videtur mutuare sub conditione, ut alter remutuet *statim* aliam rem, quam sine incommodo mutuare potest; quia tunc nulla obligatio imponitur.

Sed si adjiciatur pactum, quo mutuatario injicitur onus remutuandi *inposterum*, dum mutuator petet, erit usura; quia tale onus est pretio æstimabile & indebitum.

An est usura, si detur mutuum sub conditione, ut mutuatarius teneatur mutuatori aut ejus amico conferre beneficium Ecclesiasticum, officium sæculare aut aliquid simile?

IV. R. Affirmativè; si injiciatur obligatio mutuatario: & quidem in casu beneficii est etiam simonia; quia in illo casu mutuum, quod est temporale, ad minus motivum est conferendi spirituale, adeoque committitur simonia, ut constat ex propositione 55. damnata ab Innocentio XI.

Si nulla injiciatur obligatio, sed petatur officium aut beneficium à mutuatario tanquam ab amico, per se loquendo id posset esse licitum: sed tamen in praxi vix admittendum; quia, ut ait Wiggers, hæc pacta amicitiæ circa officia vel beneficia conferenda ratione mutui speciem mali habent, & facilè sub illis usura & simonia pallian-

tur. Et sanè, actiones hujusmodi cum formali stipulatione apprehenduntur ex natura sua plus obligationis inducere, quàm amicitiæ & gratitudinis leges per se adferunt, etiamsi verbis fiat protestatio de præstandis omnibus tantùm ex amicitia. Unde etiam in foro externo similia pacta condemnarentur, tanquam usuraria & simoniaca.

Licetne mutuo adjicere pactum, ut mutuatarius faciat id, ad quod ex justitia tenetur?

V. R. Affirmativè: nam tunc non imponitur nova obligatio, sed mutuator tantùm redimit injustam vexam mediante mutuo, vel tantùm inducit ad agendum id, ad quod alter tenetur: ita licet dare mutuum cum pacto, ut alter solvat debita, desistat ab injusta lite, restituat injuste ablata, &c. aliud foret, si vellet novam prorsùs obligationem à priori distinctam injicere, ut si mutuatarium vi mutui obligaret ad jurandum se satisfacturum debito.

Utrum verò sit usura, si mutuans vi mutui obliget mutuatarium ad id, ad quod solum tenetur ex charitate, vel ex alia virtute distincta à justitia, dubitatur: existimat Billuart usuram esse si per hoc pactum mutuans intendat propriam utilitatem: secus si tantum intendat utilitatem mutuatarii, v. g. ut avertatur à peccatis; quia tunc illa obligatio non debet censeri mutuatario onerosa nec pretio æstimabilis.

An, dum mutuatarius in assecurationem sortis dat mutuatori pignus frugiferum, mutuator fructus pignoris sibi retinere potest supra sortem, quam postea recipiet?

VI. R. Negativè: pignus enim manet mutuatarii, adeoque ipsi fructificat: unde mutuans retinendo fructus, lucraretur ex mutuo.

VII. Duo tamen casus excipiuntur in jure, quibus licet accipere fructus pignoris salvâ sorte: primus est, si feudatarius habeat mutuum à Domino directo, vel aliquid aliud ipsi debeat, & in assecurationem ipsi tradet feudum pro pignore, fructus pignoris cedunt Domino directo jure sic interpretante, feudum sub tali conditione collatum esse: ita lib. 3. decret. tit. 20. capitul. 1. Idem statuit de emphyteusi Alexander III. cap. CONQUÆSTUS *de Usuris*.

Alter casus habetur l. 5. decret. t. 19. c. 16. quo gener potest percipere fructus pignoris, quod ipsius socer in assecurationem dotis postea numerandæ dedit, jure interpretante, socerum illos fructus dare liberaliter.

An liceat mutuatori inire pactum cum mutuatario ut, si præfixo tempore non reddat sortem, in pœnam suæ moræ solvat v. g. quinque in centum?

VIII. R. Sepositis titulis extrinsecis lucri cessantis, damni emergentis, &c. Daelman aliique id sustinent illicitum: Steyaert dicit esse periculosum. Accedit, in foro externo appositionem pœnæ haberi usurariam. Interim plures alii sustinent, licitè posse apponi pœnam de consensu utriusque, servatis tamen conditionibus sequentibus.

IX. Prima est, ut mutuatarius fuerit in mora culpabili reddendi sortem; quia sine culpa non potest infligi pœna; hinc mutuatarius sine sua culpa factus impotens solvendo, ad nihil tenetur.

Secunda; Debet pœna esse moderata & proportionata culpæ.

Tertia: Debet mora esse notabilis; quia unus aut alter dies non est ratio, ob quam mutuatarius debeat saltem totâ pœnâ puniri.

Quarta: Debet esse recta intentio mutuantis, hoc est, ut non apponatur pœna animo usurario, sed unicè ad excitandam diligentiam mutuatarii. Pravæ intentionis signa sunt, si mutuator mallet mutuatarium potius incurrere pœnam, quàm statuto tempore reddere sortem. Si non curet, an mutuatarius possit solvere vel non solvere, modò ipse accipiat lucrum pœnæ. Si de industria talem terminum reddendi præfigat, quo scit aut suspicatur, mutuatarium non fore in statu solvendi, &c.

Quid dicendum de pacto legis commissoriæ in pignore, quo mutuatarius aut aliter debitor obligatur cedere pignus creditori, si non solvat statuto tempore?

X. R. Pactum hoc tam jure civili quàm canonico est prohibitum: an verò etiam jure naturali prohibitum sit, disputatur: existimant Sylvius, Billuart, &c. jure naturæ licitum esse, si serventur conditiones pœnæ conventionalis supra dictæ.

An hic contractus est usurarius: Joannes mutuat Petro centum aureos ad decem annos sub hoc pacto, ut, si intra decem annos alteruter moriatur, Petrus mutuatarius sit liber: si autem ambo supervixerint, Petrus debeat reddere quinquaginta ultra sortem?

Respondent Sylvius, Billuart aliique negativè; quia non est propriè contractus mutui, cum mutuatarius non

obligetur reddere sortem, nisi conditionatè; potestque vocari contractus innominatus, *do ut des*. Deinde in illo contractu justitia servari potest, dum auctarium, quod Joannes accipit, non superat periculum amittendæ sortis.

N. 45. DE TITULIS VERIS ACCIPIENDI AUCTARIUM.

I. *Tituli veri.* II. *Damnum emergens.* III. *Lucrum cessans.* IV. *Conditiones servandæ.* V. *Casus.*

I. TRES communiter assignantur tituli, ob quos mutuatori licet aliquid exigere supra sortem, scilicet damnum emergens, lucrum cessans, & periculum extraordinarium sortis.

Justitia horum titulorum in eo fundatur, quòd mutuator qui mutuat in gratiam mutuatarii, subire non debeat aliquod damnum vel onus pretio æstimabile, cùm beneficium non debeat nocere benefactori.

Quodnam dicitur damnum emergens?

II. R. Est detrimentum, quod quis patitur in rebus propriis & habitis, seu in rebus, quas actu habebat ante detrimentum, v. g. si defectu pecuniæ, quam mutuo dedit, collabentem domum reparare non possit, vel pro ea reparanda res suas viliori pretio vendere cogatur.

III. Lucrum cessans dicitur, nocumentum quod aliquis patitur in rebus habendis seu speratis : v. g. si defectu pecuniæ, quam mutuo dedit, non possit negotiari, ex quo pingue lucrum obtinuisset vel non possit emere agrum, ex quo fructus percepisset.

Quænam conditiones requiruntur, ut ratione damni emergentis aut lucri cessantis liceat aliquid ultra sortem exigere?

IV. R. Prima est, ut mutuum sit verè causa damni emergentis aut lucri cessantis : unde non est titulus, si facilè alias pecunias habere possis ad evadendum nocumentum.

Secunda : Debet lucrum aut damnum esse verisimile, & non purè imaginarium : item debet occasio lucrandi aut periculum damni moraliter esse præsens & pretio æstimabile : unde non sufficit lucrum aliquod vel damnum merè possibile.

Tertia : Non potest mutuator plus exigere, quàm valet

spes lucri aut periculum damni, quæ attentis omnibus moraliter sunt consideranda.

Quarta: Passim Authores requirunt, ut compensatio lucri cessantis non exigatur statim dato mutuo: quia in mutuanti 100 statim reddantur pro lucro cessante 10, non mutuavit 100, sed tantùm 90: unde postmodum exigendo 100 committeret injustitiam.

Quinta: ut præmoneatur mutuatarius, seu potiùs ab initio pactum ineatur de ejusmodi damno aut lucro cessante compensando; alioquin ad nil tenebitur mutuatarius, saltem ex justitia.

Ratio est, contractum mutui esse gratuitum, exceptâ obligatione reddendi sortem, adeoque omnia in eo contenta censentur gratuita, secluso pacto in contrarium. Deinde mutuatarius forte noluisset accipere mutuum sub tali onere, vel forte potuisset ab alio accipere sine tali onere. Postremò mutuatario relinqui debet libertas in se suscipiendi onus aut periculum, v. g. ponendo hypothecam, fidejussorem, &c.

Excipe tamen 1°. Si mutuatarius, qui est vir magnæ authoritatis vel princeps, cogat mutuatorem mutuum dare; tunc enim cogendo esset causa damni per injuriam, quæ supplet pactum: 2°. Si mutuatarius sit in mora culpabili reddendi sortem; illa enim mora culpabilis censetur habere vim contractûs taciti, ex quo mutuatarius obligatur de omni eventu inde secuto, ut colligitur ex lib. 4. digest. *de eo, quod certo loco.*

Potest autem illud pactum de damno aut lucro compensando iniri dupliciter: 1°. Nil certi determinando, sed sic, ut mutuatarius teneatur compensare tantum, quantum eveniet; & si nullum eveniat, ad nil teneatur.

2°. Iniri potest sic, ut determinetur aliquid certum et moderatum solvendum à mutuatario pro damno emergente aut lucro cessante incerto: et hoc etiam justè fieri potest, modò attendatur valor et æstimatio moralis spei lucri et periculi damni.

Joannes mutuat Petro mille, quos habebat otiosos, nec destinaverat ad lucrum, nisi quòd in ipsa mutuatione cogitet de lucro faciendo: an justè potest exigere auctarium?

V. R. Negativè: quia cogitatio de lucro sic faciendo non est nisi in fraudem, sive est cogitatio de lucro imaginario et mere possibili; adeoque deficit secunda conditio supra requisita.

Joannes mutuat 1000; quibus negotiando ad summum lucratus fuisset 10 in 100, quantùm exigere potest ratione lucri cessantis?

R. Non potest exigere 10 in 100, sed quanti valebat spes lucri faciendi, adeoque forte 5, 6, 7, vel 8 in 100.

Objicitur adversùs prædicta S. Thom. q. 78. art. 2. ad 1. dicens: "Recompensationem damni, quod considera-"tur in hoc, quòd de pecunia non lucratur, non possit in "pactum deducere; quia non debet vendere id, quod "nondum habet, et potest multipliciter impediri ab ha-"bendo:" ergo mutuator nil potest exigere ratione lucri cessantis.

R. Neg. conseq. quia S. Thom. tantùm loquitur de lucro remoto, seu mere possibili, non de lucro verisimili et pretio æstimabili: vel vult S. Thom. mutuantem non posse exigere totum lucrum, quod sperabat, ad æqualitatem; quia lucrum in spe minùs valet, quam lucrum in re. Deinde mens S. Thom. satis patet 2. 2. quæst. 62, art. 4. in *Corp.* ubi dicit: "Debet compensari damnum, "si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod "erat in via habendi: et tale damnum non oportet re-"compensare ex æquo; quia minus est aliquid habere in "virtute, quàm habere actu."

No. 46. DE PERICULO SORTIS.

I. *Periculum sortis.* II. *Ordinarium,* III. *Et extraordinarium.* IV. *Hoc est titulus exigendi auctarium.* V. *Sub certis conditionibus.*

I. PERICULUM sortis distinguitur in ordinarium et extraordinarium.

II. Ordinarium est mutuo intrinsecum; et consistit in eo, quòd aliquis careat præsentiâ pecuniæ suæ, quòd res mutuatarii possint incendio, &c. perire. Hoc periculum non est pretio æstimabile, cùm non sit probabile, sed remotum et merè possibile. Deinde hoc periculum satis compensatur per hoc, quòd periculum interitûs rei mutuatæ transit ad mutuatarium.

III. Periculum extraordinarium est mutuo extrinsecum, estque illud, quod affert metum probabilem nunquam recuperandi sortem, aut saltem non sine notabili difficultate, v. g. quia mutuatarius est pauper, dubiæ fidei, lusor, prodigus, exercet commercium periculosum in mari, &c.

An periculum extraordinarium sortis est justus titulus exigendi aliquid supra sortem?

IV. R. Affirmativè, estque communis, et ut videtur, practicè certa sententia; quia periculum hoc est pretio æstimabile, æque ac periculum damni emergentis: si enim amitteretur sors, esset mutuanti damnum emergens: ergo periculum amittendæ sortis est periculum damni emergentis: jam autem omnes admittunt aliquid posse exigi pro periculo damni emergentis: ergo, &c.

Hinc notat Steyaert in appendice ad Wiggers, omnia ferè argumenta contra pactum de periculo extraordinario, moveri similiter posse contra pactum de periculo damni emergentis vel lucri cessantis.

V. Sunt interim quædam conditiones servandæ, ut hoc titulo mutuator justè paciscatur de auctario.

Prima: Ut periculum sit verum, non fictum et probabiliter imminens, non commune et ordinarium.

Secunda: Ut mutuator non exigat plus, quàm prudentum judicio periculum æstimatur.

Tertia: Ut mutuatario relinquatur libertas in se suscipiendi periculum, si velit et possit, ponendo v. g. hypothecam aut fide-jussorem.

Ubi mutuatarius est omnino pauper, charitas obligat, vel ad dandam eleēmosynam loco mutui, quando ejus indigentia gravis est; vel ubi mutuum sufficit, ad dandum saltem sine auctario, non obstante periculo sortis.

Objicitur famosum capitulum NAVIGANTI L. 5. Decret. tit. 19. in quo dicit Gregorius IX.: "Naviganti vel eunti "ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro "eo quòd in se suscipit periculum aliquid recepturus, "usurarius est censendus:" ergo, &c.

R. Quidam dicunt, legi debere: *usurarius non est censendus*: quod colligunt ex verbis immediatè sequentibus: *Ille quoque qui dat decem solidos, &c. non debet ex eo usurarius judicari*: ubi particula *quoque* adstruit conformitatem secundæ enuntiationis cum priore.

Alii dicunt, Pontificem tantùm loqui de periculo ordinario et communi, quale communiter est in navigante vel eunte ad nundinas.

Tandem aliqui respondent, Pontificem agere de eo, qui affectat dare mutuum, et in se vult periculum suscipere, non relinquens libertatem mutuatario ponendi fidejussorem, hypothecam, &c. adeo ut mutuatarius quc-

dammodo cogatur pacisci de periculo sortis, quod est illicitum.

Obj. II. Fur ad nihil tenetur ratione periculi extraordinarii, cui rem furtivam exposuit: ergo nec mutuatarius.

R. In primis hoc argumentum etiam militat contra periculum damni emergentis, quod tamen omnes admittunt esse justum titulum.

2°. Disparitas est in casu furis inter Dominum et furem, non præcessisse pactum de assecurando periculo extraordinario, quale pactum supponitur intercessisse inter mutuatorem et mutuatarium.

Inst. Violentia, seu injuria juris supplet pactum: ergo manet paritas.

R. Dist. ass. violentia supplet pactum necessarium, sive quoad damna realia, concedo ass. Supplet pactum liberum, sive quoad periculum damni, nego ass. Dicendum itaque violentiam quidem supplere pactum pro damno realiter secuto, et lucro realiter cessante, sed non pro periculo eorumdem. Patet evidenter in periculo damni emergentis, quod secluso pacto, neque fur neque violentus mutuatarius tenetur compensare. Vide latiùs Daelman.

No. 47. DE RESTITUTIONE USURARUM.

I. *Usurarius tenetur restituere sicut fur.* II. *De dominio usurarum.*

AD qualem restitutionem tenetur usurarius?

II. R. Tenetur sicut fur, vel malæ fidei possessor: hinc juxta S. Thom. q. 78. art. 3. in *Corp.*

Tenetur 1°. restituere res per usuram extortas, vel iis non exstantibus, æquivalens.

2°. Si res usurariæ apud ipsum sint melioratæ, debet eas restituere cum omni melioratione.

3°. Debet restituere lucrum cessans et damnum emergens, aliaque quæ patitur ille, à quo res usurariæ sunt extortæ.

4°. Si res usuraria sit frugifera, ut domus, ager, &c. debet usurarius restituere omnes fructus ex tali re perceptos, naturales, civiles et mixtos, non tamen merè industriales. Vide latiùs N. 49. et seq. *de Jure et Justitia.*

Quibus debent res usurariæ restitui?

R. Iis, à quibus sunt extortæ, vel eorum hæredibus, vel his non superstitibus (hoc est diligenter inquisitis et non inventis) erogari debent pauperibus aut aliis piis causis. Vide N. 61, *de Jure et Justitia.*

An res usurariæ transeunt in dominium usurarii?

II. R. Per se loquendo negativè, non magis, quàm res furtivæ transeunt in dominium furis.

Titulo tamen contractûs validi, v. g. emptionis infra justum pretium ob anticipatam solutionem, res contractûs transit in dominium usurarii sic contrahentis.

Per accidens etiam, ut res furtivæ, ita usuræ transire possunt in dominium usurarii, scilicet per confusionem aut commixtionem cum rebus usurarii.

Certum interim manet, usurarium teneri ad æquivalens istarum rerum: et ille, à quo res extortæ sunt, habet non tantùm jus ad rem, sed etiam jus in re ad totum cumulum, cui res suæ admixtæ sunt, ut inde extrahat tantùm, quantum de suo admixtum est.

Hæredes usurariorum ad restitutionem teneri, certum est: sed non ita certum, an hæredes usurarii (idem est de hæredibus cujuscumque alterius debitoris) teneantur in solidum, hoc est, uno hærede deficiente, alter teneatur ad totum?

R. Affirmat Sylvius cum antiquioribus Canonistis: negant Cajetanus, Pontas, Collet, Billuart et plures alii, qui dicunt, quemlibet hæredem tantùm teneri ad partem, juxta portionem, quam ex hæreditate accepit, nisi bona hæreditatis fuissent pro istis debitis hypothecata, vel hæredes delicto defuncti cooperati fuissent, vel ex parte læsi facta sit contra defunctum litis contestatio ante ejus mortem. Vide latiùs dictos Authores.

No. 48. DE COOPERANTIBUS USURÆ.

I. *Cooperantes usuræ.* II. *Licet petere mutuum a mutuaturo sub usura.* III. *Deponens pecuniam apud usurarium.*

QUINAM tenentur ad restitutionem usurarum tanquam cooperantes?

I. R. Omnes illi, qui efficaciter influunt in usuras fovendo, adjuvando, &c. qui omnes, deficiente usurario,

tenentur ad restitutionem in solidum; quia sunt causa efficax damni; et idem est, sive acceperint aliquod commodum sive non.

Tales sunt negotiorum gestores seu proxenetæ usurariorum, famuli, qui præsunt mensæ usurariæ, notarii, qui conscribunt contractus usurarios, &c.

Addit Sylvius, ad restitutionem teneri Magistratus, Judices aut Principes, qui per sententiam, statutum aut legem in causa sunt, quòd fœneratores exigunt usuras, vel non restituunt, vel etiam efficiunt, ut mutuatarii repetere non possint usuras solutas.

Qui in republica tolerant usurarios ad evitanda majora mala, ex hoc capite non sunt culpandi, modò adsit sufficiens ratio, ob quam se possint habere permissivè.

An licet accipere vel petere pecuniam mutuò sub usura?

II. R. Nunquam licet inducere aliquem ad mutuandum sub usura; quia hoc foret ipsi præbere occasionem peccandi, adeoque peccatum scandali.

Licet tamen ex justa causa mutuum petere ab illo, qui prævidetur non mutuaturus nisi sub usura; quia petitur res de se licita, et quam mutuator licitè præstare potest: quòd autem ipse peccet exigendo usuras, provenit ex malitia ipsius, ad quam petens se habet permissivè ob justam causam, v. g. suum vel alterius sublevamen, cui aliter sine incommodo subvenire non potest.

Obj. I. Dare mutuum ad usuram est intrinsecè malum; ergo non licet petere mutuum à mutuaturo sub usura, sicuti non licet petere ab alio ut mentiatur, furetur, &c. quia sunt intrinsecè mala.

R. Negando consequent. Disparitas est, quod mentiri et furari sunt secundùm se mala, adeoque licitè peti non possunt: sed mutuum dare est secundùm se licitum, et tantum vitiatur in casu ratione circumstantiæ modi mutuationis, nempe quòd fiat sub usura, ad quod petens se habet permissivè.

Obj. II. Non licet petere juramentum à pejeraturo, nec solutionem maleficii ab illo, qui prævidetur soluturus novo maleficio, licèt ageretur de notabili commodo petentis: ergo nec in casu.

R. Negando conseq. in primis disparitas est in casu perjurii, finem petendi juramentum deficere, cùm ex perjurio veritas occulta non deveniat in notitiam, sicque de-

ficit justa ratio. In casu verò maleficii, quod alio maleficio prævidetur solutum iri, acciperetur beneficium à dæmone: non est autem licitum à dæmone beneficia recipere, cùm ea omnia nocentiora sint vulneribus; bene verè ab hominibus, etiam peccatoribus, ut fit in casu mutui usurarii.

An licet pecuniam suam deponere apud usurarium?

III. R. cum S. Thom. quæst. cit. art. 4. ad 3: "Si
" quis committeret pecunias suas usurario non habenti
" alias, unde usuras exerceret, vel hâc intentione com-
" mitteret, ut inde copiosiùs per usuram lucraretur, daret
" materiam peccandi, unde et ipse esset particeps cul-
" pæ: si autem aliquis usurario alias habenti, unde usu-
" ras exerceat, pecunias suas committat, ut tutiùs serven-
" tur, non peccat, sed utitur homine peccatore ad bonum."

No. 49. DE PŒNIS USURARIORUM.

I. *Pœnæ usurariorum publicorum.* II. *Notanda à Confessariis.*

QUÆNAM sunt usurariorum pœnæ?

I. R. In usurarios manifestos, seu publicos publicitate juris aut facti, statutæ sunt pœnæ præcipuè sequentes;

1°. Infamia, & ex consequenti irregularitas: hinc similes inhabiles sunt ad beneficia & officia.

2°. Privatio Sacræ Communionis.

3°. Privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ.

4°. Non admittuntur ad oblationes super Offertorio Missæ faciendas.

Notandum tamen, Pastores non debere has pœnas infligere, nisi post sententiam Judicis, vel consulto hac super re Episcopo seu Ordinario.

5°. Testamentum usurarii manifesti, si prævię usuræ non sint solutæ, aut præstita sit debita cautio de solvendis, nullum est, ut dictum est agendo *de Testamentis.*

Denique pro Clericis statuta est suspensio ab officio & beneficio, & pro Laïcis excommunicatio, sed utrobique tantùm sententiæ ferendæ.

Pro Confessario usurarii notanda sunt sequentia.

II. 1°. Non licet usurarium manifestum absolvere, nisi priùs publicè, quoad potest, restituat, vel saltem publicè,

v. g. inter testes, cautionem præstat de usuris restituendis.

2°. Si sit in articulo mortis, & sit paratus ea præstare, sed tempus non patiatur moram, debet jurare, se ea præstiturum; & ita admitti poterit ad confessionem & absolutionem.

3°. Non est satis, usurarium dare aliqua millia pauperibus aut aliis piis causis; sed debet restitutio usurarum, quantùm possibile est, fieri illis ipsis, à quibus extortæ sunt, vel eorum hæredibus.

Denique notandum, usuram esse satis frequentem apud mercatores & divites: & si Confessarius peritus sit, eosque accuratè interroget, multos illius reos deprehendet, qui minimè fortè se reos putabant.

N. 50. DE CONTRACTU MOHATRA, EMPTIONE CUM PACTO REDIMENDI, &c.

I. *Contractus mohatra* II. *Est usurarius.* III. *Propositio damnata.* IV. *Emptio cum pacto redimendi.* V. *Regulariter est illicita.* VI. *Non tamen venditio cum pacto retrovendendi.*

QUID est contractus mohatra?

I. R. Contractus hic continet duos alios partiales contractus emptionis-venditionis, sic ut in prima venditione imponatur obligatio ineundi secundam; quod fit hoc modo: Joannes indigens pecuniis, petit à Petro mutuum: Petrus vult quidem juvare Joannem, sed cum suo lucro: unde dicit Joanni: ecce vendo tibi, v. g. hunc equum, vel hunc agrum creditò, ut solvas post annum pretium summum v. g. centum florenos, & tamen mihi eandem rem statim revendas pretio infimo, putà nonaginta florenis, quos ego statim tibi numerabo.

Singulus ex his duobus contractibus seorsim consideratus est licitus; quia licet vendere pretio summo, & emere pretio infimo.

II. Sed dum illi contractus ineuntur cum eodem simul, & de industria, degenerant in virtuale mutuum usurarium; nam non initur in casu emptio-venditio, ut Joannes acquirat sibi rem emptam, sed ut Joannes sub titulo talis emptionis obtineat pecuniam mutuam sibi necessariam.

III. Hinc Innocentius VI. damnavit sequentem propositio-

nem: "Contractus mohatra licitus est, etiam respectu "ejusdem personæ, & cum contractu retro-venditionis "prævie inito cum intentione lucri."

Quidam propositionem damnatam evitari putant, si ineantur isti duo contractus absque eo, quòd injiciatur emptori obligatio revendendi; vel injiciatur quidem illa obligatio, sed intantùm diminuatur de pretio in priori venditione, quanti moraliter æstimatur onus obligationis injectæ: sed dicendum cum Daelman, propositionem, prout jacet, condemnare semper contractum mohatra, quandocumque initur cum contractu retro-vendendi cum intentione lucri.

Ex his collige, ex pluribus contractibus seorsim licitis exurgere posse unum usurarium, præsertim si plures illi non casu, sed ex industria & pacto quodam in unum junguntur.

1°. Dictum est supra: *dum illi contractus ineuntur cum eodem;* quia cum diversis personis sine usura duplex ille contractus iniri potest, scilicet cum una contractus emptionis, & cum altera venditionis.

2°. Dictum est *de industria;* quia dum merè per accidens & diverso tempore cum eadem persona contractus illi ineuntur, usura ab illis abesse potest.

An licet emere rem cum pacto, ut venditor illam in gratiam emptoris redimere teneatur?

IV. R. Daelman, Billuart aliique dicunt, contractum illum in casu quodam metaphysico posse esse licitum; at esse maximè periculosum, nec in praxi admittendum.

V. Ratio est, quòd sub tali contractu omnis ferè usura posset palliari: sic v. g. si Joannes emat à Petro agrum 1000 florenis, & Petrum habet obligatum, ut post 5 annos redimat eundem agrum refuso pretio, & Joannes interim fructus percipiat; manifestum est, hoc non esse nisi virtuale mutuum usurarium; & fructus esse pro auctario sortis.

Sub certis tamen conditionibus contractus hic posset esse licitus, cùm sit veri nominis emptio-venditio, quâ emptor acquirit dominium rei, ejusque periculum subit: sed cùm injiciatur onus venditori, deberet illud ab emptore compensari, item redemptio adæquari valori rei prout tunc erit; item deberet emptor non intendere lucrum, sed fructus perceptos computare in partem solutionis faciendæ, &c. quæ omnia non nisi in casu metaphysico practicè observabuntur.

VI. Licitus tamen est contractus venditionis cum pacto retro-vendendi in gratiam solius venditoris, seu licitum est mihi vendere rem obligando emptorem, ut eandem mihi revendat intra certum tempus: ut constat ex communi praxi & legibus, secundùm quod census hodiedum creari debent redimibiles ex parte venditoris. Sic etiam voluit Deus Levit. cap. 25. ut populus Israel haberet facultatem redimendi suas possessiones.

Ratio idem probat, cùm quisque sit arbiter rei suæ vendendæ juxta modum placitum, dummodo servetur justum pretium, & non agatur contra leges.

In hoc pacto iterum cavendum, ne fiat ad palliandam usuram, debetque res vendi minoris; quia gravamen retro vendendi, quod emptori imponitur, est pretio æstimabile.

N. 51. DE MONTIBUS PIETATIS.

I. *Montes pietatis*, II. *Italici, Belgici & mixti.* III. *Sunt liciti.*

QUID sunt montes pietatis?

I. R. Per montes pietatis intelligitur quædam collectio sive acervus pecuniarum, aliarumve rerum usu consumptibilium in finem, ut pauperes, necessitate urgente, inde mutuum accipiant sub aliquo pignore.

II. Hi montes sunt multiplicis generis: quidam sunt ex eleēmosynis & legatis piis collecti, & dicuntur *Italici*, quia originem habuerunt Perusii in Italia anno 1450: alii defectu eleēmosynarum collecti sunt ex pecuniis ad censum acceptis, & dicuntur *Belgici*, quia in Belgio erecti anno 1619 sub Alberto & Isabella Belgii Principibus: alii sunt *mixti* collecti, scilicet partim ex eleēmosynis, partim ex pecuniis ad censum levatis.

In montibus primi generis dominium totius cumuli pecuniarum est penes communitatem pauperum, in quorum gratiam collatæ sunt, & quibus solis proinde debent dari mutuò. In montibus secundi generis est penes communitatem omnium mutuo indigentium: in montibus tertii generis est partim pauperum, partim mutuo indigentium.

An licet in montibus pietatis aliquid recipere supra sortem sine usura?

III. R. Quantùm ad montes primi generis, Leo X. non solùm approbavit eos ut licitos et pios, sed etiam declaravit, nec mali speciem præ se ferre, nec ullo pacto improbari, dum pro necessariis impensis ipsorum montium et ministrorum aliquod moderatum recipitur ultra sortem absque lucro eorumdem montium.

Eadem ratione defendi possunt montes secundi et tertii generis, nisi quòd, cum constent pecuniis ad censum levatis, longè majus interesse solvi debeat, quam in montibus Italicis. Vide plura apud Herincx, De Coq, Daelman, &c.

Quid censendum de lombardis?

R. Lombardi erant usurarii publici, pro majori parte oriundi ex Italiæ regione *Longobardia.* Tantas usuras exigebant, ut anno 1600, edicto nostrorum Principum statui debuerit, ne plus exigerent, quàm 22 in 100: cum verò erectione montium res ipsorum non ampliùs ita succederent, inceperunt mutuum dare sub iisdem conditionibus, sub quibus montes pietatis: et ita variis in locis fuêre approbati, modò in se susciperent onus et obligationem dandi mutuum cuique petenti sub sufficienti pignore, et ratione expensarum, &c. acciperent auctarium, prout Princeps aut Magistratus judicaret convenire.

No. 52. DE CONTRACTU SOCIETATIS.

I. *Contractus societatis* II. *Tripliciter iniri potest.* III. *Servatis conditionibus.*

QUID est contractus societatis?

I. R. Societas generatim est pactum de communi fine obtinendo: Societas negotiationis, de qua hic agitur, passim definitur: duorum vel plurium conventio contribuentium aliquid ad commune lucrum. Perinde est, sive contribuant pecuniam, sive industriam aut laborem, sive aliam rem pretio æstimabilem. Illi, qui hunc contractum inierunt, vocantur socii.

Quotupliciter iniri potest contractus societatis?

II. R. Tripliciter: 1° Quando singuli conferunt pecuniam, industriam et laborem, et dicitur societas ejusdem rationis.

2°. Quando singuli conferunt aliquid diversi, v. g. unus pecuniam, alter industriam, tertius laborem.

3°. Quando unus confert unum ex tribus prædictis, et alter duo reliqua, v. g. unus pecuniam et alter industriam et laborem.

Estne licitus contractus societatis?

R. Affirmativè, cum sit communis quædam negotiatio. Requiruntur tamen quædam conditiones, quæ fere in hoc collimant, ut inter socios maneat vera ratio societatis, et proportio inter damnum et lucrum, qualis est inter partes a singulis collatas, &c. Conditiones illæ reduci possunt ad sequentes.

III. Prima: Ut negotiatio, ad quam initur societas, sit licita.

Secunda: Ut negotiatio, ad quam traditur v. g. pecunia, non sit ficta, sed vera et talis, ex qua natum sit sequi lucrum; alias non foret societas, sed mutuum.

Tertia: Ut singuli conferant aliquid pretio æstimabile.

Quarta: Ut lucrum et damnum sint communia.

Quinta: Ut lucrum et damnum dividantur inter socios proportionatè ad partem, quam quisque contribuit, seu secundùm proportionem geometricam. De modis, quibus dissolvitur societas, videri potest De Cocq et continuator Neesen.

No. 53. DE DIVISIONE LUCRI AC DAMNI INTER SOCIOS.

I. *Quomodo lucrum dividendum.* II. *Dum unus confert pecuniam et alter suas operas,* III. *Vel eas confert quasi elocando.* IV. *Quomodo damnum dividendum.*

QUOMODO dividendum est lucrum inter socios?

I. R. Si societas ineatur primo modo (prout passim initur) ita nimirum, ut singuli conferant pecuniam aut merces, v. g. grana, item laborem et industriam; debet lucrum societatis inter socios dividi eâdem proportione, quâ pecuniam contulerunt, ita ut duplo plus accipiat, qui duplo plus pecuniæ contulit, et triplo plus, qui triplo plus contulit.

Hæc assertio certissima est tribus casibus:

1°. Quando socii eâdem proportione, quâ contulerunt

pecuniam, etiam contulerunt laborem et industriam, quæ res morali judicio determinanda est.

2°. Quando socius, qui plus laboris et industriæ contulit, quam pro rata suæ partis collatæ requirebatur, id gratuitò et liberaliter fecit in gratiam sociorum, quod frequenter accidit.

3°. Quando industria et labor seorsim æstimantur, et solvuntur ex massa communi, sive illa præstentur a sociis, sive ab aliis: unde itinerationes, famuli, equi, currus, naves, &c. si forsan a socio sint adhibita in gratiam sociorum, ipsi ex communi massa solvi solent, ac si extraneus illa præstitisset.

Extra hos tres casus, si unus majorem laborem aut industriam adhibeat, quam pro rata ejus partis requiritur, debet etiam ampliùs participare de lucro communi, ùt ex jam dicendis patebit.

Si societas ineatur secundo aut tertio modo, ita nimirum, ut unus sociorum conferat pecuniam, alter industriam aut laborem, vel utrumque simul; observandum tunc est, laborem et industriam in societate considerari posse dupliciter : 1°. Dum labor et industria non considerantur quantùm valent in se cum respectu ad pecuniam ab altero collatam, sed inquantùm valent in ordine ad lucrum, quod præstant societati, et ita convenitur, ut pro labore et industria accipiat, v. g. unam secundam aut tertiam partem lucri: et in hoc casu propriè non est societas, sed ille, qui confert laborem aut industriam, elocat suas operas pro mercede incerta.

2°. Labor et industria considerari possunt, inquantùm valent in se et cum respectu ad pecuniam ab altero collatam, ita ut labor ab uno sociorum præstitus æquivaleat secundum se summæ pecuniæ ab altero collatæ, vel medietati, &c. His positis,

II. R. 2°. Si unus sociorum conferat pecuniam, et alter industriam aut laborem hoc posteriori modo considerata, debent socii finita societate dividere lucrum secundùm proportionem partium, quas contulerunt: unde si unus contulerit 1000 florenos, et alter operas valentes 500 florenis, et finitâ societate inveniantur 3000 florenorum, prior socius habebit 2000, et alter 1000: quia idem est, sive secundus socius contulerit 500 florenos, sive laborem, qui secundùm se valet 500 florenis: si enim contulisset 500, et labor fuisset ab extraneo præs-

titus, dividissent lucrum societatis proportionatim ad partes collatas: ergo etiam nunc ita dividendum est.

III. R. 3° Si verò unus sociorum conferat pecuniam, et alter industriam aut laborem priori modo consideratam, debet socius, qui contulit pecuniam, finitâ societate sortem suam extrahere liberam, et lucrum, quod superest, dividere cum altero (qui tantum est apparenter socius) secundum proportionem, de qua convenerunt.

Hunc contractum plerumque ineunt mercatores cum suis institoribus (vulgò factoribus;) non enim volunt eos admittere ad societatem, dum nil pecuniæ conferunt: sed ut sint diligentiores, dant eis in mercedem partem lucri, quo fit, ut si res bene succedat, multò plus accipiant, quam eorum opera mereatur; si malè, multo minus accipiant.

Quomodo dividendum est damnum societatis?

IV. R. Ut jam dictum est de lucro communi, ita resolvendum est de communi damno: unde in casu primæ et secundæ responsionis debent socii ferre damnum pro rata partium collatarum.

In casu verò tertiæ responsionis, cum tunc propriè non sit societas, sed conductio operarum, totum damnum videtur spectare ad illum, qui pecuniam contulit: hic tamen non tenetur alteri, qui operas suas pro parte quadam lucri elocavit, ad compensationem istarum operarum, si nullum lucrum obtingat; quia alter pro mercede suarum operarum habuit spem lucri verè pretio æstimabilem.

Obj. contra prædicta: pecunia est de se sterilis: ergo qui solam contulit pecuniam, nil potest in societate lucrari, quod est contra secundam et tertiam responsionem. Probatur conseq. quia res de se sterilis nil confert ad lucrum, quod occasione ipsius obtinetur per industriam alterius.

R. Neg. conseq. Ratio est, pecuniam simul ac confertur in societatem, et applicatur cum industria sociorum, frugiferam fieri: et cum res societatis debeant considerari tanquam communes, pecunia, quæ à socio collata fuit, fit communis, sicut et industria, quæ ab altero collata est, communis fit; et proinde pecunia communis per industriam communem producit etiam lucrum sociis commune, quamvis sepositâ industriâ pecunia sit de se sterilis.

Obj. II. S. Thom. quæst. 78. art. 2. ad 5. dicit: "Ille

"qui committit pecuniam suam mercatori vel artifici "per modum societatis cujusdam non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed permanet ejus: ergo "sors nunquam dividenda est, sed conferenti restituenda."

R. Neg. conseq.: quia S. Thom. tantum vult, eum non transferre à se dominium pecuniæ totaliter, ac si desineret totaliter esse ipsius, ut fit in mutuo, de quo ibi agit; intentio enim ipsius est solummodo probare, dum talis in societate lucratur, illum non lucrari ex re aliena, sed ex re propria; quod etiam verum est, etsi dominium pertineat ad omnes socios simul.

Deinde verba S. Thom. applicari possunt contractui societatis apparentis, de quo egimus in responsione tertia.

De societate animalium consuli possunt De Cocq, Braunman, aliique.

No. 54. DE CONTRACTU TRIPLICI.

I. *Contractus triplex* II. *Est usurarius, si ineatur cum eadem persona.* III. *Licit successivè.* IV. *An duo primi sint usurarii.*

QUID est contractus triplex?

I. R. Sic vocatur, quia componitur ex tribus diversis contractibus, scilicet ex contractu societatis, assecurationis sortis, & emptionis-venditionis lucri incerti pretio certo: v. g. Joannes tradit Petro mercatori mille aureos ad negotiationem: sed Joannes cupiens esse certus de sua sorte, init contractum assecurationis cum eodem Petro, dando v. g. 50 aureos, ut ipse suscipiat in se omne periculum sortis: deinde quia probabilis spes affulget lucrandi 100 aureos, illud lucrum speratum vendit Joannes Petro 80 aureis. Ita Joannes securus est de sua sorte, & de 80 aureis supra sortem recipiendis.

Forma hujus contractûs videri potest apud De Cocq.

An contractus triplex est licitus?

II. R. Contractus triplex illicitus est ac usurarius, si partiales illi contractus ineantur cum eadem persona; quia degenerant in virtuale mutuum usurarium. Videri possunt pro hac sententia Sylvius, Henno, De Cocq, Daelman, Billuart, &c. Videtur etiam prohibitus & damnatus in Bulla Sixti V. quæ incipit DETESTABILIS, & quæ videri potest apud De Cocq, Daelman, &c.

Obj. I. Cum Lessio: Bulla DETESTABILIS, non est in Belgio publicata, nec recepta: ergo, &c.

R. In primis hoc falsum est; nam à Paulo V. in Belgio recipi mandata est, ut testatur Synodus Antuerpiensis sub Miræo anno 1610. tit. 5. cap. 12.: quantùm autem Illust. Malderus laboraverit, ut contractum hunc aboleret, refert Anselmo in Treboniano Belgico cap. 46.

Deinde talis Bulla non indiget publicatione, cùm prohibeat rem intrinsecè malam, contractum scilicet usurarium. Vide Num. 5. *de Legibus.*

Obj. II. Cap. INTER VESTRAS lib. 4. tit. 19. jubet Innocent. III. ut si vir sit decoctor aut tendat ad inopiam, dos uxoris alicui mercatori committatur, ut de parte honesti lucri onera matrimonii vir sustentare possit: atqui hoc non videtur fieri posse absque contractu triplici.

R. Negando subsumptum: intentum enim Pontificis est tantum, ut dos mulieris exponatur majori securitati, quam erat in manibus mariti, quod potest fieri tradendo dotem alicui prudenti mercatori ad negotiationem; licèt enim tunc dos etiam alicui periculo exponatur, hoc tamen erit longè minus, quàm dum est in manibus mariti decoctoris.

Obj. III. Singulus ex istis tribus contractibus seorsim consideratus est justus: ergo etiam simul sumpti erunt justi. Probatur conseq.: ex propositionibus veris non fit nisi copulativa vera: ergo ex tribus contractibus justis non fit nisi contractus justus.

R. Negando utramque conseq. Disparitas est, quòd veritas propositionum consistit in indivisibili, adeo ut ad propositionis veritatem requiratur, ut planè conveniat cum suo enuntiato: sed pro justitia contractûs sufficit æqualitas moralis, quæ suam habet latitudinem; fit autem ex ista latitudine, ut facilius justitia contractuum evertatur, dum unus initur ab uno extremo, & alius ab alio extremo, ac ita injustè commisceantur.

Præterea una propositio vera non potest destruere naturam alterius propositionis veræ: sed unus contractus destruere potest naturam alterius, ut patet in contractu mohatra.

Dictum est in conclusione, contractum triplicem esse illicitum, dum initur *cum eadem persona;* quia licitus est, si partiales contractus ineantur cum diversis personis, v. g. cum uno contractus societatis, cum altero assecura-

tionis, & cum tertio venditiones lucri incerti, modo in singulis servetur debita æqualitas, quæ procul dubio servari potest.

An, si partiales contractus ineantur cum eadem persona successivè, seu diversis temporibus, degenerant in mutuum usurarium?

III. R. Quibusdam videtur negandum, si ineantur independenter ab invicem & sine industria eos conjungendi; quia contractus venditionis supremo pretio, et emptionis infimo, si fiant diverso tempore et sine industria, liciti sunt, ut dictum est Num. 50. Nihilominus videtur probabilius affirmandum; quia primus contractus semper perseverat, quamdiu durat societas, adeoque semper cum posterioribus coalescet, si tempore societatis illi ineantur; atque hinc patet responsio ad rationem fundamentalem aliorum: quia in isto casu contractus venditionis antea initus totaliter desiit, quando initur secundus. Unde cum illo non coalescit, ac adeo non degenerat in unum alium contractum mutui.

An licet cum eadem persona inire duos primos contractus, societatis scilicet et assecurationis sortis?

IV. R. Negat Daelman, quia per contractum assecurationis certus est de sua sorte, & insuper aliquid habet ultra sortem, nimirum spem lucri pretio æstimabilem: sicque usura sub illis duobus contractibus facilè palliari posset. Billuart tamen, Collet aliique duos illos contractus ut licitos defendunt ex eo, quòd conferens pecuniam adhuc verè intendit negotiationem: cum, si alter non negotietur, nullum possit habere lucrum: aliud est in contractu triplici; sive enim alter negotietur sive non, conferens pecuniam semper certus est de sua sorte et lucro. Unde reprobato contractu triplici, adhuc in rigore duo primi contractus defendi possent: attamen etiam illi, fatentibus omnibus, in praxi improbandi sunt.

No. 55. DE CENSIBUS.

I. Census II. dividitur III. in reservativum IV. & consignativum, V. Realem, VI. Personalem, VII. & mixtum. VIII. Hypotheca censûs, IX. Potest differre à re censu gravata. X. Census pecuniarius, XI. Fructuarius, XII. Perpetuus. XIII. & temporalis. XIV. Redimibilis.

QUID est census?

I. R. Census tripliciter accipi potest: 1°. Pro pensione annua, 2°. Pro jure ad illam, & 3°. Pro contractu censuali, de quo hic potissimùm agitur, & definitur: Contractus, quo emitur & venditur jus percipiendi pensionem ex re vel persona alterius utili vel frugifera.

Emptor censûs, seu ille, qui gaudet jure pensionem percipiendi, vocatur censuista vel censualista.

Venditor censûs, seu ille, qui gravatur onere solvendi pensionem, vocatur censuarius.

Quænam in contractu censûs est res empta?

R. Est jus ad pensionem annuam: pretium verò rei emptæ est summa capitalis, quæ pro jure isto datur: unde contractus censûs est velut species emptionis-venditionis.

Quomodo dividitur census?

II. R. 1°. Ex parte modi, quo constituitur, in reservativum & consignativum.

2°. Ex parte materiæ seu fundi, super quo constituitur, in realem, personalem & mixtum.

3°. Ex parte materiæ seu pensionis solvendæ, in pecuniarium et fructuarium.

4°. Ex parte durationis, in temporalem et perpetuum.

5°. In redimibilem et irredimibilem.

Quid est census reservativus?

III. R. Est ille, quo quis rem suam utilem aut frugiferam transfert in alterum quoad dominium directum & utile, reservato sibi jure percipiendi ex ea pensionem: talis erat census, quem Joseph Gen. cap. 47. constituit in omnibus terris Ægyptiorum, præterquàm Sacerdotum; & hujusmodi communiter sunt census dominicales, flandrius *Heerlyke Chynsen*, gallicè *Cens seigneuriaux*. Stockmans tamen decisione 80. dicit, in censu dominicali domi-

nium directum non tradi, sed solum utile. De justitia census reservativi dubium non movetur.

Quid est census consignativus?

IV. R. Est ille, quo quis super bonis suis, vel etiam propriâ personâ consignat alteri jus ad pensionem annuam, retento dominio directo & utili, flandricè *Rente:* atque de eo præcipuè hic agitur.

Porro census consignativus acquiri potest vel donatione, ut si Princeps alicui concedat jus percipiendi quotannis pensionem ex suis reditibus: vel emptione-venditione, ut si quis certâ summâ pecuniæ emat jus percipiendi annuam pensionem ex re vel persona alterius utili vel frugifera.

Quid est census realis?

V. R. Ille, qui constituitur super re frugifera alterius sive mobili, sive immobili, v. g. super agro, domo, grege, &c.

Notandum, pro censu reali 1°. onus censuale comitari rem, super qua census constitutus est, ad quemcumque res illa transeat: adeo ut re pereunte pereat etiam census, et eâ diminutâ diminuatur.

2°. Ut census sit realis, eum debere constitui super re expressa, et cum inhæredatione seu realizatione per Magistratum loci vel Curiam feudalem, ita ut unâ ex his duabus conditionibus deficiente, census non sit realis, sed personalis, quantumvis censuarius dicat: obligo omnia mea bona, vel talem domum.

Ut parcatur sumptibus inhæredationis, multi ejus loco recurrunt ad *condemnationem voluntariam*, quæ fieri debet & inregistrari apud Magistratum loci, in quo inhæredatio facienda fuisset: durat autem per 30 annos tantum, tuncque iterum renovanda est.

Quid est census personalis?

VI. R. Est ille, qui constituitur immediatè super persona, quæ seipsam obligat ad solvendam alteri pensionem annuam: unde illa persona debet habere sive bona sive lucra, ex quibus solvat annuam pensionem: et inde obligatio personalis censûs, tanquam debitum reale censuarii, transit ad hæredem ejusdem.

Quid est census mixtus?

VII. R. Est ille, qui constituitur super re et persona simul, ita ut obliget immediatè tam personam, quam bona,

sive est census realis et personalis simul; et tales hodie in Belgio ordinariè creantur ad majorem securitatem.

An hypotheca censûs est quid idem cum re censui subjecta?

VIII. R. Affirmativè, saltem ordinariè; quia juxta vulgarem sermonem ista duo confundi solent: & hoc sensu rectè dicitur: hypothecâ censûs purè realis totaliter pereunte, perit census.

IX. In rigore tamen loquendo, res censui subjecta & hypotheca censûs differunt in hoc, quòd res censui subjecta sit illa, ex qua solvenda est annua pensio: hypotheca verò sit illa, quæ in securitatem juris censualis assignatur censualistæ, ita ut res hypothecata pro censu reali possit esse diversa a re ejusdem censûs: et hoc sensu intelligi debent Lessius aliique dicentes: res censûs realis non est hypotheca, item hypothecâ censûs realis pereunte, non perit census.

Quid est census pecuniarius?

X. R. Est is, quo pensio solvenda est in pecuniis.

Quid est census fructuarius?

XI. R. Ille, quo pensio solvenda est in fructibus, v. g. tritico, vino, &c. et hic aliquando determinatus est, v. g. dum solvendi sunt tres modii tritici; aliquando indeterminatus, dum tantummodo pars aliquota, v. g. quarta aut quinta pars fructuum est designata.

Notandum, Philippum II. edicto die 15 Martii anni 1571. prohibuisse, ne inposterùm in Belgio emeretur census fructuarius, eò quòd pretia istarum rerum sæpe mutentur, et sic facilè injustitia committi possit.

Quid est census perpetuus?

XII. R. Est ille, qui de se seu vi contractûs non exspirat, sed semper durat; et hujusmodi census communiter creantur.

Quid est census temporalis?

XIII. R. Ille, qui sponte exspirat certo tempore: et hic aliquando restrictus est ad certum et determinatum tempus, v. g. ad vicennium, aliquando durat ad certum sed indeterminatum tempus, v. g. ad vitam unius vel alterius personæ, diciturque census vitalitius.

Quid est census redimibilis?

XIV. R. Ille, qui redimi potest ad nutum censuarii, vel censuistæ, vel utriusque.

Redimibilis ex parte censuarii dicitur ille, quem cen-

suarius extinguere potest per refusionem summæ capitalis; et hujusmodi esse debent omnes census consignativi, qui hodiedum in Belgio creantur: imò census consignativi irredimibiles, si vendantur, potest censuarius eodem pretio retrahere emptionem, quod flandricè dicitur *Calengieren*, gallicè *mettre à l'amende*, ut patet ex edicto Caroli V. die 21 Februarii anni 1528.

An autem census, præsertim frumentarii, redimibiles sint nec ne, ex consuetudinibus locorum cognosci debet. Consuli etiam potest Stockmans *decisione* 71.

Census redimibilis ad nutum emptoris seu censuistæ, dicitur ille, dum censuista cogere potest censuarium, ut summam capitalem refundat & censum extinguat.

Utrimque redimibilis est, dum censuarius potest summam capitalem censuistæ reddere, et vicissim censuista potest censuarium ad reddendum cogere.

Quid est census irredimibilis?

R. Est ille, qui refundendo summam capitalem extingui non potest, nisi de consensu censuistæ. Hujusmodi communiter sunt census reservativi.

No. 56. AN CENSUS SIT LICITUS.

I. *Census est licitus.*

I. RESP. Affirmativè, sive sit census realis, sive personalis, sive mixtus, sive perpetuus, sive temporalis.

Probatur: in censu emitur jus percipiendi pensionem ex re vel persona alterius utili vel frugifera: atqui illud jus est pretio æstimabile, æque ac jus percipiendi fructus ex aliquo agro: ergo contractus censualis æque licitus est, ac emptio agri.

Præterea census non est illicitus jure civili vel Ecclesiastico.

Bulla Pii V. quidem prohibet census personales et mixtos: sed hæc in Belgio recepta non est, ut docent Lessius, Daelman aliique.

Obj. I. Persona censu gravata non est utilis: ergo super eam immediatè jus censuale fundari non potest.

R. Dist. antec. persona non est utilis quoad substantiam considerata, concedo ant. non est utilis ratione sui laboris, industriæ, aliorumve proventuum, nego antec.

Obj. II. Census videtur virtuale mutuum: ergo, &c.

R. Neg. antec.: quia ex natura contractûs censualis sors alienatur *irrevocabiliter*, quod destruit naturam contractûs mutui, ut ex ejus definitione patet.

Obj. III. Vendens censum vendit jus, quod non exstat, ergo, &c.

R. Etsi jus illud non exstet, antequam vendatur, ipsâ tamen venditione creatur, prout contingit in jure servitutis, dum vendo alteri jus transeundi per meum agrum. Deinde jus illud antecedenter exstat eminenter apud venditorem, qui jus habet percipiendi quidquid provenit ex re vel persona sua.

Obj. IV. Non videtur in contractu censûs servari æqualitas, quia v. g. post quinquaginta annos canones seu pensiones excedent summam capitalem censûs, ergo in emptione censûs non servatur justum pretium.

R. Neg. conseq. quia in emptione censûs non emuntur ipsæ pensiones 50 v. g. annorum, sed jus ad pensiones, sicuti in emptione agri non emuntur ipsi fructus agri, sed jus ad illos; jus autem illud non tanti valet, quanti valet summa pensionum v. g. 50 annorum, sicut in emptione agri, dominium agri non tanti valet, quanti valet summa fructuum, v. g. 50 annorum: unde etsi in emptione censûs pretium non æquivaleat omnibus pensionibus, quas fortè accepturus est censuista; æquivalet tamen juri percipiendi annuas pensiones, quod jus ob varia pericula communi æstimatione minoris valet, quàm pensiones receptæ.

Eâdem ratione probari potest, licitum esse censum temporalem etiam ad determinatum tempus, dummodo longum, v. g. 20 annorum.

Dixi *dummodo longum;* nam morali hominum judicio tanti valet jus ad pensiones brevi tempore certe percipiendas, v. g. duorum aut trium annorum quanti valent pensiones ipsæ, unde de censu temporali ad tempus determinatum rectè monet Toletus, observandum esse, ne sub eo pallietur usura, sortem mutui cum lucro per partes brevi recipiendo sub nomine pensionum censualium.

No. 57. DE CONDITIONIBUS AD JUSTITIAM CENSUS CONSIGNATIVI.

I. *Conditiones jure naturæ requisitæ.* II. *Ad justitiam censûs sunt quatuor.* III. *Pretium censuum in Belgio.*

I. PLURIMAS conditiones requisivit Pius V. in sua Bulla CUM ONUS APOSTOLICÆ; sed constitutio illa, ut dictum est Num. præcedenti, non viget in Belgio, nisi quoad eas conditiones, quas etiam requirit jus naturæ, & de quibus, cæteris prætermissis, in sequentibus agemus.

II. Jure igitur naturæ requiritur 1°. Ut census sit irredimibilis ex parte censuistæ, seu ut sors irrevocabiliter alienetur, ut ita census non degeneret in mutuum.

2°. Ut census constituatur super re aut persona propria censuarii; quia nulla est venditio rei non meæ.

3°. Ut constituatur super re aut persona utili vel frugifera; quia super re sterili jus frugiferum fundari non potest.

Non tamen requiritur, ut res singulis annis fructificet, adeo ut, si res uno anno non redderet fructus, liber esset censuarius à pensione isto anno solvenda; quia pensio annua non debetur ex ipsismet fructibus rei, sed census imponitur super ipsa re, seu jure proprietatis rei frugiferæ.

Aliud esset, si fortè censuistæ deberetur pensio ex ipsismet fructibus ejusdem rei, aut pars aliquota fructuum rei, ut Gen. cap. 47.

Ex quibus sequitur, censuarium tempore belli teneri ad annuos Canones, quantumvis res censui subjecta, v. g. ager, ratione belli nullos fructus daret, nisi authoritate publicâ pensio pro illo casu remitteretur.

Quid, si res censûs purè realis partialiter pereat aut sterilis evadat?

R. Sepositis culpâ censuarii & pacto assecurationis, si jus ad fructus annuam pensionem æquare non possit, non valet census quantùm ad istum excessum; valet tamen ad ratam, quâ res est frugifera, & ad ratam pensio annua solvi debet.

Quarta conditio est, ut servetur justum pretium, quod similiter ac in emptione-venditione petendum est vel ex

legibus, & dicitur legitimum; vel ex communi æstimatione, et dicitur vulgare.

III. Porro legibus hujus patriæ statutum est sub pœna nullitatis contractûs, ut non possit census perpetuus altius constitui, quàm ad nummum 16. seu ad 6. cum una quarta in 1000; potest tamen censuarius minus dare, quia taxatio illa facta est in gratiam venditorum, prout hodiedum communiter census minori pretio constitui solent.

Quid, si census emptus sit pretio justò minori, sive constitutus sit supra 6. cum una quarta in 100?

R. In primis certò reduci debet ad pretium justum, quod fiet diminuendo pensionem annuam, & restituendo pensiones, quâ parte pretium justum excedunt: sed & probabilius est, talem contractum esse omnino nullum; quia Philippus II. edicto suo 5 Martii 1571. art. 1. statuit, ut ad constitutionem redituum pecuniariorum edicta sua rigidè observentur sub pœna usuræ & nullitatis. Hoc tamen intellige de reditibus seu censibus perpetuis non vitalitiis.

Pretium autem justum censûs vitalitii certâ lege definiri non potest, sed attendi debent ætas, complexio, &c. illius, super cujus vita constituitur: unde si constituatur super vita hominis decrepiti aut valetudinarii, pensio annua sæpe statuitur ad 10 in 100.

No. 58. DE CENSU UTRIMQUE REDIMIBILI ET IRREDIMIBILI.

I. *Census redimibilis ex parte venditoris licet.* II. *Non ex parte emptoris.* III. *Utrimque irredimibilis de se licitus est.*

AN licitus est census utrimque redimibilis?

I. R. Licitum esse censum redimibilem ex parte venditoris seu censuarii, extra dubium est, cùm cuique liberum sit quam voluerit conditionem apponere venditioni rei suæ, si non obstent leges: imò edictis Principum Belgii non admittuntur alii, ut dictum num. 55.

II. At de censu redimibili ex parte emptoris seu censuistæ, acriter disputatur. Multi cum Lessio eum saltem speculativè ut licitum defendunt: sed plures cum Sylvio,

Steyaertio, Daelman illum absolutè reprobant, tanquam usurarium: quia census ille nil aliud videtur esse, quam virtuale mutuum; census enim non distinguitur a mutuo, nisi penes hoc, quod censuista abdicat a se *irrevocabiliter* ipsam sortem: ergo ubi censuista potest repetere sortem, non est ampliùs census, sed mutuum.

Obj. I. Census saltem purè realis, & redimibilis ex parte emptoris, non est mutuum. Probatur; quia si res censualis pereat, perit census; atqui pereunte pignore, non perit obligatio mutui: ergo, &c.

R. Neg. antec. census enim ille convenit cum mutuo sub aliquo pignore, cujus periculum in se suscipit mutuator: in hoc enim censu nil aliud ago, quàm dare certam summam pecuniæ mutuatario, eâ conditione, ut mihi aliquod pignus assignet, quo pereunte, liberetur ab onere reddendi sortem. Sicut ergo mutuans, quamvis in se periculum pignoris suscipiat, adhuc usurarius est, si quid ultra sortem exigat; ita etiam usurarius est censuista in casu. Nec dicas, periculum istud esse pretio æstimabile; quia periculum istud non est nisi ordinarium, cùm soleat assumi hypotheca tam secura, ut periculum pereundi non sit ullius pretii.

Obj. II. Census redimibilis ex parte venditoris non degenerat in virtuale mutuum: ergo nec census redimibilis ex parte emptoris.

R. Disparitas est, quòd in priori casu pecunia seu sors detur *irrevocabiliter*, adeoque non potest esse mutuum: sed in posteriori casu sors datur revocabiliter sicut in mutuo; censuarius enim tenetur reddere pecuniam pro pecunia, quod est verum mutuum, ut ex ejus definitione patet.

Obj. III. Possum emere à te censum 1000 florenorum eâ conditione, ut infra aliquod tempus emas à me domum tanti valentem: ergo possum emere censum eâ lege, ut infra aliquod tempus eum redimas.

R. Disparitas est, quòd in casu posito non obligaris dare mihi pecunias, quia illas accepisti, sed propter domum venditam: unde per accidens est, te obligari mihi ad 1000, & non ex natura secundi contractûs; quia poterat ista domus pluris vel minoris valere: sed in censu redimibili ex parte emptoris teneris reddere pretium sive pecunias, quia illas accepisti.

An licitus est census utrimque irredimibilis?

III. R. Censum ex parte emptoris irredimibilem esse debere, constat ex dictis: an verè etiam irredimibilis esse possit ex parte venditoris, quæritur. Insistendo juri naturæ, hoc non videtur illicitum, talesque solent esse census reservativi, quos nemo injustitiæ arguit. Accedit, venditorem juris sui, quod in alterum transferre vult, esse dominum: poterit ergo illud alienare, vel in perpetuum adempto sibi jure redemptionis, vel illo sibi reservato.

In Belgio tamen vetitum est, ne census consignativi creentur irredimibiles ex parte venditoris, ut dictum est Num. 55; non quasi jure naturæ essent illiciti; sed quia publici interest prædia libera possideri, & debitores posse exonerari, ut dicit Gudelinus *de Jure Novissimo* lib. 8. cap. 3. num. 28.

No. 59. DE CENSU PUPILLARI ET SCHEDULIS OBLIGATIONUM.

I. *Census pupillaris* II. *Est usurarius,* III. *De schedulis obligationum.*

I. CENSUS pupillaris est, quo pecunia pupillorum traditur alicui sub aliquo lucro singulis annis recipiendo cum obligatione pecuniam illam reddendi integram, quando pupillus ad majorem ætatem pervenerit, vel certum statem assumpserit.

An census pupillaris est licitus?

II. R. Negativè, sed manifestam continet usuram; cùm enim pecunia non alienetur irrevocabiliter, degenerat in mutuum usurarium.

Pluribus etiam constitutionibus synodalibus hic census reprobatus est tanquam usurarius, præsertim in I Synod. Provinc. Mechl. anno 1570.

In Belgio item edictum regium 1 Junii 1587 census illos proscripsit, vultque contra eos, qui similes census ineunt nomine pupillorum, item contra Notarios, qui ejusmodi instrumenta conficiunt, tanquam contra usurarios procedendum esse, & declarat ejusmodi contractus esse nullos & irritos.

Eosdem census jam antea 16 Junii anno 1564 usurarios esse, resolverat Facultas Theologica Lovaniensis, ut refert Molanus *de piis Testamentis* cap. 74.

Quid censendum de schedulis obligationum?

III. R. Dist. Si sors pecuniaria tradita sit *irrevocabiliter*, ita ut non maneat in potestate tradentis unquam sortem repetere, tunc est verus census personalis: si autem sors sit tradita *revocabiliter*, est verum mutuum, & proinde tunc nihil supra sortem exigi potest, nisi titulo damni emergentis, lucri cessantis vel periculi extraordinarii sortis.

Ex principio posito resolvi possunt casus sequentes:

Joannes dat certam summam pecuniæ Petro sub hoc pacto, ut vel post annum restituatur cum interesse, ut vocant, v. g. 5. in 100, vel certè tum ponatur idonea hypotheca pro reditu.

R. cum Steyaertio: Quandoquidem Petrus dando hypothecam, pecuniam absolutè retinere potest, verus est census seu reditus, initio quidem personalis, postea transiturus in realem vel mixtum: censuista enim tantùm potest agere alternativè, vel ad sortis restitutionem, vel ad constituendam hypothecam.

Rectè tamen monet Braunman, si talis esset status debitoris, ut statuto tempore idoneam hypothecam dare non possit, eum tunc a creditore moraliter cogi ad reddendam sortem: & ita repetitio sortis penderet ab arbitrio creditoris, & fieret mutuum, & interesse, quod acciperet, foret usurarium.

Debitor scripsit, se 1000 aureos accepisse ad reditum a Sempronio, & annuum interesse se soluturum ad ratam 6. in 100, donec pecunia restituatur. Alius scripsit, se accepisse mutuam pecuniam, & soluturum interesse annuum, usque dum ei visum fuerit sortem reddere.

R. Refert Stockmans decisione 74, utramque formulam ab usura immunem judicatam esse in Concilio Brabantiæ: in priori enim verba illa: *donec pecunia restituatur*, interpretanda sunt de restitutione facienda arbitrio debitoris, cùm id fluat ex natura reditûs, quem partes se constituere dixerunt.

In posteriori, cùm restitutio sortis etiam relinquatur arbitrio debitoris, contractus ille pro reditu habendus est, licèt contrahentes *mutuum* vocaverint: potiùs enim respici debet, quid actum sit, quàm ipsum nomen *mutui*. Aliud foret, si syngrapha conscripta esset hoc modo; *Debitorem accepisse mutuam pecuniam, & soluturum annuè id quod interest, donec pecunia sit restituta.* Id vix ab

usura eximi potest inquit citatus Author; cùm enim syngrapha dicat esse mutuum, & restitutio pecuniæ nullius arbitrio expressè adscripta sit, accipi debet secundùm naturam contractûs mutui, scilicet petente creditore.

Formulam conscribendi censum personalem, seu schedulam obligationis, vide Num. 254. *de Sacramento Pœnitentiæ.*

No. 60. QUÆNAM PACTA CENSIBUS ADJICERE LICEAT?

I. *Quæ pacta sint licita.* II. *Pactum de redimendo eâdem monetâ.* III. *Licet rem censui subjectam alienare.*

I. RESP. Certum est, illicitè illis adjici pacta, quæ destruunt naturam contractûs censualis: & ita illicita sunt omnia pacta, quæ contractum censualem degenerare faciunt in mutuum usurarium.

Alia pacta si leges positivæ illa non prohibeant, adjicere licet, præsertim dum pactum adjectum per aliquod æquivalens compensatur a censuista, v. g. æquale periculum suscipiendo; vel dum obligatio pacti simul cum jure pensionis annuæ emitur intra limites justi pretii.

Quid dicendum de hoc pacto: Solves mihi annuè 4. in 100; sed si sex septimanis post terminum solutionis elapsum non satisfeceris, solves 5. in 100?

R. Hoc pactum est illicitum; quia debitori injicitur onus plus solvendi ob moram dilatæ solutionis, quod prohibitum est in utroque foro: aliud foret, si pactum sic iniretur: Solves annuè 5. in 100. sed si solveris intra sex septimanas, solves tantùm 4; cùm enim quinque sint justum pretium, favor impenditur debitori vigilanti.

An in emptione censûs licet obligare censuarium, ut, casu quo censum redimere vult, redimat eâdem monetâ, quâ fuit emptus?

R. Per se loquendo id est illicitum; quia censuario imponitur grave onus, quod per aliud æquivalens supponitur non compensari.

II. Per accidens tamen hoc posset esse licitum: 1°. Si certum sit, valorem istius monetæ non fore immutandum, vel æquale dubium sit, an augendus sit vel minuendus, &

non sit grave censuario eandem monetam reddere, vel istud onus alio modo compensetur, 2°. Si censualista statuisset suas pecunias servare usque ad tempus augmenti, & ad instantiam censuarii illas citiùs alienet.

Licitum est contractui apponere clausulam, ut, antequam sit redemptio, teneatur censuarius medio anno aut trimestri monere censuistam, ut sibi providere possit occasionem pecunias suas alibi applicandi.

Si census redimatur anno nondum elapso, non debet solvi tota pensio annua nisi ad ratam temporis, præterquam si aliter ab initio conventum esset.

Licèt census passim redimi debeat in eodem valore, in quo constitutus fuit, etsi valor pecuniæ interea creverit vel decreverit; circa antiquissimos tamen reditus, dum pecunia erat valde rara, aliter statuerunt Principes Belgii anno 1587.

In Belgio etiam consuetudines habent, ut census redimi non possit per partes, nisi hac super re in contractu facta fuerit specialis stipulatio.

An censuarius potest rem censui subjectam alienare?

III. R. Potest, nisi contrarium pactum justè sit initum: debet tamen censuarius de eo monere censuistam, quandoquidem multùm ejus intersit noscere personam & qualitatem ejus, a qua debeat pensionem recipere, & possit sibi consulere.

No. 61. DE EXTINCTIONE CENSUUM.

I. *Census tripliciter extinguitur.* II. *Non præscribuntur census dominicales,* III. *Nisi quoad canones,* IV. *& formam;* V. *Emptitii totaliter præscribuntur.*

QUOT modis census exstinguitur?

I. R. Tribus modis, scilicet 1°. extinctione totalis hypothecæ juxta dictum N. 55. 2°. Præscriptione, & 3°. redemptione seu refusione summæ capitalis.

II. An omnes census præscribi possunt?

R. Negativè: nam præscribi non possunt census dominicales, sic statuentibus legibus. Rationem reddit Stockmans decisione 80: quia qui talem censum solvit, hypothecam non tam sibi possidet (cùm dumtaxat habeat dominium utile) quàm Domino directo. Exceptio erit,

sit idem Author, si tantum cessatum sit in solutione census, sed contradictum etiam a possessore fundi fuerit; & ab oppositione possessoris & scientia ac patientia Domini fluxerit longissimum tempus.

III. Deinde in censibus dominicalibus præscribi possunt annui canones ultra 30 annos debiti.

IV. Verosimiliter etiam in censibus dominicalibus præscribi potest quota, mensura, genus monetæ, frumenti aut animalis, vel aliud quid accidentarium, quo non absorbetur ipse census, sed mutatur tantum forma; ut refert idem Author statim citatus.

V. Alii census non dominicales, sed emptitii, in Belgio tam quoad summam capitalem, quàm Canones cessos præscribuntur tempore 30 annorum: unde censuarius, a quo tempore 30 annorum census non fuit petitus, ad nihil ampliùs tenetur. Ut tamen præscriptio sit legitima, requiritur bona fides et titulus: ac ita constanter judicari, testatur Stockmans decisione 81. & statuunt pleræque Belgii consuetudines.

Juxta edictum quintâ Martii anno 1571. censuarius, qui debet Canones seu Pensiones, v. g. 7 vel 8 annorum, cogi non potest ad solvendos plures Canones, quàm trium annorum, nisi censuista juridice interpellaverit censuarium, vel hic dilatione petitâ se soluturum spoponderit: ita habent variæ Belgii consuetudines. Hoc tamen tantum locum habet pro foro externo, non pro foro conscientiæ. Vide N. 31 *de Jure et Just.*

Porro moribus nostris censetur censuarius in censibus dominicalibus satis monitus, dum Dominus aut Toparcha die & loco ordinario expectavit, ut annuos Canones reciperet.

Cætera, quæ spectant ad hanc materiam, præsertim quoad redemptionem, & rem, super quâ census constitui potest, videri possunt apud jurisconsultos Belgicos, Zypæum in notitia juris Belgici, Anselmo in Treboniano Belgico, Stockmans in suis decisionibus: ex Theologis verò apud De Cocq. continuatorem Neesen, Brauuman, &c.

No. 62. DE CAMBIO.

I. *Cambium* II. *Differt à mutuo.* III. *Dividitur in reale,* IV. *& siccum.* V. *Reale subdividitur* VI. *In manuale,* VII. *& locale.*

QUID est cambium?

I. R. Est permutatio pecuniæ cum pecunia aliquo modo diversa, cum lucro campsoris.

Dicitur *aliquo modo diversa,* scilicet vel quoad quantitatem, si moneta data sit minor, accepta major: vel quoad qualitatem, ut si una pecunia sit permissa, altera vetita, una integra, altera rasa: 3°. quoad speciem, ut si pecunia data sit aurea, accepta argentea: 4°. Quoad locum, ut si pecunia numeretur Bruxellis, & recipiatur Parisiis.

Campsor, item nummularius argentarius, bancarius, &c. dicitur ille, a quo petitur permutatio pecuniæ; qui autem petit, campsarius dicitur.

Quomodo cambium differt a mutuo?

II. R. Prima & præcipua differentia est, quòd cambium sit permutatio pecuniæ cum pecunia, mutuum sit commutatio alicujus rei fungibilis pro obligatione postea reddendi rem ejusdem speciei & bonitatis. Hâc ratione cambium etiam differt a censu, qui est permutatio pecuniæ pro annua pensione, item ab emptione-venditione, quæ est permutatio pecuniæ pro merce.

2°. Cambium fit tantùm in pecunia, mutuum etiam in aliis rebus fungibilibus.

Tertia, in cambio debet reddi res diversa, saltem quoad locum, in mutuo res non debet esse diversa.

Quomodo dividitur cambium?

III. R. In reale seu verum, & siccum seu fictum.

Reale est vera & realis permutatio pecuniæ, adeoque cum lucro legitimo.

IV. Siccum est, quod non est vera, sed tantùm ficta permutatio pecuniæ, idque cum lucro injusto.

Dicitur autem siccum, quia sicut terra sicca caret humore necessario ad productionem fructuum, ita cambium siccum caret justo titulo ad producendum lucrum.

Quomodo subdividitur cambium reale?

V. R. In manuale seu minutum, & locale seu per litteras: unde dicuntur litteræ cambiales, flandricè *wisselbrieven*, gallicè *lettres de change*.

VI. Manuale est lucrosa permutatio pecuniæ cum alia præsente quidem seu in eodem loco & quasi de manu ad manum, sed diversa quoad quantitatem, qualitatem aut speciem, ut si permutem auream pro argentea, minorem pro majori, permissam pro vetita, patriam pro extranea, &c.

VII. Locale est lucrosa permutatio pecuniæ absentis cum præsente, vel præsentis cum absente in alio loco per nummularios seu bancarios (campsorum factores) solvenda; ut si campsor det hîc Mechliniæ pecuniam, ut Parisiis eam recipiat, vel si recipiat hîc pecuniam, ut mediantibus litteris cambialibus eam det Parisiis: hujusmodi cambium valde utile & familiare est mercatoribus, ut ubique possint habere pecunias sine periculo & onere translationis.

No. 63. DE JUSTITIA LUCRI IN CAMBIO REALI.

I. *Justitia lucri cambii realis.* II. *Ejus titulus,* III. *In campsore ex officio.* IV. *De campsore per accidens.* V. *Casus.*

AN in cambio reali lucrum est justum?

I. R. Affirmativè, et probatur ex praxi totius orbis, nullâ lege prohibente, imò jure pontificio approbante nedum ut rem licitam, sed & necessariam. Ita Pius V. bulla IN EAM.

Quo titulo lucrum in cambio reali est justum & licitum?

II. R. Pro clariori intelligentia notandum, alium esse campsorem ex officio publicâ vel privatâ authoritate legitimè suscepto, alium esse campsorem per accidens.

III. Titulus specialis in campsore ex officio est, quòd ille ratione hujusmodi officii impeditur a lucro aliter faciendo, sustinet expensas, suscipit laborem, industriam et pericula pro conquirendis variis speciebus pecuniarum, et similiter pro pecuniarum translatione reali vel virtuali, habendo ubique correspondentes.

Cæterum, cum hæc in gratiam indigentium cambio sus-

cepta, pretio æstimabilia sint, ipsum officium campsoris est justus titulus lucri cambialis.

Nec obstat interdum campsorem id facere sine labore et incommodo, imò cum suo commodo; nam hoc per accidens est, ejusque industriæ et bonæ fortunæ adscribi debet.

Major difficultas est, si aliquis per accidens tantùm campsorem agit, idque sine labore et incommodo; an ille lucrum ex simili cambio exigere possit?

IV. R. Daelman & Billuart sustinent, talem nihil exigere posse defectu tituli: Salmanticenses è contra volunt, talem etiam habere justum titulum; nimirum quia commoditas illius pecuniæ præ alia, morali judicio est pretio æstimabilis, et in cambio locali intervenit virtualis pecuniarum translatio, quam nullus tenetur gratis alteri præstare.

Braunman dicit, si duo egeant cambio, Joannes v. g. egeat pecuniis Parisiis, quas habet Bruxellis, et Petrus egeat Bruxellis, quas habet Parisiis, tunc neutrum posse aliquod lucrum exigere, si sibi mutuam indigentiam indicent; quia sibi mutuò eandem utilitatem præstant: si verò sibi invicem necessitatem suam non indicent, sed unus alterum præveniat, tunc rogatus posset a rogante lucrum exigere.

Si tamen leges Principis aut Reipublicæ vetent particularibus cambire, non ausim excusare etiam in conscientia, inquit Steyaert, putemque contra Wiggers esse locum restitutioni; quia contractus est nullus. De hoc ultimo tamen alii Authores dubitant, incerti an lex illa sit irritum faciens, an prohibens tantùm.

Admittit interim Daelman, eum, qui habet patacones zelandicos, aut pistolas gallicas similesve species, posse aliquod auctarium supra pretium legitimum recipere, si eas permutet cum alia specie; quia præter pretium legitimum, priores illæ species in ratione mercis habent aliud pretium vulgare, Principe sciente et non contradicente.

An licet nummos, qui hic minoris valent, transferre in locum, ubi pluris valent, v. g. in Patriam Leodiensem, ut inde captetur lucrum?

R. cum Steyaretio: pecuniis istis uti secundum valorem currentem non est absolutè illicitum, hominibus sibi invicem remittentibus: si quis tamen occasione similis lucri captandi impleret hanc patriam pecuniis, quæ seriùs

aut citiùs abrogandæ videntur ob valorem internum non satis æquum, id injustum est contra rem publicam, ideoque & legibus puniri solet.

No. 64. DE CONDITIONIBUS AD JUSTITIAM LUCRI CAMBIALIS REQUISITIS.

I. *Sunt tres præcipuè conditiones,* II. *Unde dignoscatur cambium siccum.* III. *Casus.* IV. *Usurarium est cambium ad nundinas,* V. *Seu Francofurtense,* VI. *item Bysantitinum.*

QUÆNAM conditiones requiruntur, ut lucrum in cambio sit justum?

I. R. Præcipuè hæ tres: prima ut servetur justum pretium cambii, ne excedatur æqualitas contractûs cambialis: justum autem pretium hic est, quod vel ex lege, vel ex consuetudine locorum, vel communi æstimatione peritorum in ea re taxatur: quod cùm a variis circumstantiis dependeat, frequenter mutatur.

Secunda, ut nihil exigatur ex sola dilatione solutionis campsarii; quia aliàs foret usurarium.

Tertia, ut cambium sit reale et non siccum.

Undenam dignoscitur cambium esse siccum?

II. R. Si campsarius nec alio loco, nec determinatæ speciei pecuniam sibi numerari petat, sed id a campsore fingatur, ut videatur habere titulum lucri cambialis.

In qualem contractum resolvitur cambium siccum?

R. In contractum mutui; hoc enim solum petit hujusmodi campsarius, nimirum a campsore habere pecunias postea reddendas.

Nec quidquam facit, campsorem numerasse pecuniam a parte rei diversam quoad speciem vel locum, a pecunia postea reddenda: quia respici non debet, quid fecerit campsor, sed quid voluerit campsarius; ex sola enim voluntate campsoris non perficitur contractus cambii.

An igitur cambium siccum est mutuum usurarium?

R. Affirmativè, nisi forte excusetur ex pacto super titulis damni emergentis, &c.; nam cambium siccum est merum mutuum, idque sub lucro.

III. Quid dicendum de hac praxi: quis hìc in Belgio ad cambium petit v. g. 100 pistolas in auro, reddendas in

Germania, ubi pluris valent: interim campsor stipulatur de certo lucro cambii, et insuper obligat campsarium, ut in Germania reddat 100 pistolas in auro?

Respondet Braunman hanc praxim videri corruptelam; non enim servatur æqualitas, cùm campsor supra lucrum, quod debetur ratione cambii, recipiat insuper id, quod pistolæ in Germania pluris valent, sicque peccatur contra primam conditionem.

Quid dicendum de cambio, quod vocatur ad nundinas?

IV. R. Nundinæ vocantur forenses mercatorum conventiones in præcipuis orbis emptoriis, ad quas de trimestri in trimestre conveniunt mercatores causâ commercii, et pecunias, quas unus alteri dedit ad cambium in primis nundinis solvendas, prolongant ad nundinas sequentes; solentque tunc mercatores pro rata longioris temporis augere lucrum cambii.

Hoc cambii genus, etsi inter mercatores commune, usurarium est; quia exigitur aliquid ex sola dilatione solutionis campsarii, quod est contra secundam conditionem.

V. Vocatur hoc cambium Francofurtense, eò quod Francofurti bis in anno solemnes nundinæ celebrentur circa Pascha & in Septembri, in quibus fiunt solutiones cambiorum.

Quid dicendum de cambio Bysantino?

VI. R. Cambium Bysantinum seu Placentinum, eò quòd in istis urbibus non sit copia mercatorum, sic fit: dantur v. g. Mechliniæ pecuniæ ad cambium, et campsarius obligatur illas restituere Bysantii aut Placentiæ vel alibi, ubi pecunias non habet, & ideo campsarius campsorem rogat, ut in illo loco ipse per suum factorem jubeat sibi fieri solutionem, qui factor postea eandem summam per recambium remittit Mechliniam a campsario solvendam cum lucro duplicis cambii.

In praxi dicendum est, illud cambium esse siccum, adeoque peccari contra tertiam conditionem.

Ratio est, quia, dum campsor intelligit a campsario eum in illo loco pecunias non habere, satis noscit, pecuniam finaliter reddendam fore Mechliniæ, ubi numerata est; adeoque fingitur esse cambium locale; nec enim campsarius quærit alibi pecunias, nec intentio campsoris est eas aliò transferre, sed eas hic dare et recipere cum lucrò, quod est merum mutuum usurarium.

De recambio, item cambio recursæ, vide De Coeq, Braunman, &c.

No. 65. DE LOCATIONE-CONDUCTIONE.

I. *Locatio-conductio.* II. *Obligationes locatoris.* III. *Obligationes conductoris.*

QUID est locatio-conductio?

I. R. Est conventio de usu, fructu rei, vel opera personæ pro certo pretio ad tempus concedendis.

Qui dat pretium conductor item locatarius, alter verò locator nuncupatur.

Locatio-conductio affinis est emptioni-venditioni: unde quæ de emptione-venditione dicta sunt, hic in memoriam sunt revocanda; differt tamen ab ea, quòd in locatione-conductione non transfertur rei elocatæ dominium, sed solus usus vel fructus: unde periculum rei locatæ manet penes locatorem.

Quænam sunt obligationes locatoris?

II. R. 1°. Tenetur rem vel operas locatas conductori præstare: unde peccant contra justitiam operarii et famuli multùm negligentes.

2°. Tenetur ad expensas necessarias pro reparatione, utilitate et usu rei elocatæ.

3°. Tenetur ad onera et tributa rei locatæ imposita, nisi aliter conventum sit, vel aliter habeat loci consuetudo, aut res locata sit frugifera, et onera imposita sint fructibus.

4°. Tenetur remittere pensionem pro eo tempore, quo fructus vel usus rei elocatæ cessat absque culpa conductoris, nisi iterum consuetudo loci aut conventio aliud habeat.

Similiter propter sterilitatem magnam vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito aut vi tempestatis, hostili depopulatione, &c. contingentem, pro rata remissio pensionis facienda est, nisi ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.

5°. Tenetur aperire occulta et nociva vitia rei locatæ: alioquin si celet aut occultet, tenetur reparare damna inde conductori obvenientia juxta Num. 34.

6°. Tenetur per se loquendo rem non locare illis, qui eâ abusuri sunt ad peccatum conformiter ad dicta Num. 38.

7°. Tenetur non repetere rem locatam antequam terminus locationis effluxerit, nisi fuerit specialis causa hoc concedens, quales in jure quatuor assignantur: si conductor per triennium non solverit, re conductâ abutatur, domus ipsi locatori incipiat esse necessaria ad inhabitandum, vel reparari nequeat inhabitante conductore.

Ad quid tenetur conductor seu locatarius?

III. R. 1°. Tenetur non uti re conducta ad alium finem, quam ad quem eam conduxit, nisi ex præsumpta voluntate locatoris.

2°. Tenetur rem conductam ante tempus non dimittere absque justa causa, vel certè debet integrum pretium solvere, de quo conventum est.

3°. Debet finito conductionis tempore reddere rem elocatam locatori integram et incolumem.

4°. Tenetur pro rei conductæ conservatione eam curam abhibere, quam diligentiores adhibent in suis rebus ejusdem generis; adeoque tenetur ex culpa lata & levi, non ex levissima, multò minùs ex casu fortuito.

5°. Tenetur solvere pretium locationis, de quo tacitè vel expressè conventum est.

Plura, quæ hic tractantur ab Authoribus, ferè juridica sunt, et plurimùm diversa secundum diversas leges et consuetudines locorum: sic moribus nostris contra jus commune plerumque obtinet, ut conductio præferatur emptioni.

Quæ pertinent ad elocationem et administrationem bonorum Ecclesiasticorum, ex Synodo Prov. Cameracensi & Mechliniensi simul collecta videri possunt in supplemento Neesen quæst. 9. dubio 4. Videri etiam potest Zypæus in notitia Juris Belgici, paragrapho de rebus Ecclesiæ non alienandis.

No. 66. DE EMPHYTEUSI ET FEUDO.

I. *Emphyteusis,* II. *Feudum,* III. *Eorum differentia.* IV. *Quid laudimium.*

QUID est Emphyteusis?

I. R. Est contractus, quo rei immobilis dominium utile alteri (Emphyteutæ) conceditur, sub onere pensionis annuæ solvendæ Domino directo.

Dicitur *rei immobilis dominium utile*, quibus articulis differt a locatione, quæ potest esse tam rei mobilis, quàm rei immobilis; nec transfert ullum dominium, sed solum usumfructum.

Deinde emphyteusis dari solet ad longum tempus, imò nihil impedit, quominus sit perpetua. Emphyteuta etiam ordinariè habere solet obligationem rem meliorandi plantatione arborum, &c. unde latinè *implantatio* aut *insitio* dicitur.

Quid est feudum?

II. Est contractus, quo rei immobilis dominium utile transfertur in alterum (feudatarium seu vasallum) sub onere fidelitatis & obsequii personalis præstandi Domino directo.

III. Differt feudum ab emphyteusi, quòd huic insit onus pensionis realis, illi onus obsequii personalis. Quòd si in feudo interdum jungatur aliquod reale in recognitionem dominii directi, miscetur eatenus aliquid de emphyteusi.

In emphyteusi succedunt etiam feminæ; in feudo jure communi soli masculi, sed in Belgio passim etiam feminæ.

IV. Quovis modo emphyteusis alienetur, debet a novo emphyteuta pro admissione Domino directo solvi jus dominicum, quod *laudimium* dicitur, & nunc usu ferè communi est solutio duplicis canonis. Quomodo feudum relevari debeat, & qualiter præstari juramentum fidelitatis (a quo Ecclesia quidem excipitur, sed substitui ei per mores debet aliquis, quem hominem morientem vocant) cujus præstationem & unà subjectionem complectitur *homagium*, videri potest apud Zypæum in notitia Juris Belgici tit. *de Feudis*.

Plurima, quæ spectant ad hanc materiam, repetenda sunt a locorum consuetudinibus, quæ nusquam magis, quàm in hoc negotio variantur.

No. 67. DE COMMODATO, PRECARIO ET DEPOSITO.

I. *Commodatum*, II. *& precarium*. III. *Obligationes commodantis*, IV. *& commodatarii*. V. *Depositum*. VI. *Obligationes depositarii*. VII. *Casus*.

QUID est commodatum, ut est contractus?

I. R. Est rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad certum tempus.

Quid est precarium ut est contractus?

II. R. Est rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad nutum concedentis revocabilis.

Precarium igitur non differt a commodato, nisi quòd possit quovis tempore repeti a concedente: hinc & *precarium* dicitur; quia accipiens semper censetur precari, ut rem retinere possit.

Dictum est utrobique *ut est contractus*; quia commodatum & precarium sæpe sumuntur pro re commodata & precariò data.

Quænam est obligatio commodantis?

III. R. 1°. Tenetur aperire occultum vitium rei commodatæ utenti periculosum; alioquin tenetur de damno secuto.

2°. Tenetur ad extraordinarias expensas rei commodatæ necessarias, v. g. ad curandum equum absque culpa commodatarii læsum.

3°. Tenetur ante tempus implicitè vel explicitè præfixum (nisi urgeat necessitas non prævisa) rem commodatam non repetere: alioquin tenebitur commodatario de damno secuto ex intempestiva revocatione ejusdem.

Quænam est obligatio commodatarii?

IV. R. 1°. Non utendi re commodatâ, nisi ad usum sibi concessum, aut saltem cui prudenter judicet Dominum concessurum.

2°. Rem commodatam expensis suis statuto tempore reddendi non deterioratam, nisi quatenùs necessariò accidit ex usu concesso.

3°. Tenetur ad expensas ordinarias et modicas, ad rei commodatæ conservationem necessarias.

4°. Tenetur ad diligentissimam rei commodatæ custo-

diam, si (ut fieri solet) commodata sit in commodum solius commodatarii: adeoque tenetur ex culpa levissima. In precario tenetur accipiens solummodo ex culpa lata vel dolo. Si autem commodatum (quia ei v. g. adjungitur locatio-conductio) cedat in utilitatem utriusque, tenetur accipiens ex culpa lata & levi, non tamen ex levissima. De casu merè fortuito non tenetur, nisi interveniat pactum, culpa vel mora. Vide Num. 42. *de Jure et Justitia.*

Quid est depositum?

V. R. Est contractus, quo res alteri traditur, & ab eo suscipitur custodienda ac integra reddenda.

Quænam sunt obligationes depositarii, seu illius, qui rem custodiendam suscipit?

VI. R. 1°. Tenetur depositum servare eâ fide, quâ conservare solet res proprias; unde tenetur ex culpa lata tantùm, si gratis rem custodiendam susceperit. Reliqua vide Num. 42. *de Jure et Justitia.*

2°. Tenetur rem sine mora reddere Domino eam repetenti, nisi prævideretur eâ abusurus, vel expensæ in conservanda re deposita factæ nondum sint restitutæ, &c. Vide Num. 61. *de Jure et Justitiâ.*

3°. Debet eam reddere in eo statu, in quo accepit.

4°. Re illâ uti non potest sine licentia Domini deponentis: quod si sine licentia tacita expressa aut rationabiliter præsumpta re illâ utatur, tenetur de damno secuto.

Quid, si quis pecuniis apud se depositis utatur, & utendo lucretur?

VII. R. Lucrum restituere non tenetur, cùm sit fructus industriæ: si tamen Dominus sit rationabiliter invitus, utendo peccat, & damnum, si quod inde sequitur, tenetur compensare.

Quando deponens, ait Billuart, usum pecuniæ non interdicit depositario verbo vel signo, censetur ordinariè, aut saltem præsumitur non curare, nec esse valde invitus: unde vix aut ne vix peccat depositarius iis quasi mutuis utens ad suas necessitates vel negotiationem, modò sit paratus eas repetenti statim reddere absque ullo ejus damno. Ratio est, quòd hoc potiùs commodo quàm damno deponentis cedit, cùm ejus pecunia manens apud depositarium, maneat periculo deponentis; secùs si expendatur a depositario cum certitudine eam repetendi, quando placuerit.

No. 68. DE CONTRACTIBUS QUIBUSDAM MINORIS MOMENTI.

I. *Fidejussio,* II. *Assecuratio,* III. *Transactio,* IV. *Mandatum,* V. *Negotiorum gestio,* VI. *Pignus,* VII. *Hypotheca.*

QUID est fidejussio?

I. R. Est contractus, quo quis se obligat ad alienam obligationem implendam, si eam non adimpleat debitor principalis.

Fidejussor per se loquendo non potest conveniri ad solvendum, nisi *excusso principali,* vel saltem constiterit, eum non esse solvendo.

Aliud est, si fidejussor (ut fieri solet) beneficio ordinis & excussionis renuntiaverit, seu se debitorem æquè principalem constituerit, aut per leges aliter statuatur. Alias insuper exceptiones adfert Stockmans decisione 103.

Debitor tamen principalis fidejussorem tenetur indemnem servare.

Fidejussor autem jure communi in tribus casibus petere potest a fidejussione absolvi: 1°. Si debitor sua bona dilapidet, ita ut immineat periculum fidejussori: 2°. Si fidejussor jam diu fidejusserit, & hoc temporis spatio debita solvere potuerit: 3°. Quando fidejussor ad solvendum est damnatus, statim, antequam solvit, agere potest in debitorem ut ipsum liberet & indemnem servet.

II. Fidejussioni affinis est *assecuratio,* estque alieni periculi in se susceptio.

Differt tamen a fidejussione, quòd hæc solùm locum habeat in debitis ex contractu, illa sit respectu cujuscumque rei periclitantis. Item fidejussio est tantum obligatio accessoria supponens principalem; assecuratio autem est obligatio principalis: ita ut, si ex aliqua capite liberetur debitor, putà pupillus, qui sine venia tutoris contraxit, non idèo liberetur assecurator.

Quid est transactio?

III. R. Est conventio utrimque onerosa, quâ res dubia & incerta componitur inter partes.

Per transactionem bonâ fide celebratam, controversia

ultimatè finitur tam in foro interno, quàm externo, etsi postea instrumenta probationis invenirentur.

Dicitur utrimque *onerosa;* & ita differt a compositione amicabili, per quam pars debiti aut juris gratis remittitur.

Quid est mandatum?

IV. R. Est contractus, quo committitur & gratis suscipitur obligatio aliquid agendi in commodum alterius.

Dicitur *gratis;* quia si susciperetur pro mercede, ut a Procuratore & Advocato transiret in locationem operarum.

Mandato affinis est negotiorum gestio, quâ nempe quis absentis & ignorantis negotia utiliter gerenda suscipit velut ex commissione ejus rationabiliter præsumpta. Vide Antoine.

Quid est pignus?

VI. R. Est contractus, quo res mobilis obligatur creditori in securitatem debiti, ita ut possit ex eo solutio peti, si debitor non solvat.

Quid est hypotheca?

VII. R. Contractus, quo res immobilis obligatur creditori in securitatem debiti.

No. 69. DE LUDO ET SPONSIONE.

I. *Ludus* II. *Est per se licitus.* III. *Quomodo in eo peccetur mortaliter,* IV. *& quandonam obligatio restitutionis.* V. *Sponsio.*

QUID est ludus ut est contractus?

I. R. Est conventio, quâ ludentes decernunt certum præmium victori solvendum.

II. Ludum generatim sumptum, prout est jucundum aliquod dictum vel factum ad animi relaxationem, licitum esse posse, extra controversiam est: imò in defectu ludi posse peccari, docet S. Thom. 2. 2. quæst. 68. a. 4.

Posito verò ludum secundùm se licitum esse, etiam licitus esse potest ludi contractus, quo victori præmium aliquod decernitur, modò sit moderatum; quia si præmium sit adeo magnum, ut ejus amissio paupertatem aut tristitiam causare nata sit, destrueretur finis intrinsecus ludi, qui est delectatio.

Ex quibus capitibus contingit in ludo generaliter sumpto peccari mortaliter?

III. R. Ex his potissimùm: 1°. Si ludus sit per se illicitus vel turpis, ut ludi obscœni vel cum periculo vitæ.

2°. Si sit jure positivo graviter prohibitus. De prohibitione juris positivi consule Daelman & Anselmo in Treboniano Belgico.

3°. Si ludenti vel aliis sit occasio proxima peccati mortalis, ut perjurii, blasphemiæ, gravium rixarum, &c.

4°. Si graviter negligantur officia proprii statûs.

5°. Si ludatur cum gravi damno aliorum; v. g. cum periculo insufficientiæ ad solvenda debita, aut alendam familiam.

6°. Si interveniat vis aut fraus in grave alterius damnum.

7°. Potest esse peccatum mortale propter vehementiam affectûs, seu quòd quis finem suum ultimum in lusu constituat. Vide Num. 5. *de Actibus Humanis.*

Quibus casibus in ludo, ut est contractus, peccatur contra justitiam, & victor tenetur ad restitutionem?

IV. R. 1°. Si victus non habeat rei dominium & liberam administrationem.

2°. Si victor, cùm esset notabiliter peritior altero, eundem fraude, nempe simulando imperitiam suam, induxerit ad ludendum.

3°. Si contra leges ludi usus sit aliquâ fraude; nisi lusores hanc sibi mutuò censeantur condonare, aut sit ex illis astutiis, quas ex consuetudine ludus patitur.

4°. Generaliter videtur non posse per ludum lucrari, qui non potest perdere, ut rectè explicat Wiggers.

An victus tenetur in conscientia solvere, quod ludo amisit?

R. Affirmativè, si ludo non vetito amisit.

Quòd si ludo vetito amiserit, juxta leges potest repetere in judicio, quod amisit: ex quo consequens est, victum, si necdum solverit, posse in conscientia servare: quia juxta regulam juris in 6. *Qui ad agendum admittitur, est multò magis ad excipiendum admittendus.*

Existimat tamen Daelman leges istas esse antiquatas & abrogatas, cùm jam ex nullo lusu sive vetito sive licito dari soleat actio in foro externo; quod si verum

est, cessat exceptio, & manet obligatio naturalis in conscientia.

Lucrum ex ludo legibus positivis solùm vetito acquisitum, retinere licet donec per sententiam Judicis ordinata sit restitutio. De ludis latiùs vide De Cocq & Daelman.

Quid est sponsio, *vulgò certatio*, *flandricè* Weddinge, *gallicè* Gageure?

R. Est contractus, quo aliqui de veritate vel de eventu alicujus rei contendentes, præmium decernunt ei qui veritatem fuerit assecutus.

Ut contractus sit justus, necesse est, ut res, de qua contenditur, eodem sensu ab utroque accipiatur, utrique sit æquè incerta, aut saltem fiat aliquatenus incerta per alterius contradictionem, nisi forte alter certitudinem expositam remitteret.

Deinde abesse debet fraus simulatæ incertitudinis, & tandem requiritur, ut leges sponsionem non prohibeant. Consule Herincx & Anselmo in Treboniano Belgico cap. 79.

No. 70. DE TRIBUTIS ET VECTIGALIBUS.

I. *Tributum.* II. *Vectigal,* III. *Gabella.* IV. *Tria requisita:* V. *Legitima authoritas,* VI. *Justa causa,* VII. *& debita proportio.*

NOMINE tributi & vectigalis generatim & passim intelligitur omne id, quod Principi aut Reipublicæ a privatis solvi solet ad sustentationem Principis vel communia onera ferenda.

I. At strictè loquendo tributum significat pensionem a subditis proportionatè ad media præsertim prædialia solvendam.

II. Vectigal autem propriè significat pensionem solvendam pro rebus, quæ exportantur aut importantur in provinciam aut civitatem.

III. Alio nomine tam tributum quàm vectigal vocari solet *gabella:* sed nomina hæc confundi solent.

Quænam requiruntur, ut tributum seu vectigal sit justum?

IV. R. Hæc tria: 1°. Legitima authoritas in eo, qui imponit. 2°. Legitima causa. 3°. Debita proportio.

V. Quod ad primam conditionem attinet, hæc per se loquendo est tantùm in supremo Principe; in Principibus vasallis solùm ex concessione aut præscriptione. Civitates etiam possunt imponere civibus quædam onera ad bonum commune, quæ vocari solent *Collectæ*.

VI. Quod ad justam seu legitimam causam attinet, ea est duplex, scilicet publica necessitas vel utilitas & justa vindicta: ad publicam necessitatem vel utilitatem spectat debita alimentatio Principis, militum, reparatio urbium, &c.: ex justa vindicta potest aliquando imponi tributum subditis, qui rebellarunt, tum ad eorum punitionem, tum ad compensationem damnorum in ipsis subjugandis factorum.

Ad justam quoque causam spectat, ne tributa exigantur ad alienos usus, aut voluptuarios sumptus Principis, qui modum excedunt, prodigas largitiones, aliasque inutiles expensas.

VII. Tertium requisitum est, ut servetur debita impositionis proportio juxta conditionem singulorum, ita ut illi qui pluribus abundant, aut plus de communitate lucrantur, plus contribuant; & deinde si causa aliquos singulariter tantùm concernat, singulariter graventur.

Ex quo ulteriùs sequitur, injustum esse, si aliquis absque causa merè pro arbitrio a tributis eximatur.

Item tributum imponi debere iis rebus, ex quibus non æquè gravantur pauperes, quàm divites: atque ideo in Jure Canonico & civili prohibitum est tributo gravare res, quæ ad necessarium familiæ usum emuntur aut advehuntur. Hinc Cajetanus docuit, iniqua esse vectigalia, quæ imponuntur rebus usualibus, ut vino, cerevisiæ, sali, &c.

Verùm hæc sententia rejicienda est tanquam falso innixa fundamento; falsum enim est, pauperes similibus vectigalibus semper plus gravari, quàm divites: revera enim, ait Steyaert, magis gravantur divites, qui vinum bibunt vel meliorem cerevisiam, & alia pretiosiora consumunt, ubi pauperes vilioribus victitant. Adde, divites multis aliis uti, quæ vectigalibus subjecta sunt, & quibus pauperes carent.

Aliud foret, si omnia vel præcipua vectigalia imponerentur solis usualibus, & quidem illis, quibus pauperes æquè ac divites indigent, v. g. sali, pani, &c. & ad hoc genus impositionum videntur respexisse quidam antiquiores.

Quantùm ad leges civiles & Ecclesiasticas hujusmodi vectigalia prohibentes, dicendum, leges istas intelligi sub hac exceptione, nisi insufficientia sint vectigalia, quæ aliunde colligi possunt.

No. 71. DE OBLIGATIONE ET DEFRAUDATIONE VECTIGALIUM.

I. *Solutio tributorum obligat in conscientia.* II. *De fraudantibus vectigalia.* III. *Temperamentum* IV. *Steyarertii* V. *Non omnibus placet.* VI. *Emens merces fraudatas* VII. *Non videtur teneri ad vectigal,* VIII. *Nisi fuerit cooperatus.*

AN solutio tributorum & vectigalium obligat in conscientia?

R. Affirmativè, ut constat ex Apostolo ad Rom. cap. 3: *Subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Nec obstat, pœnam apponi solere contra fraudantes; nam adjectio pœnæ non tollit legis obligationem, sed potiùs eam confirmat & urget. Vide Num. 38. *de Legibus.*

Dices: equidem tantùm sequitur, vectigalia esse solvenda, quando exiguntur; sed non sequitur, illicitum esse, illa fraudare, dum telonia transimus & exactores nil petunt?

R. Negando ass. *regulariter loquendo;* nam sicut teneor solvere debitum contractum, non tantùm quando creditor illud exigit, sed etiam casu quo per oblivionem exigere omittit, ita similiter cùm vectigal sit debitum, spontè solvendum est; vectigal enim non debetur, quia exigitur; sed exigitur, quia debetur.

Ita etiam ruit paritas, quam urgent contrariæ sententiæ patroni, neminem nempe teneri sponte suâ addicere bona sua Fisco: disparitas enim est; quòd in hoc casu sit mera pœna, quæ non debetur, nisi quia exigitur; vectigal exigitur, quia debetur.

Dictum est *regulariter loquendo:* quia posset esse exceptio, dicit Billuart, si Princeps declararet, aut attentâ consuetudine satis constaret, tributum non esse solvendum, nisi exigatur.

An licet defraudare vectigalia, si sint probabiliter injusta?

R. Existimat Billuart, de tributis dubiis idem resolvendum esse sicut de debitis dubiis, nempe solvenda esse ad ratam dubii. Multi tamen generaliter respondent, esse integrè solvenda, tum quia in dubio standum est præcepto superioris instanter præcipientis, tum quia Princeps sæpe habet causas occultas: denique, ut deducit Steyaert, ex altera sententia gravissima incommoda sequi nata sunt.

Quid dicendum de iis, qui vectigalia defraudarunt?

R. In conscientia tenentur ad restitutionem, quandoquidem peccarint contra justitiam & jura Principis violarint.

II. Restitutio hæc Confessarios quidem multùm cruciat; sed id etiam in aliis restitutionibus sæpe locum habet: quapropter oportet eos esse constantes, & pœnitentes ad restitutionem sine remissione obligare: & certè vel agitur de fraudatoribus ex professo, & hi omnino ad restitutionem sunt obligandi; vel agitur de illis, qui unâ tantùm aut alterâ vice defraudarunt: & tunc cùm restitutio non sit valde notabilis, non erit etiam valde difficilis. Adde, respectu horum, ut dicit Daelman, posse aliquando præsumi de benignitate Principum pro remissione restitutionis. Quandoquidem hi quotam suam, vectigalia passim solvendo, moraliter contribuisse censeantur.

Quid dicendum de istis vectigalibus, quæ nunc tam alta sunt, quia ea multi defraudant, futura alioquin leviora, si omnes solverent?

III. R. Pro solutione hujus difficultatis ex Sylvio Steyaertius aliquod temperamentum suggerit controversiâ 8. quæst. 2. in appendice ad comment. Wiggers, scilicet hoc, quòd quis intantùm defraudare possit de istis vectigalibus, quantùm prudenter judicat, se jam plus gravari, quàm aliàs gravaretur, si omnes solverent.

IV. Sed temperamentum hoc non omnibus placet: In primis, quia sic privatus quisque constituitur judex in determinanda parte onerum, quam ferre debet: 2°. Quia sic leges vectigalia tam alta constituentes manifestè eluduntur & inutiles sunt, ut ex ipso exemplo, quod Steyaert adducit, evidens est; quid enim juvat, Principem imponere v. g. vectigal duplum, ex eo quòd ferè medietas

communitatis defraudet, si altera medietas in conscientia tuta sit solvendo simplum? Certè ex tali impositione nihilò ditior erit Princeps.

Unde dicendum videtur, cum illa vectigalia aucta justa sint ex parte Principis, (Princeps enim ea tam alta exigere cogitur ad providendum bono communi) ea etiam in conscientia solvenda esse, si non ad extremum apicem, saltem moraliter. Dicere, mercaturam agi non posse, si omnia vectigalia solvantur, communiter sunt querelæ hominum plus æquo lucrari volentium.

An & quousque Ecclesiastici a tributis & vectigalibus eximantur, vide in Tract. *de Religione* Num. 196. & 197.

An si quis emat mercem, cujus vectigal novit venditorem defraudasse, ille teneantur istud solvere in defectu venditoris?

V. R. Negativè; quia vectigal non est onus reale, sed personale: & hoc satis certum est, dum pro vectigali non debetur certa pars mercis sed pecunia.

VI. Quòd si pro vectigali debeatur aliquota mercis pars, v. g. decima, adhuc juxta Billuart probabilius est, emptorem non teneri, quia licet juxta quosdam tunc sit onus reale, quamdiu equidem pars ista separata & tradita non est, venditor retinet istius partis dominium, adeoque eam validè in emptorem transferre potest.

Nec obstat, inquit idem juxta cap. 33 *de Decimis*, fructus nondum decimatos alienari non posse sine onere decimarum: respondetur enim jus ita disposuisse de decimis, non verò de tributis.

Nota tamen, non solùm mercem venditam, sed omnia bona venditoris hypothecata Principi, ut ex eis, si velit, possit suum vectigal recuperare.

VII. Nota etiam, quamvis emptor non peccet præcisè ex hoc, quòd emit talem mercem, nec teneatur restituere vectigal, si tamen sic emendo moveat alterum ad iterum defraudandum, eum posse peccare & teneri ad restitutionem ut cooperatorem damni.

Quid dicendum de rebus, pro quibus quidem non exigitur vectigal, sed simpliciter prohibentur evehi vel invehi in Provinciam aut Civitatem, vulgò *contrebandes*?

R. Inhibitio hæc dupliciter fieri potest, scilicet vel primariò ad bonum commune: & tunc illæ leges communiter obligant sub gravi, ut ex materia & pœnis appositis colligitur conformiter ad dicta *de Legibus* N. 43. & 44. vel

inhibitio primariò facta est in favorem alicujus opificii, prout quandoque introductio certarum mercium in civitatem prohibita est ratione privilegiorum, quæ iis vel illis opificiis concessa sunt: & tunc juxta quosdam talis inhibitio non est propriè lex, sed potius privilegium, introductionem sub mulcta impediendi.

Cæterum in hac materia sedulò notandum, illos frequenter peccare mortaliter, qui hanc negotiationem exercent, ex hoc capite, quòd prohibeatur sub pœna mortis; quia non licet se tanto periculo exponere pro lucro temporali: item quando se armis contra custodes defendere intendunt.

No. 72. DE JUDICIIS PUBLICIS.

I. *Judicium publicum.* II. *Conditiones ex parte Judicis,* III. *& ex parte litigantium.*

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 60.

QUID est judicium publicum seu forense?

I. R. Est legitima apud Judicem tractatio controversiæ, & per sententiam ejusdem determinatio.

Quænam conditiones ex parte Judicis requiruntur?

II. R. Juxta S. Th. requiruntur hæ tres: 1°. Ut Judex habeat jurisdictionem in eum, quem judicat: 2°. Ut fiat ex inclinatione justitiæ, non ex pravo affectu, odii, favoris, &c.; 3°. Ut fiat secundum regulas prudentiæ.

Quænam conditiones requiruntur ex parte litigantium?

III. R. 1°. Requiritur justa causa: 2°. Ut non recusent rationabilem viam pacis: 3°. Ut mala & incommoda ratione litis timenda non prævaleant gravitati causæ. Quapropter, quia rarò omnes istæ conditiones adsunt, Apost. 1. ad Cor. cap. 6. v. 7. litigantes arguit dicendo: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habeatis inter vos.*

Hinc liquet, ob summa incommoda lites vitandas esse, etiam tantùm consulendo utilitati privatæ, ut observat Steyaert, unde nec ipsi causidici pro se litigare solent.

Hoc etiam incommodi est, inquit Daelman, signanter pro Pastoribus, quòd, dum litigiosi sunt, saluti parochianorum parum soleant allaborare.

Judicium publicum esse actum justitiæ, extra dubium est, cùm tendat in hoc, ut jus suum cuique servetur aut reddatur.

No. 73. DE OFFICIO ET OBLIGATIONE JUDICIS.

I. *In Judice requiritur* II. *Sufficiens scientia* III. *& legitima authoritas.* IV. *Munera acceptare non potest,* V. *Nec quidem levia,* VI. *Nec post sententiam.* VII. *Quid si malè judicaverit,* VIII. *Nec peccat judicando in statu peccati mortalis.* IX. *In criminalibus res debet esse liquida.* X. *Non ita in civilibus.*

QUÆNAM qualitates in Judice requiruntur?

I. R. Præcipuè duæ, nempe sufficiens scientia, & legitima authoritas.

II. Ob defectum prioris tenetur officium Judicis non acceptare, aut ab acceptato desistere, nisi fortè per consilium alienum posset suam insufficientiam supplere.

III. Ob defectum legitimæ authoritatis acta Judicis invalida sunt: defectus autem ille dupliciter contingit, videlicet absolutè & respectivè: absolutè, quando jurisdictionem nunquam habuit, vel ab ea excidit: v. g. si Judex sit excommunicatus non toleratus. Respectivè, quando personæ vel causæ judicandæ ipsius jurisdictioni non subsunt.

Nota tamen, valida esse acta Judicis habentis titulum coloratum cum communi errore populi, ut habetur lege BARBARIUS digest. lib. 3. *de Officio prætoris.* Vide latiùs Billuart, item Num. 106. *Sacramento Pœnitentiæ.*

Quid faciendum fit Judici, dum privata scientia novit rem aliter se habere, quàm in Judicio probatum est, colligi potest ex dictis Num. 123. *de Jure & Justitia.*

An licitum est Judici acceptare munera ab alterutra parte litigantium?

IV. R. Non est quæstio de justo stipendio sive a republica, sive a partibus solvendo; id enim indubiè licitum est acceptare; sed agitur de muneribus sponte & gratuitò oblatis ad captandam Judicis benevolentiam; dicimus autem id esse prohibitum tum legibus tum juramento communiter in his partibus a Judice præstando, saltem si munera sint notabilia & ante sententiam offerantur.

V. Quantùm ad exigua, quæ in bellariis, poculentis aut esculentis consistunt, etsi aliqui nihil mali in eo apprehendant, rectè tamen monet Wiggers, Judicibus integris etiam a talibus abstinendum esse; quantumvis enim levia nata sunt animos etiam integerrimorum movere, nec ad alium finem dantur.

VI. Post sententiam Authores liberaliùs procedere solent: sed nec res ista tuta est; quia etiamsi munera post sententiam dentur, tamen in eam influere possunt, in quantum Judex ex spe illorum obtinendorum moveri possit: & quamvis in sententiam jam latam non influerent, equidem præparant animum Judicis pro futuro: atque ideo Consiliariis Curiæ Brabantiæ id expressè prohibitum est.

An Judex teneatur restituere, quod pro sententia justa vel injusta accepit, colligitur ex N. 55 & 56. *de Jure & Justitia.*

Ad quid tenetur Judex, qui iniquam sententiam tulit?

VII. R. Si ex malitia vel imperitia aut negligentia culpabili acciderit, tenetur parti læsæ, quanti ipsius interest, malè fuisse judicatum; secùs, si sine culpa Theologica contigerit. Vide Num. 43. *de Jure & Justitia.*

VIII. An peccat Judex ferens sententiam in peccato mortali?

R. Negativè, contra Wiclef & Hus damnatos in Conc. Const.: hocque sufficienter innuit Apostolus, superioritatem agnoscens in potestatibus etiam discolis.

Quid requiritur ut Judex sententiam ferre possit?

IX. R. In criminalibus nunquam sententiam ferre potest, nisi res sit liquida & plenè probata: unde probabiliter tantum reum damnare non potest.

X. In causis civilibus, si res sit utrimque probabilis, debet eam adjudicare illi, qui jus habet probabilius, vel ad ratam dubii facienda est divisio; talis enim est omnium litigantium sensus, nec Judex a republica vel partibus potestatem habet aliter procedendi: quòd si re scrupulosè examinatâ, maneat jus utrimque æquè probabile, partes inducendæ sunt ad compositionem, alioquin debet judicio supersedere.

Huc spectat propositio damnata: "Probabiliter existi-"matur, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam "minùs probabilem."

No. 74. DE ACCUSATORE ET DENUNTIATORE.

I. *Accusatio judicialis* II. *Differt à denuntiatione.* III. *Quinam teneantur accusare aut denuntiare.* IV. *Non est per se servanda correptio fraterna.*

QUID est accusatio judicialis strictè dicta?

I. R. Est criminis alicujus ad Judicem legitima delatio vindictæ publicæ causâ cum obligatione crimen probandi.

Hinc si accusator in probatione deficiat, condemnatur saltem ad expensas.

II. Dictum est *cum obligatione crimen probandi:* atque in hoc maxime accusatio differt a denuntiatione.

Est autem duplex denuntiatio, una extrajudicialis, seu evangelica, quæ fit superiori tanquam patri ad emendationem delinquentis, & in ea servandæ sunt conditiones correptionis fraternæ: altera judicialis, quæ crimen defert ad superiorem tanquam Judicem ad illud puniendum aut coërcendum. De hac hìc potissimùm agitur.

Quandonam quis tenetur judicialiter accusare aut denuntiare?

III. R. Quidam tenentur ex officio vel contractu, item quandoque ex speciali præcepto superioris; tuncque videndum, quousque obligatio officii, contractûs, vel præcepti rationabiliter urgere videatur.

His sepositis, ut privatus teneatur accusare vel denuntiare, requiritur 1°. Ut crimen vergat in detrimentum multitudinis temporale vel spirituale. Si tantùm vergat in damnum ejusdem particularis, non tenetur, nisi bonum aut defensio innocentis notabiliter præponderet malo punitionis nocentis.

2°. Ut nocumentum videatur avertendum hac via & non alia, quæ illius loco convenienter adhiberi potest.

3°. Ut sis certus de crimine.

4°. Ut ex accusatione vel denuntiatione non immineat tibi grave malum, vitæ, honoris aut rerum tuarum: nisi tamen gravis & urgens reipublicæ necessitas damno tuo aut tuorum meritò sit præferenda.

Nota, accusationem juridicam rariùs esse necessariam,

cùm plerumque per juridicam denuntiationem sufficienter succurri possit bono communi. Imò simplex delatio sæpe suadenda; nam denuntiator juridicus tenetur Judici insinuare testes, ex quibus appareat crimen probandum.

An accusans vel denuntians judicialiter crimen occultum, peccat, si non servet regulas ordinis correptionis fraternæ, dum malefactor privatim posset emendari?

IV. R. Conveniunt Authores, illum non peccare contra justitiam, quando crimen potest sufficienter probare, nisi fortè illud novisset sub secreto naturali, tanquam Consultor, Advocatus, &c. Ratio est, quòd servatur ordo debitus justitiæ vindicativæ, quæ non ad emendationem delinquentis, sed ad bonum commune per punitionem rei ordinatur. Aliud est in correptione fraterna, quæ pro objecto habet solam emendationem peccantis.

Si tamen foret spes emendationis & mali avertendi, nec multùm interesset boni communis, ut reus puniatur, accusans aut denuntians peccaret contra charitatem non præmissâ correptione fraternâ.

Quandonam accusator aut denuntiator desistere tenetur?

R. 1°. Quando deprehendit accusatum esse innocentem.

2°. Cùm crimen incipit esse dubium, & tale manet post diligentem inquisitionem.

3°. Cùm videt se probare non posse, nisi forte denuntiatio esset via ad emendationem delinquentis aut ad nocumentum avertendum.

No. 75. DE TESTIBUS.

I. *Quomodo Clericus testificari potest.* II. *Tenetur quis testari.* III. *Dum est juridicè citatus.* IV. *Exceptiones.* V. *Ad quid teneatur recusans testimonium.* VI. *Item qui falsum testatus est.*

AN & quomodo Clericus potest testificari?

I. R. Synod Diœces. Mechlin. tit. 17. cap. 5. sic statuit: "Clericus coram Judice laïco testimonium dicturus, "vel quodcumque juramentum præstiturus, (quod etiam "sine nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris "licentia ei non licet) in manibus Personæ Ecclesiasticæ "juramentum præstet."

Quandonam quis testificari tenetur?

II. R. Dum testis requisitus est a Judice suo competente, tenetur testimonium ferre.

1°. In his, in quibus citra requisitionem, sponte tenetur testari, v. g. si sit ad liberandum innocentem.

III. 2°. In criminalibus contra reum, dum secundum ordinem juris interrogatur, putà in manifestis, & in his, de quibus infamia vel semiplena probatio præcessit. Item dum crimen vergit in detrimentum Reipublicæ, cui aliter obviari non potest. Præterea si procedatur viâ accusationis, & delictum plenè probari possit, testis citatus tenetur testificari; aliàs enim nemo accusare auderet.

IV. Excipitur obligatio sigilli sacramentalis, etsi inde salus Reipublicæ penderet: item obligatio secreti naturalis, dum reus consilii petendi gratiâ crimen suum cuiquam manifestavit: hæc tamen gravi Reipublicæ aut proximi detrimento cedere debet.

Excipitur etiam, si ex meo testimonio ego ipse grave damnum incurrerem: nisi iterum damnum Reipublicæ aut proximo longè gravius meo immineret.

An testis recusans testimonium debitum tenetur ad restitutionem?

V. R. Non tenetur, si non fuerit legitimè interpellatus; quia nemo privatus ante juridicam citationem tenetur ex justitiâ commutativâ in gratiam alterius testimonium ferre.

Hinc passim inferunt Authores, non teneri ad restitutionem, etsi occultet aut aliò se subducat, antequam legitimè citatus est.

Major est difficultas de illo, qui, postquam legitime citatus est, se subducit aut aliter testimonium declinat; an ille peccet contra justitiam & ita ad restitutionem teneatur.

R. Sylvius, Daelman, Billuart, &c. negant, eò quòd alter, in cujus favorem testari jubeor, ex præcepto superioris jus strictum non acquirat: quia verum dicere aut silere est libera mea actio, cujus solus sum Dominus: unde, inquiunt, si testimonium non feram, inobediens ero, sed non injustus.

Wiggers cum aliis affirmat, datque hanc rationem, Rempublicam ratione alti dominii, quod habet in sua membra & in functiones eorum sibi necessarias, posse subdito invito imponere tale munus, ita ut ex justitia teneatur illud administrare, quando bonum publicum ita exigit.

Ad quid tenetur, qui falsum testimonium tulit?

VI. R. Si scienter id fecerit vel ex ignorantia graviter

culpabili, tenetur reparare omnia damna inde secuta. Quomodo teneatur, si ex culpa levi vel inculpabiliter contigerit, colligitur ex N. 43. & 44. *de Jure et Justitia.*

Nota, ad falsum testimonium pertinet dubium pro certo, & certum pro dubio asserere.

Quod quis pro dicendo vero testimonio accepit, retinere non potest; quia vel est ex justitia debitum, ut sustinet Wiggers, vel est actio, quæ non est pretio æstimabilis. Vide Num. 56. *de Jure et Justitia.*

Aliud est, si quidpiam accipiat pro itinere, damno vel lucro cessante.

No. 76. DE REO.

I. *Observanda circa reum.*

QUÆNAM præcipuè observanda sunt circa reum in criminalibus?

I. R. 1°. Si reus non interrogetur juridicè, non tenetur Judici respondere; sed potest per appellationem aut aliter licitè subterfugere: mentire tamen nunquam potest.

2°. Si reus interrogetur juridicè, tenetur Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit, idque sub mortali, ut docet S. Thomas; quia unusquisque tenetur obedire sub mortali suo Superiori legitimè & necessariò præcipienti in ordine ad bonum commune: atqui Judex ita necessariò præcipit, cùm reus sine propria confessione non possit condemnari: ergo, &c.

Ob eandem rationem videtur reus debere fateri veritatem, etsi aliàs foret spes evadendi, ut sentiunt communiter Authores contra Lessium aliosque.

Cæterùm Judex in criminalibus interrogat secundum juris ordinem, dum hæc tria concurrunt. 1°. Ut sit Judex competens rei. 2°. Ut præcesserit vel infamia, vel indicia competentia, vel probatio semi-plena, seu assertio unius testis omni exceptione majoris: 3°. ut hujusmodi probatio reo aperiatur, ut ita sciat, in quo statu existat.

3°. Qui pressus tortura falsum crimen sibi imponit, ob quod est morte plectendus, videtur peccare mortaliter tanquam suicida, utpote velut falsus testis in causa vitæ. Ita Navarrus, Daelman aliique contra Lessium, &c.

4°. Accusatus sive juste sive injuste, non potest ca-

luminiosè se defendere imponendo falsum crimen accusatori aut testibus, vel etiam adhibendo fraudem aut dolum: potest tamen prodère crimina illorum occulta, si prosint ad infirmanda ipsorum testimonia; quia jus habet se defendendi, cum tanto suo damno eorum crimina occultare tenetur.

An reus condemnatus vel condemnandus possit fugere è carcere, &c. vide Num. 120 *de Jure et Justitia*.

No. 77. DE ADVOCATO.

I. *Advocatus tenetur quandoque patrocinari gratis.* II. *An possit tueri causam mere probabilem.* III. *Ejus obligatio erga partem adversam,* IV. *& erga clientem.*

I. DOCET S. Thom. 2. 2. quæst. 71. Advocatum aliquando teneri patrocinium gratis suscipere tanquam opus misericordiæ: quandonam autem ad id tenetur, colligendum est ex dictis Num. 144. *de Charitate;* est enim eadem ratio sicut de eleëmosyna aliisque operibus misericordiæ.

Obligatio Advocatorum fere exprimitur in formulâ juramenti ab eis præstandi, quæ videri potest apud Neesen.

An Advocatus suscipere potest causam mere probabilem?

II. R. Juxta omnes tueri potest causam probabiliorem & moraliter æquè probabilem: deinde etiam minus probabilem, si cliens sit reus vel possessor.

Quinimò verisimiliter, etiamsi cliens sit actor, modò eum de statu suæ causæ & periculo admoneat; quia actor habet probabile jus, quod est pretio æstimabile; adeoque illud in judicio prosequi potest.

Obj. Hæc sententia videtur velle inducere Judicem ad judicandum secundum opinionem minùs probabilem: ergo, &c.

R. Negando ass. sed speratur, fore ut in decursu litis examinando merita causæ clientis, hæc demonstretur probabilior, aut saltem æque probabilis.

Præterea non ex sententia Advocati, sed Judicis, jus inter partes definitur: quod autem Advocato apparet minus probabile, potest Judici apparere probabilius.

Si Advocatus initio credens causam justam, in pro-

causa deprehendat esse injustam, debet eam deserere, & eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere.

III. Advocatus peccat contra justitiam in partem adversam si utatur falsitatibus, si eam inducat ad injustam transactionem, si injustis dilationibus & cavillationibus vexet vel impediat, ne ipsa jus suum prosequi possit, &c.

Tenetur Advocatus ex justitia erga clientem;

IV. 1°. Habere competentem scientiam, quâ valeat merita causæ cognoscere.

2°. Antequam patrocinium suscipit, æquitatem causæ examinare.

3°. Clienti indicare causæ æquitatem vel injustitiam, probabilitatem, & consequenter periculum amittendi.

4°. Clienti præstare fidelitatem: cui aversatur collusio cum parte adversa.

5°. Præstare debitam diligentiam, ne plus justò lis protrahatur, aliterve indebitas expensas aut damna cliens patiatur.

6°. Ne accipiat honorarium justò majus, scripturas nimiùm extendendo disputationibus superfluis & inutilibus scriptionibus. Plura, quæ judicia publica concernunt, vide apud De Cocq, Steyaert, Daelman, &c.

No. 78. DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA ET ACCEPTIONE PERSONARUM.

I. *Justitiæ distributivæ* II. *Opponitur acceptio personarum.* III. *Quandoque cum debito restitutionis.* IV. *Non habet locum.*

I. JUSTITIA distributiva potissimum versatur in distributione officiorum publicorum, tum Sæcularium, tum Ecclesiasticorum, & communium onerum, ut vestigalium & tributorum.

Solet esse inter superiores & subditos, supponitque obligationem in distribuente, sed non strictum jus in iis, quibus distributio facienda est. Vide Num. 4. *de Jure & Justitia.*

Quodnam vitium opponitur justitiæ distributivæ?

II. R. Acceptio personarum; estque debitæ proportionis in distributione bonorum onerumque communium

violatio ex respectu ad personas, eorumve qualitates ad eum finem impertinentes.

An & quale peccatum est acceptio personarum?

R. Dum cum justitia distributiva concurrit aliquod particulare jus. Potest autem illud jus competere vel privatis vel Reipublicæ.

Competit privatis, dum bona communia directè & immediatè in bonum privatorum communitatis destinata sunt ex lege, consuetudine vel voluntate superioris aut donatoris, ut distribuantur juxta certam proportionem indigentiæ, meritorum, &c. Hinc qui ea male distribuit, tenetur privatis ad restitutionem.

Competit Reipublicæ, dum bona communia primariò ordinata sunt ad commune bonum, ut Officia publica, vel Ecclesiastica Beneficia, &c.: qui ergo ea male distribuit promovendo indignos, tenetur Reipublicæ vel Ecclesiæ ad restitutionem, non aliis, quos male præterivit, nisi simul concurreret particulare jus, v. g. ratione concursûs.

An, qui ad Officia publica, vel Beneficia movet non quidem indignum, sed minus dignum neglectis dignioribus, teneatur ad aliquam restitutionem, vide Num. 229. *de Religione.*

IV. Notandum, cum justitia distributiva supponat obligationem in distribuente, vitium acceptionis personarum locum non habere in pure gratuitis: seu in iis, quæ quis ex pura liberalitate facit & hinc non est acceptio personarum in Deo, dum gratias suas, quas nemini debet, æqualibus peccatoribus inæqualiter distribuit.

In quibus materiis acceptio personarum potissimum locum habeat, consuli possunt Sylvius & Wiggers.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

INDEX.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

INDEX.

INDEX.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS,

IN GENERE.

DE CONTRACTIBUS,

IN SPECIE.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

INDEX.

FINIS INDICIS.

THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIPRESB. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM PONTIFICUM, PRÆSERTIM VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ ETC.

TOMUS IV.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE VIRTUTE RELIGIONIS, IMMUNITATE ECCLESIASTICA, SIMONIA, BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, ET VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ANNEXIS.

DUBLINII:
EX TYP. RICHARDI COYNE,
IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

EMINENTISSIMO

AC REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO

THOMÆ PHILIPPO,

S. R. E.

PRESBYTERO CARDINALI

DE

ALSATIA DE BOUSSU,

ARCHI-EPISCOPO MECHLINIENSI, &c. &c.

PATERNA tua, EMINENTISSIME DOMINE, Benevolentia, quâ Seminarium tuum indivulsè prosequeris, quâ non solùm in temporalibus ejus te exhibes Benefactorem, sed & maximè in Spiritualibus exemplarem Directorem, nos cogit universos ad gratitudinem & admirationem: Pietatem enim & Clericalem Honestatem Exemplo tuo commendas & Authoritate confirmas: Studii ardorem accendis, dum ipse in persona ad Seminarium descendis, & in Examinibus generalibus, quæ per plures dies integros protrahuntur, præsens singulorum profectum & eruditionem exploras & scripto notas; ac tandem in Vineam Domini & ad sacras Functiones non nisi magis Idoneos & Digniores assumis & mittis.

Paterna illa, inquam, Benevolentia fiduciam mihi adauget, ut audeam has Doctrinæ Theologicæ paginas sub umbone paternæ tuæ Protectionis consignare: Eadem quippe his foliis expressa Doctrina est, quæ ab alumnis calamo excipienda in Seminario tradita est breviter pariter & simpliciter, methodo Tyronibus & discentibus accommodâ, per Interrogationes, quæ attentionem acuunt, disposita, Responsioni immediatè adjungimus rationem ejus fundamentalem desumptam, juxta morem S. Thomæ Scholasticorum Principis, ex ratione naturali, & ubi materia exigit, ex Scriptura Sacra vel authoritate infallibili.

Objectiones paucas, quæ magis ad veritatis elucidationem deserviunt, subnectimus.

Denique certa ab incertis discernimus; & quid ex eo praxi certum resultet, notamus, quod incipientibus Theologiæ Studiosis non tantùm utile judicamus, sed prorsus etiam necessarium.

Scholæ quidem nostræ consuetudo habet, ut à Professoribus tradatur doctrina calamo excipienda, hanc dictandi vel scribendi praxim non abrogamus, sed adjuvamus. Dictata enim hæc jam prelo excusa, absque labore scribendi obtinentur securiùs. Pretiosissimi enim temporis, quod in dictando & scribendo assumitur, usuram lucrifacimus, dum Professores in explicatione magis progredi possunt, ut ita ab eis quatuor aut quinque annorum decursu, juxta Leges & Statuta Seminarii, integra Theologia tradi queat. Nec refragamur si Professores posteri quidquam in nostris Dictatis immutandum aut corrigendum reprehendant, ut easdem

correctiones scripto excipiendas tradant, non enim nostra sed meliora laudamus & amamus.

In speculativarum Quæstionum contentione non immoramur; verumtamen in illis speculativis quidquid reducibile ad praxim Confessariorum continetur, notamus.

Deinde quæ practicè necessaria aut utilia sunt Pastoribus & Animarum Directoribus, quæque in aliis Scriptoribus vel non, vel sparsim reperiuntur, laboriosè exaravimus.

Primò typis tradidimus Tractatum de Virtute Religionis & Virtutibus annexis, eò quòd Tractatus iste à quibusdam (puta *Neesen*, *Steyaert*, &c.) prætermittatur; à multis aliis obiter & perfunctoriè percurratur, qui tamen in re morali recensendus est inter præcipuos.

Prosequemur, Deo dante, ad Editionem aliorum Theologiæ Tractatuum, si præsens Editio ad bonum Seminarii nostri utilem successum invenerit.

Suscipe igitur, EMINENTISSIME DOMINE, Opusculum hoc; meque cum Seminario tuo & alumnis ejus sub benevola Protectione tua & paterna Benedictione conserva, qui indesinenter Deum Omnipotentem oramus & exoramus ut EMINENTIAM SUAM nobis totique Ecclesiæ diu servet incolumem.

E Seminario 12 *Januarii* 1758.

PETRUS DENS,
Præs. Seminarii Mechlin.

7

APPROBATIO.

JAM fermè à sæculo in lucem prodiit "Theologia" potissimùm "Moralis" ac "Practica ad mentem SS. Augustini & Thomæ exposita," per Rev. adm. ac vener. Virum Dominum ac Magistrum LAURENTIUM NEESEN. Quàm felici successu excepta fuerit, testati sunt Theologi omnes, qui eam pervolverunt; testantur reiteratæ editiones quamplurimæ, Mechliniæ, Lovanii, Bruxellis, Leodii, ac postremo Antuerpiæ; testantur & fructus uberrimi, quos idem Auctor LAUR. NEESEN, Archi-Episcopalis Seminarii per annos 40 Præses dignissimus, & in Ecclesia Metropolitana Canonicus Theologalis, inter Alumnos suos operatus est; qui passim omnes, Theologiæ hujus adminiculo ad curam pastoralem efformati, præclari facti sunt in vinea Domini Operarii, ac Verbi Dei præcones zelosissimi.

Porro huic "Theologiæ" deerant partes aliquot, sive Tractatus, quos Præses laudatissimus, anno 1679 è vivis sublatus, ineditos reliquerat: atque imprimis "Tractatus de Jure & Justitia." Hunc autem in gratiam Alumnorum ejusdem Seminarii edidit Vir æquè venerandus, nec minoris eruditionis Professor Rev. adm. D. PHILIPPUS BERTRAND, Successor NEESENI in Canonicatu & Præbenda Theologali, ac postmodum etiam Cantor in Ecclesia Metropolitana.

Nihilominus ad Cursûs hujus Theologici complementum, desiderabatur adhuc Pars aliqua elucidanda, eaque non infima: nimirum "Tractatus de Virtute Religionis," aliisque annexis, nec non de Vitiis ei oppositis. Hunc porro, quem priùs infatigabili zelo ac labore conceperat, tum vivâ voce tum calamo explanaret, quo altiùs hujus

Seminarii alumnorum memoriæ imprimatur, hocce Libro ceu Supplemento, luci dedit Rev. adm. ac venerabilis Dominus PETRUS DENS, S. T. L. prælaudati Seminarii Præses, nec non in Æde Metropolitana Can. Grad. & Archipresbyter. Ad hæc Quæstiones aliquot Theologicas, jam olim à LAUR. NEESEN minùs dilucidè seu non satis appositè ad hodiernam Scholasticorum methodum pertractatas, clariùs secundùm Doctrinam S. M. Ecclesiæ expressit, atque subinde correxit.

Hunc itaque "Tractatum de Religione," cum annexis, insigni eruditione ac sermonis claritate conscriptum, multiplicibus & ad praxim necessariis Questionibus refertum, libenter pervolvi; nihilque in eo reperi, quod Fidei Catholicæ, Constitutionibus Apostolicis, tutioribus Moralis Christianæ principiis, aut bonis moribus adversetur.

Quapropter illum jure merito typis censeo committendum; nullatenus dubitans quin Studii Theologici cultoribus, ac præsertim Seminarii hujus Archi-Episcopalis alumnis futurus sit utilissimus, quo sese ad obeundas aliquando functiones pastorales ritè disponant, idemque Seminarium in suis alumnis magis magisque pergat proficere: prout jam dudum sub Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi atque Pastoris primarii protectione ac vigili curâ effloruerit. Quod faxit Deus!

Dat. Mechliniæ die xv Aprilis 1758.

J. F. FOPPENS, S. T. L. Metrop. Eccles. Can. Grad. Archidiac. ac Libr. Censor.

TRACTATUS

DE

VIRTUTE RELIGIONIS

ALIISQUE VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ANNEXIS.

QUÆSTIO I.

N. I. DE VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ANNEXIS IN GENERALI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 80.

I. *Octo Virt. annexæ justitiæ, quæ appellantur partes justitiæ potentiales.*

QUÆ sunt virtutes justitiæ annexæ?

I. Resp. S. Th. octo præcipuas enumerat virtutes justitiæ annexas; nimirum "religionem, pietatem, observantiam, veritatem, gratiam, vindicationem, liberalitatem, & amicitiam seu affabilitatem;" quas virtutes appellat partes justitiæ potentiales; quia videlicet cum justitia in aliquo conveniunt, quòd sint ad alterum; & in aliquo à ratione justitiæ deficiunt, sive totam virtutis justitiæ potentiam non assequuntur; eò quòd non reddant alteri, quod ei debetur, secundùm æqualitatem: & quidem "religio, pietas & observantia" deficiunt à justitia, inquantùm non possunt reddere æquale; reliquæ virtutes præfatæ deficiunt à ratione justitiæ, inquantùm continent debitum non strictè dictum, sed solùm debitum morale sive ex honestate virtutis. De his virtutibus aliisque, quæ ad prædictas reducuntur, agemus cum S. Thoma in sequentibus.

QUÆSTIO II.

N. 2. DE VIRTUTE RELIGIONIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 81.

DE EJUS DEFINITIONE.

1. *Definitio Relig.*

QUID est virtus Religionis?

I. R. Definitur; "Virtus exhibens cultum debitum "Deo tanquam primo omnium principio." Rectè etiam ab aliis definitur: Virtus inclinans voluntatem ad tribuendum cultum Latriæ Deo debitum. Religio est virtus supernaturalis charitati connexa.

Vox "Religio" alio quandoque sensu accipitur, prout fit in his expressionibus; Religio Catholica, Status Religionis, &c.

Et vulgariter cultus Duliæ & Hyperduliæ nuncupatur cultus religiosus, de quibus in tertia parte.

N. 3. DE OBJECTO VIRTUTIS RELIGIONIS.

S. Thom. quæst. 81. *art.* 5.

I. *Objectum mater. est cultus.* II. *Objectum formale est ratio Debiti.* III. *Objectio.* IV. *Sentent. Scholæ Augustinianæ.* V. *Sentent. Thomist. Deus est Religionis. Objectum* cui. VI. *Objectio.* VII. *Quomodo Cultus supererogationis dicatur Deo debitus.*

QUOD est objectum virtutis Religionis?

I. R. Objectum materiale proximum virtutis Religionis est "Cultus Divinus," sive actus honorationis & reverentiæ Dei: cultus enim ille se habet per modum materiæ ad virtutem Religionis, ait S. Thom. art.

II. Objectum formale Religionis est "ratio debiti ad "Deum," sicuti objectum formale justitiæ, cujus religio est pars potentialis, respicit rationem debiti. S. Thom. art. 5. utrumque objectum exprimit his verbis: "Cultum Deo debitum." Intelligitur autem debitum legale, quod tantum est, ut nunquam possit ei reddi æquale, quia Deo non potest tantum exhiberi, quantum ei debetur; verumtamen

sufficiens secundùm quandam considerationem humanæ facultatis & divinæ acceptionis. S. Th. art. 5. ad 3.

III. Objicitur: Virtus Religionis colit Deum propter infinitam ejus excellentiam, sicuti charitas diligit Deum propter ejus infinitam bonitatem; ergo Religio habet pro objecto materiali Deum, & pro formali excellentiam divinam, ergo est virtus Theologica.

IV. R. Ob hoc argumentum Van Roy de rel. q. 2. cum schola Augustiniana admittit excellentiam Dei esse objectum formale Religionis.

V. Thomistæ verò sustinent, objectum formale esse rationem debiti, excellentiam autem Dei esse fundamentum istius debiti, & posse nuncupari rationem formalem Religionis remotam, non proximam. Similiter dicunt, Deum non esse objectum *quod* seu materiale Religionis, sed Deum esse finem seu objectum, *cui* Religio defert cultum. Igitur ad argumentum respondetur, negando paritatem in antecedente assumptam: ratio autem disparitatis est, quòd actus, quibus Deus colitur, immediatè non attingant Deum ut objectum, sicuti actus virtutum Theologicarum. S. Th. 5. in c.

Itaque colimus Deum propter ejus excellentiam, sed mediante ratione debiti, sive quia et cultus debetur; diligimus autem Deum immediatè propter ejus bonitatem, nec attenditur propriè ratio debiti.

VI. Quomodo omnis cultus Religionis potest dici Deo debitus, cum dentur opera supererogationis, quibus colitur Deus; putà votum castitatis?

VII. R. Cum Wiggers quòd omnia opera nostra rectè dicantur Deo debita, quia sumus omnimodè servi Dei: cùm tamen Deus non exigat omnia illa opera, quoad exercitium actûs, tanquam debita ex præcepto speciali, hoc sensu quædam opera dicuntur supererogationis; nam opera puræ liberalitatis in homine respectu Dei non dantur: deinde cultus ille Deo debitus dicitur, quia nulli alteri debetur aut tribui potest.

N. 4. RELIGIO EST VIRTUS MORALIS.

S. Thom. q. 81. *art.* 5 *&* 6.

I. *Religio non est Virtus Theolog.* II. *Est dignissima inter morales.* III. *Objectio.* IV. *Cultus ob alia attributa divina est Religionis.*

I. Ex dictis sequitur, quòd Religio non sit virtus Theologica, cùm non habeat Deum tanquam objectum proxi-

mum, sed quòd sit virtus moralis, una & distincta ab aliis, quia habet objectum morale distinctum ab objectis aliarum virtutum. S. Thom. quæst. 81. art. 3 & 4.

II. Deinde consequitur, quòd sit virtus inferior Theologicis, at excellentior cæteris moralibus, quia Religio, licèt non immediatè, ut Theologicæ, attamen magis de propinquo quàm aliæ morales, accedit ad Deum S. Thom. art. 5 & 6. Religio interim convenit cum pietate, cum gratitudine & cum observantia in Deum, quòd sit quædam excellans pietas, gratitudo vel observantia. S. Th. 2. 2. quæst. 106. art. 1. ad 1.

III. Obj. 1. Reg. "Melior est obedientia quàm victimæ." ergo virtus obedientiæ est melior virtute Religionis.

R. Negando consequentiam: nam Textus S. Scripturæ agit de casu, in quo actus obedientiæ poni debebat ex præcepto divino, actus verò Religionis non præcipiebatur. In hoc supposito melius est facere actum obedientiæ quàm Religionis, non ob majorem præstantiam, sed ob circumstantiam majoris necessitatis sive præcepti urgentis.

IV. An, quando Deus colitur ob sapientiam aliave attributa divina, ille cultus vocari debeat Religionis?

R. Affirm. Nam infinita Dei excellentia non ponitur hìc ut attributum distinctum, sed prout includit omnia attributa Divina, quatenùs concurrunt ad rationem primi principii; Deus enim producit omnia & gubernat sapientiâ, voluntate & potentiâ Bonitatis suæ. S. Thom. quæst. 81. art. 3. ad 1. "Subjectum" virtutis Religionis est voluntas naturæ rationalis creatæ.

N. 5. DE ACTIBUS RELIGIONIS.

S. Thom. q. 81. *art.* 7. *& q.* 82.

I. *Divisiones act.* II. *Duo actus interni.* III. *Cultus externus & internus est in præcepto.* IV. *Objectio.* V. *Explicatur Joan.* 4. venit hora, &c.

I. ACTUS Religionis alii sunt interni, alii externi, item quidam sunt elicti, quidam imperati.

II. S. Th. quæst. 82. duos actus internos assignat "devotionem & ordinem;" actus autem externos recenset "adorationem, sacrificium, oblationem, votum, juramentum, adjurationem, & Dei laudes." Potest interim oratio esse externa & vocalis, & è contra actus aliqui, qui dicuntur externi, possunt perfici internè, E. C. Vota interna.

III. Uterque cultus externus & internus est in præcepto, quia totus homo cum corpore & anima debet Deo servire S. Thom. quæst. 81. art. 7. juxta illud Ps. 83. "Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum."

IV. Obj. Joan. 4. Christus dicit Samaritanæ: "Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate," &c. Ergo à nova Lege excluditur cultus externus.

V. R. Neg. conseq. Solùm excluditur cultus judaïcus & figurativus, ita ut adorare in "spiritu & veritate" opponatur adorationi, quæ fiebat in sacrificiis "carnalibus & figurativis," quæ à N. L. secludi debent.

Similiter in Ps. 39. "sacrificium & oblationem noluisti," solùm significatur, sacrificia veteris Legis aliquando esse abolenda.

N. 6. DE ACTIBUS RELIGIONIS ELICITIS.

S. Thomas q. 81. a. 1. & 4. &. q. 82.

I. *Devotio est actus elicitus à Relig.* II. *Actus eliciti moraliter.* III. *Objectio prævenitur.* IV. *Voluntas colendi Deum est actus Religionis propriè dictus.*

QUI sunt actus Religionis eliciti?

I. R. "Devotio est actus proximè & realiter elicitus à virtute Religionis.

II. 2°. Juxta S. Thom. a. 1. ad 1. oratio, adoratio, genuflexio similesque actus, qui primam speciem bonitatis sumunt à virtute Religionis, possunt dici actus moraliter eliciti à Religione; quia secundùm rationem suæ speciei pertinent ad reverentiam & honorem Dei. S. Th. a. 4. ad 2.

III. Nec obstat, quòd virtus Religionis sit in voluntate, illi autem actus sint eliciti ab aliis potentiis, quia ut notat Bannes, dupliciter dicuntur actus elici ab aliqua virtute, primò realiter simul & moraliter, secundò moraliter tantùm, dum scilicet actus physicè ab alia potentia eliciuntur, sed ex fine & honestate istius virtutis movente.

IV. Saurez & Wiggers contendunt interponere alios actus immediatè à Religione elicitos, nempe volitiones colendi Deum, quas volitiones dicunt per se non habere rationem cultûs divini: verúm illud videtur ineptum & alienum à mente S. Thomæ q. 82. a. 1 & 2. ubi velle sive voluntatem colendi Deum docet esse actum devotionis;

igitur illæ volitiones dici debent actus Devotionis: repugnat etiam rationi Theologicæ actus proximè à virtute liberè & debitè elicitos privari honestate istius virtutis.

N. 7. DE ACTIBUS RELIGIONIS IMPERATIS.

S. Thom. quæst. 81. *art.* 4.

I. *Actus religionis imperati.* II. *Studere & laborare possunt esse actus religionis.* III. *Explicatur Textus Jac.* 1.

QUINAM dicuntur actus religionis imperati?

I. R. Qui ab alia virtute eliciuntur, & ex honestate religionis simul perficiuntur.

Ita eleëmosyna erit actus religionis imperatus si simul ordinetur in augmentum cultûs divini.

Simili modo intelligi potest S. Augustinus dicens quòd Deus colatur Fide, Spe & charitate; quia scilicet Religio imperat sive utitur illarum actibus ad colendum Deum: vel etiam quia Virtutes Theologicæ imperio suo causant actus Religionis. S. Thom. q. 81. a. 5. ad 1.

II. Collige ex dictis, quòd studium, labor & omnes actus voluntarii in Deum referibiles, possint esse actus religionis vel eliciti vel imperati, dum scilicet ordinantur in Dei gloriam, honorem & reverentiam. S. Thom. q. 81. a. 4. ad 2. Juxta illud 1. ad Cor. 10. "omnia in gloriam Dei facite."

III. In hunc sensum S. Thom. q. 81. a. 1. ad 1. accipit & explicat verba Jac. 1. "Religio munda est visitare pupillos & viduas," &c. Nimirum, eò quòd religio hos actus imperet.

N. 8. DE DEVOTIONE.

S. Thom. quæst. 82.

I. *Definitio Devotionis.* II. *Larga acceptio.* III. *Devotio erga Sanctos.* IV. *Ascetici Nomen Devotionis aliter accipiunt.*

QUID est Devotio?

I. R. Est "actus religionis, quo homo promptâ voluntate se offert Deo ad illi serviendum," sive ut S. Thom. q. 82. a 1. ad 1.: est actus voluntatis hominis offerentis se Deo ad ei serviendum.

II. Nomen "Devotionis" quandoque tam latè accipitur, ut attribuatur actibus aliarum virtutum, charitatis, obedientiæ, &c.

III. Imò devotio etiam dicitur in ordine ad Sanctos; verùm eatenùs non est actus religionis seu Latriæ, sed Duliæ; quo sensu quis dicitur devotus erga Divam Virginem.

IV. Ascetici, & vulgus devotionem sumunt non tam pro simplici actu, quàm pro promptitudine & fervore affectûs ad cultum divinum. In hac acceptione de devotione scribit S. Franc.Salesius, introduct. ad vit. dev. parte 1. cap. 1, 2 & 3.

N. 9. DE MEDITATIONE.

I. *Definitio Meditat.* II. *Aptior Meditat. per sensibles repræsentationes fit.* III. *Quid sit ecstasis.* IV. *Contemplatio absque Phantasmatibus.*

I. QUID est Meditatio?

R. Est "attenta & continuata rerum divinarum consideratio; sive cogitatio, eum in finem instituta, ut inde mox acquirantur pii affectus, & tempore opportuno operationes."

S. Thom. q. 82. a. 3. pro iisdem hìc habet meditationem & contemplationem; differunt interim à studio, prout observat S. Franc. Sal. p. 2. c. 5.

Materiam, sive objecta meditationis subministrat prælaudatus S. Franc. Sales. Introduc. ad vit. dev. lib. 1; & methodum ac conditiones meditationis explicat lib. 2.

II. Cum eodem S. Franc. & S. Thom. q. 82. a. 3. ad 2, observare licet, quòd propter nostram imbecillitatem, nobis, quibus sensibilia sunt magis nota, communiter ea meditatio sit aptior & magis conveniens, quæ per aliqua sensibilia repræsentatur: qualis est E. C. meditatio vitæ, Passionis & mortis Christi Domini, repræsentando nobis facta præterita.

Potest autem meditatio, vel contemplatio, aut oratio mentalis, in tantùm rapere attentionem internam, ut fiat in homine abstractio à sensibus externis, ita ut sensus externi nihil operentur, neque per objecta externa moveantur; qui meditandi vel orandi modus vocatur III. "ecstasis vel excessus mentis," qui sæpius accidit in sanctis piisque hominibus.

IV. Ea verò meditatio vel contemplatio, quæ ab anima adhuc conjuncta corpori mortali fit, abstractim non solùm à sensibus externis, sed etiam ab internis, id est, sine cooperatione phantasiæ, ita ut anima sola operetur per lu-

men & species quasdam divinitùs infusas, videtur esse miraculosa, vel saltem valdè extraordinaria; nam juxta Philosophos intellectus in mortali corpore existens naturaliter operari non potest, nisi mediante phantasiâ. Interim hic contemplationis modus in anima Christi certissimè fuit; in quo probabiliter etiam participavit B. M. V.; ita ut, corpore dormiente, anima vigilaret, oraret, & operaretur: quidam adjungunt Joan. Bapt., & juxta hunc modum explicant raptum S. Pauli in Cœlum.

N. 10. DE EFFECTIBUS DEVOTIONIS.

S. Thom. quæst. 82.

I. *Effectus per se est Lætitia spiritualis.* II. *Vita Devotorum lætitiam habet.*

QUI sunt effectus Devotionis?

I. Respondet S. Thom. q. 82. a. 4: primò & per se est delectatio spiritualis, sive lætitia mentis; secundariò & per accidens est tristitia, quæ est secundùm Deum. Idem prosequitur S. Thom. 2. 2. quæst. 180. a. 7.

II. Justissimè igitur S. Franc. Salesius pag. 1. c. 2. invehitur in homines mundanos, qui devotionem, sive devotorum hominum vitam aspernantur, veluti tristem, tetricam, luctuosam, & molestam; cùm horum spiritualis lætitia cordis superet omnem mundanam delectationem verè difficilem, & inconstantem, quam mox consequitur amaritudo & melancholia; hinc dicunt Sap. 5. v. 7, "Ambulavimus vias difficiles," &c.

QUÆSTIO III.

N. II. DE ORATIONE.

S. Thom. q. 83.

I. *Definitio Orationis.* II. *Definitur à Canisio.* III. *Divisiones orationis.*

I. QUID est Oratio Theologis?

R. Est "Mentis in Deum elevatio cum petitione decentium."

Est autem oratio juxta S. Thom. a. 1. ad 3, actus rationis practicæ, ad quem concurrunt desiderium voluntatis, & petitio intellectûs; adeo ut sit locutio quædam ad Deum motiva, non simplex narrativa.

Oratio est actus religionis, inquantùm homo orando profitetur suam dependentiam, & Dei providentiam ac excellentiam, saltem in actu exercito.

II. Oratio latiùs sumpta, ut comprehendat etiam alios religionis actus, describitur à Canisio: "Mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisque petimus, vel Deo benedicimus."

III. Dividitur oratio in "mentalem" seu "internam," & in "vocalem;" item in "singularem," & "communem," & in "publicam, & privatam."

Oratio mentalis est, quæ perficitur internè.

Oratio vocalis est, in qua oratio mentalis voce vel signo exprimitur: ita ut oratio vocalis includat mentalem; sicuti peccatum oris involvit peccatum cordis.

N. 12. DE NECESSITATE ORATIONIS.

S. Thom. q. 83. art. 2.

I. *Oratio est necessaria necessitate Medii & præcepti.* II. *Duo errores vitandi.* III. *Objectio.* IV. *Oratio sæpe est Medium obtinendi ex Dei Decreto.* V. *Objectio.* VI. *Per Orationem reddimur idonei accipere.* VII. *Utilitates Orat.*

An oratio est necessaria ad salutem?

I. R. Oratio adultis est necessaria ad salutem necessitate medii & præcepti; ratio est, quòd adultis aliqua media ad salutem sint necessaria, quæ Deus statuit impertiri solis orantibus: nimirum secundùm ordinarium à Deo constitutum ordinem salvandi homines adultos.

Probatur ex S. Aug. lib. 2. de dono pers. c. 16. dicente: "Constat Deum alia etiam non orantibus, sicuti initium Fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam." Plures de hac re SS. PP. sententias legito apud Sylvium ad quæst. 83. art 2.

II. Duos errores hìc evita, Massiliensium dicentium, solam orationem sufficere ad salutem; & Pelagianorum docentium, orationem non esse necessariam.

III. Obj. in oratione vel petimus id, quod Deus vult nobis dare; vel petimus id, quod non vult nobis dare: si

prius, oratio est inutilis; si posterius, oratio est impia: ergo etc.

IV. R. In oratione petimus ea, quæ speramus Deum velle nobis dare: verumtamen ideo oratio non est inutilis, sed è contra utilis, ut obtineamus precibus nostris, quod Deus ante sæcula donare disposuit, ait S. Thom. art. 2. in c. & ad 2.: nam Deus quosdam effectus voluntate etiam absolutâ decrevit executioni mandare, sed non nisi mediantibus orationibus nostris; ita ut oratio sit medium necessarium. Ex eo intellige, quomodo orando non agatur contra fidem immutabilitatis Dei.

V. Obj. Deus benevolus est, & paratus dare nobis quæcumque bona: ergo oratio saltem non est necessaria.

VI. R. Deus paratus quidem est bona dare, & multa præstat non petita; sed aliqua non præstat nisi petentibus prout oportet, secundum illud Matth. 7, "petite & accipietis:" per orationem enim reddimur idonei bona à Deo accipere, ait S. Thom. in 4. d. 15. q. 4. a 1. & q. 3. ad. 3. Illi autem, qui non orant, sæpè non sunt idonei, sive sunt indispositi ad recipiendum ea, quæ dare paratus est Deus.

VII. Porrò orando exponimus desideria nostra Deo, non ut Deum doceamus, ait S. Thom. loco citato ad 2: sed ut affectum & intellectum nostrum dirigamus in illum; & ut nos agnoscamus indigentiam nostram; & ut recognoscamus, Deum esse bonorum nostrorum auctorem S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2. ad 3. Et ut fiduciam accipiamus recurrendi ad Deum.

Collige ex his, quomodo oratio sit utilis, prositque nobis; non autem Deo: nihil enim nos Deo reddere possumus, nisi honorem & gloriam.

N. 13. DE PRÆCEPTO ORATIONIS.

S. *Thom. q.* 83. *art.* 3.

I. *Datur præceptum orandi Divinum & naturale.* II. *Tempora & occasiones, in quibus præceptum orandi obligat.* III. *Diebus Festis.* IV. *Singulis diebus.* V. *Praxis Oration. Jaculatoriarum.* VI. *Omne peccatum non provenit ex defectu orationis.*

UTRUM detur præceptum orandi?

I. Responsionem affirmativam docet S. Thom. q. 83. art. 3. ad 2. dicens: petere sive orare, cadit sub præcepto Religionis; quod præceptum ponitur Matth. 7. ubi dicitur: "petite & accipietis." Idem docet Catechismus Concilii

Trid. p. 5. Est autem illud præceptum divinum & naturale.

Quandonam obligat præceptum orandi?

R. Wiggers, Sylvius, Layman, aliique Scholastici enumerant occasiones plures, in quibus præceptum orandi per se, vel per accidens obligat secundùm ordinarias Dei leges:

II. 1o. Circa initium usûs rationis. Ita docent Wiggers, Boudart, &c.

2o. In periculo mortis. Sylvius, Boudart, Layman, Bec.

3o. In gravi tentatione. Wiggers, Boudart, Van Roy.

4o. Quando opus arduum aggredi oportet. Sylvius.

5o. Quando peccator tenetur se præparare ad statum gratiæ; vel quando Sacramentum aliquod suscipiendum vel administrandum est. Wiggers.

6o. In necessitate Ecclesiæ, Reipublicæ, aut Communitatis. Wiggers, Layman.

7o. Item in necessitate vel periculo nostro aut proximi, præcipuè spirituali, juxta ordinem, quo obligat charitas; dùm scilicet oratio videbitur esse medium magis conveniens, ut succurratur necessitati. Less., Laym. & S. Thom. in 4. d. 15. art. 1. quæst. 3.

III. 8o. Quòd præceptum orandi obliget diebus Festis, indicat S. Thom. loco citato dicens: "omnibus videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi statutum esse; cùm ex Canonum statuto teneantur diebus Festis interesse Divinis Officiis, præsertim Missæ Sacrificio, ut ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment."

IV. 9o. Imò, quod obligatio recurrat orandi singulis diebus, significat S. Aug. tom. 8. lib. de Hæresibus cap. 57, ubi docet, verba Christi "oportet semper orare," sic esse accipienda, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi. Idem colligitur ex Oratione Dominica & ex usu piorum: accedit, quòd juxta Job 7. vita nostra sit militia & tentatio continua super terram, in qua vincere oportet per orationem quotidianam & continuam.

Audi S. Hieron. instruentem Eustoch. Ep. 12: "Nec "cibi sumantur nisi oratione præmissâ, nec recedatur à "mensa nisi referantur gratiæ, egredientes de hospitio ar-"met oratio, regredientibus occurrat oratio, nec priùs cor-"pusculum quiescat, quàm anima pascatur."

V. S. Franc. Sales. Introduct. ad vit. dev. part. 2. cap. 13. adhortatur omnes ad frequentissimas orationes Jaculatorias practicandas, etiam millies, ait, in die; quæ mentaliter perfici possunt semper & ubique, in foro, in platea,

in officina, in colloquio, in lecto, in mensa, & in omni opere.

Notari debet, non quemcumque orationis defectum inducere culpam mortalem.

VI. Neque dici potest, quòd omne peccatum oriatur ex defectu orationis; quia voluntas sibi sufficit ad peccatum: idem patet ex eo, quòd primus defectus orationis peccaminosus non proveniat ex alio orationis defectu, ne detur processus in infinitum.

N. 14. AN SEMPER ORANDUM?

S. Thom. q. 83. *art.* 14.

I. *Non semper actu orandum.* II. *Objicitur. Luc.* 18. *&* 1. *ad Thess.* 5. III. *Tres Interpretationes.*

I. RESP. Non semper, sive continuè, actu orandum est in hac vita mortali; quia illud impossibile est homini.

II. Quomodo igitur exponuntur hæ Scripturæ Sacræ sententiæ: Luc. 18. "oportet semper orare;" & 1. ad Thess. 5. "sine intermissione orate?"

III. R. Plures dantur interpretationes:

Primam dat S. Thom. loco citato in c. dicens, quòd oratio debeat esse virtute continua secundùm suam causam, id est, secundùm desiderium charitatis; quod fit, dum omnia in gloriam Dei facimus.

Secundam adducit idem S. Thom. art. præfato ad 4. dicens, quòd aliquis continuè, sive semper orat, qui temporibus statutis orat: quo modo David 2. Reg. 9. v. 7. dixit Miphiboseth: "comedes panem in mensa mea semper." Vel, ut S. Aug. lib. de Hær. c. 57. nullo die intermittantur certa tempora orandi.

Tertiam affert S. Bonaventura, "semper orare," per exaggerationem dictum esse pro "frequenter orare."

N. 15. DE ORATIONE VOCALI.

S. Thom. q. 83. *a.* 12. *& in* 4. *d.* 15. *q.* 4. *a.* 2.

I. *Oratio Vocalis est utilis.* II. 1. *Ad excitandum Devotionem.* III. 2. *Ad redditionem Debiti.* IV. 3. *Ex S. Bonav.* V. *Vocalis oratio cadit sub præcepto.*

I. PROBAT S. Thomas orationem vocalem esse utilem triplici ratione:

II. 1°. Ad excitandum interiorem devotionem: quia per exteriora signa, sive vocum, sive factorum, movetur mens hominis: præcipuè autem oratio vocalis utilis est, ut excitentur mentes minùs devotæ, ait S. Thom. art. 12. ad 2; ut intentionem custodiant, ne evagentur. S. Thom. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. q. 1. Mentibus in devotione firmatis sæpe utilior est oratio mentalis.

III. 2°. Oratio vocalis servit quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo serviat Deo non solùm mente, sed etiam corpore. S. Thom.

IV. 3°. Adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundùm illud Ps. 15 "lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea."

An oratio vocalis est omnibus in præcepto?

V. R. Affirm. idque rectè Wiggers probat contra Suarez ex ratione secunda præfata. Immo ipsa Oratio Dominica videtur esse in præcepto: nam de illa canit Ecclesia: "Præceptis salutaribus moniti" &c. ergo datur præceptum de ea.

N. 16. DE ORATIONE DOMINICA.

S. Thom. q. 83. art. 9.

I. *Constat 7 petitionibus.* II. *Objectio Tacita.* III. *Oratio Dom. antecellit ex sex causis.* IV. *Authoritate.* V. *Brevit.* VI. *Ordine.* VII. *Efficaciâ.* VIII. *Necessit.* IX. *Omni die recitand. orat. Do.* X. *Continet actus Fidei, Spei, Charitatis, &c.*

ORATIO Dominica est oratio vocalis præscripta à Christo Domino. Matth. 6.

I. Constat hæc oratio præambulo, sive præfatiunculâ, & petitionibus septem; qui numerus in sacris Litteris solet esse mysticus & mysteriosus.

II. Evangelista Lucas c. 11, non nisi quinque petitiones expressit, sed quæ implicitè complectuntur septem petitiones, prout explicat S. Th. art. 9. ad 4.

III. Oratio Dominica inter omnes orationes vocales est dignissima & perfectissima; antecellitque reliquas, sex præcipuè de causis; nimirum 1°. authoritate; 2°. brevitate; 3°. ordine; 4°. efficaciâ; 5°. necessitate; 6°. virtutum exercitio.

IV. 1°. Præcellit "authoritate," quia Authorem habet Christum Dominum Deum, qui eam condidit & præscripsit. Matth. 6.

V. 2°. "Brevitate;" quia paucis verbis omnia à Deo petenda complectitur. Hinc S. Aug. dicit: "si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quod in ista Oratione Dominica positum est." Simul etiam oratio ista docet, quid agere, quid fugere, quid credere, quid amare debeamus; ut propterea Tertullianus eam vocet "breviarium totius Evangelii."

VI. 3°. Excellit "ordine;" quia omnia petuntur ordine isto, quo desideranda sunt: nam ante omnia petitur gloria Dei, æterna præponuntur temporalibus. Decorem hujus ordinis decoro ratiocinio deducit per singulas petitiones S. Thomas hìc quæst. 83. art. 9. in cap.

VII. 4°. "Efficaciâ;" quia utimur verbis ipsius Christi Dei: verbum autem Dei est efficacissimum, quod utique valet plurimùm præ verbo quocunque humano: nam verbum proprium Dei non potest Deo non esse gratum.

VIII. 5°. "Necessitate" Oratio Dominica anteponitur aliis, quia eam omnes scire, & omni die recitare tenentur; hinc Catech. Trid. p. 4. ad petit. 4. n. 32. dicit: IX. quotidie Dominicâ precatione singulis utendum est: & apud Clementem lib. 7. Constit. 25. legitur, ter quotidie dicendam esse. Inde concludit Sylvius, quòd illi, qui ex contemptu vel supinâ negligentiâ Orationem Dominicam ignorant, peccati mortalis reatum non effugiant: "nescio," ait S. Aug. Serm. 215 de temp., "quâ fronte se Christianum dicat."

X. 6°. Præcellit Oratio Dominica ex eo, quòd ultra religionis actus contineat "exercitium præcipuarum virtutum," fidei, spei, charitatis, humilitatis, obedientiæ, pœnitentiæ & perfectæ conformationis voluntatis humanæ cum voluntate divinâ: actus fidei continetur his verbis: "Pater noster, qui es in Cœlis;" actus charitatis in illis: "Sanctificetur Nomen tuum;" actus spei in istis: "adveniat Regnum tuum;" & in reliquis petitionibus.

N. 17. EXPLICATIO PRÆFATIUNCULÆ.

Pater noster, qui es in Cœlis.

I. *Vox Pater significat Deum simplicit.* II. *Deus est pater noster titulo Creation. Gubern. Redempt. & adop.* III. *In V. L. Deus nominatur Dominus nonies, in N. L. Pater sedecim vicib.* IV. *Dicimus Pater noster, quia fratres sumus, & pro omnibus oramus.* V. *Idem significat pl. numerus.* VI. *Deus in Cœlis est speciali ratione.*

I. VOX "Pater" hic rectè accipitur "essentialiter," adeoque compellat non solùm Deum Patrem, sed & Filium & Spiritum Sanctum, sive Deum simpliciter.

II. Deus autem vocatur Pater noster pluribus titulis, 1°. "creatione" juxta id Deuter. 32. "Numquid ipse non est Pater tuus,—qui fecit & creavit te? 2°. gubernatione; 3°. "redemptione; 4°. regeneratione," sive "adoptione" per gratiam sanctificantem in terra, & per gloriam in Cœlo; quapropter vocamur filii Dei & hæredes, juxta illud ad Rom. 8. "accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater)—Si autem filii & hæredes."

III. Hæc Appellatio "Patris" excitat in nobis affectum filialem, fiduciam, obedientiam & reverentiam.

Notant aliqui in promulgatione veteris Legis Deum novem vicibus "Dominum" nominari, & quinque vicibus "Deum," at nunquam "Patrem:" in promulgatione verò novæ Legis sedecim vicibus Deus se "Patrem" nominavit.

IV. Dicimus: "Pater noster" non verò: "Pater mi:" quo fatemur, nos omnes esse fratres juxta illud Matth. 23. "omnes vos fratres estis:" item monemur generalem ex charitate orationem facere pro omnibus, juxta 1. ad Tim. 2. "Obsecro orationes fieri pro omnibus hominibus," maximè autem pro fidelibus; quia connotatur in hac orandi forma communio Sanctorum.

V. Eundem moralem sensum continet pluralis numerus in sequentibus, dum petimus: "Panem nostrum, &c. et dimitte nobis debita nostra, &c."

Quâ ratione additur: "qui es in Cœlis," cùm Deus sit ubique?

VI. R. Quia Deus in Cœlis est speciali ratione, nimirum manifestando ibidem in clara visione majestatem & gloriam suam. Simul erigitur mens nostra à terrenis ad cœlestia, ait S. Chrys. Hom. 20. in Matth.

N. 18. DE PRIMA PETITIONE.

Sanctificetur Nomen tuum.

I. *Nomen Dei significat Deum ipsum.* II. *Deus sanctificatur à nobis, & in nobis, & in omnibus.*

QUID hìc significatur per nomen Dei?

I. R. Non significatur vox aut sonus vocis; sed designatur Deus ipse, ejus potentia, bonitas, sapientia, cæteræque perfectiones divinæ.

II. Porrò dum oramus, ut sanctificetur nomen Dei, non petimus, ut nomen Dei, seu Deus in seipso sanctificetur: nam sanctitas vel gloria Dei intrinsecè augeri non potest; sed deposcimus, ut sanctificetur, id est, glorificetur & honoretur à nobis & ab omnibus, in nobis & in omnibus, quod fit credendo & amando Deum, eum laudando, benedicendo, prædicando populis, &c.

Ponitur hæc petitio ordine prima, ut discamus primùm & ante omnia quærere gloriam Dei, ac plus Deum diligere quàm nos ipsos.

N. 19. DE SECUNDA PETITIONE.

Adveniat Regnum tuum.

I. *Triplex Regnum.* II. *Gratiæ.* III. *Gloriæ.* IV. *Regnum Christi consummatum.*

QUID denotatur hìc per Regnum Dei?

I. R. Denotatur regnum Dei triplex:

II. 1°. Regnum gratiæ, quo Deus regnat in animabus justis; de quo dicitur Luc. 17. v. 21. "Regnum Dei intra vos est."

III. 2°. Regnum Gloriæ Cœlestis, sive Beatitudo æterna, quod Matth. 7. v. 21. "vocatur regnum Cœlorum."

IV. 3°. Regnum Christi consummatum; quando in extremo Judicio, subactis inimicis & destructo regno peccati ac diaboli; triumphans dicet: "Venite, Benedicti...percipite regnum."

N. 20. DE TERTIA PETITIONE.

Fiat voluntas tua.

I. *Voluntas complacentiæ intelligitur.* II. *Non omnis voluntas signi intelligitur.* III. *Objectio.* IV. *Petimus ut voluntas Dei fiat à nobis & in nobis.* V. *In Cælo, id est ab Angelis.* VI. *Conformatio voluntatis nostræ cum voluntate Divina.*

QUÆ Dei voluntas hìc intelligitur?

I. R. Cum Wiggers & Suarez lib. 3. de orat. voc. c. 8. quòd intelligatur voluntas Complacentiæ, quam Deus ex se seu ex propria ratione habet; potest autem ista voluntas esse antecedens, vel consequens; & beneplaciti, vel signi; qui termini explicantur in Tractatu de voluntate Dei.

II. Observa, quòd non omnis voluntas signi comprehendatur, E. C. non ea, quâ permittit peccata; sed illa tantùm quæ in complacentia fundatur; cujusmodi est, quæ declaratur in præceptis & consiliis.

III. Obj. Videtur frustraneum petere, ut Dei voluntas consequens sive absoluta fiat; cùm illa necessariò semper fiat.

R. Negandum esse assumptum, patet ex antedictis Num. 12. Decet enimverò filios desiderare & allaborare ut voluntas absoluta patris impleatur; ubi ipsa oratio quandoque est medium impetrans executionem voluntatis absolutæ.

IV. Notat S. Chrysost. quòd petamus indefinitè, ut fiat voluntas Dei, potiùs quàm, ut faciamus voluntatem Dei, eò quòd oremus hìc non solùm, ut voluntas Dei fiat & impleatur à nobis, sed etiam, ut voluntas Dei fiat in nobis & in omnibus rebus, quantumvis executio non debeat fieri per nos; utì accidit, dum adversa nobis obveniunt: in quibus sic orando conformamus voluntatem nostram voluntati divinæ.

V. Adjungitur "sicut in Cœlo & in terra," id est, ait S. Thom. q. 83. a. 9. ad 1. "sicut ab Angelis, ita ab hominibus." S. Cypr. interpretatur, "in Cœlo," in bonis & piis; "in terra," in malis & impiis. Catech. Rom. approbat, ut pro "Cœlo" spiritus, pro "terra" caro intelligatur.

VI. Postulamus etiam in hac petitione, nobis donari

perfectam sub Deo obedientiam & conformationem voluntatis cum voluntate divina; renuntiamusque propriæ voluntati, ex qua omne profluxit peccatum. De his dissertissimè scribit Drexelius in opusculo, quod inscribitur "Heliotropium."

N. 21. DE QUARTA PETITIONE.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

I. *Panis duplex: spiritualis & corporalis.* II. *Panis spiritual. est SS. Euch. gratia & verb. Dei.* III. *Panis materialis est victus & amictus.* IV. *Vox Panis docet necessaria solùm esse petenda.* V. *Divites debent sub hac forma orare.* VI. *Petimus panem nostrum, scilicet justè & licitè acquisitum.* VII. *Vox quotidianum denotat Frugalitatem.* VIII. *Dicendo da, fatemur omnia à Deo provenire.* IX. *Nobis, quia est oratio communis.* X. *Additur hodiè quia quotidie orandum & ut anxia sollicitudo tollatur.* XI. *Quo sensu panis Supersubstantialis.*

QUIS panis hìc petitur?

I. R. Petitur duplex panis, nempe spiritualis & corporalis sive materialis.

II. Per panem spiritualem intellige cum S. Thom. q. 83. a. 9. SS. Eucharistiæ Sacramentum, sub quo intelliguntur & cætera Sacramenta: deinde per panem intellige cum Cath. Rom. verbum Dei, sive prædicationem verbi Dei; item gratiam Dei; & quidquid ad spiritualem animæ vitam conducit.

III. Per panem materialem intellige victum, & amictum, cæterasque res, quas ad corpus vitamque tuendam adhibemus: per panem enim Phrasi Hebraïcâ significatur non solùm panis, sed et alii cibi & potus; in hac significatione legitur Luc. 14. v. 1. "Cùm intraret Jesus in domum.... manducare panem."

IV. Verumtamen in vocabulo "panis" monemur, non petere abundantiam, neque exquisitam ciborum & vestium copiam; sed solùm necessariam sufficientiam, & simul usum congruum. Hoc modo Sapiens oravit Prov. 30. v. 8. "tribue tantùm victui meo necessaria."

V. Ex quo colligas, quòd & divites sub hâc formâ orare

debeant, ut scilicet habita conservent, & ut Deus eorum quæ habent, usum salubrem & sufficientem concedere dignetur: nihil enim prodest habere, nisi eorum detur & usus.

VI. Petimus "panem nostrum," quem justè & licitè, ait S. Greg. Nyss. L., de orat. non furto aut injuriâ acquirere, retinere & uti desideramus juxta Ps. 127. "Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit."

VII. Vocatur "panis quotidianus," quæ vox denotat frugalitatem & parsimoniam, reprobatque cupiditatem & avaritiam. "Si uno die tantum manduces, vel expendas, "quantum in pluribus sufficere poterat, jam non quotidi- "anum cibum manducas, sed multorum dierum." S. Chrysost. Hom. 14. Op. imp.

VIII. Dum dicimus, "da," fatemur nos habere omnia ex benevola Dei donatione, etiam ea quæ ex hæreditate à parentibus possidemus.

IX. In pronomine, "nobis," pluralis numerus commemorat fraternam charitatem, quâ pro aliis idem deprecamur; ac simul monentur illi, qui à Deo acceperunt necessitati superflua, ea communicare indigentibus.

X. Denique additur "hodie," primò quia oportet quotidie petere & orare: secundò resecatur nimia & anxia sollicitudo in crastinum, de qua Matth. 6. v. 34. dicitur: "nolite sollicit esse in crastinum:" moderata tamen sollicitudo non vetatur, pro qua piger mittitur ad formicam Prov. 6. proinde non prohibetur nobis petere aliqua pro futuro tempore.

XI. Apud Matth. 6. v. 11, panis qui petitur, vocatur "Supersubstantialis," quia panis spiritualis, qui hìc petitur, est supersubstantialis. Secundò cum S. Thom. quæst. 83. art. 9. dici potest, quòd panis corporalis etiam rectè vocetur supersubstantialis, quatenùs petitur, non solùm ut prosit corpori, sed etiam ut serviat tanquam instrumentum quasi coadjuvans ad vitam spiritualem salutarem. Denique explicari potest, quòd dicatur supersubstantialis, id est, valdè substantialis & conveniens alendo corpori tanquam cibus præcipuus. S. Thom.

N. 22. DE QUINTA PETITIONE.

Dimitte nobis debita nostra, &c.

I. *Debita, sunt peccata commissa.* II. *Justi veraciter dicunt,* dimitte nobis, *&c.* III. *Objectio.* IV. *Debitores nostri.* V. *Debitum reale non debemus remittere.* VI. *Offensa nostri dimittenda est.* VII. *Vocula "sicut" denotat conditionem præparatoriam.* VIII. *Peccator potest dicere, "sicut & nos dimittimus."* IX. *In persona Ecclesiæ.* X. *Etiam in persona propria.* XI. *Persistens in affectu peccat sic orando.*

IN quatuor petitionibus præmissis postulavimus bona; in tribus sequentibus deprecamur mala, quæ sunt peccata, pœnœ, & pœnalitates.

Quænam hìc vocantur debita nostra?

I. R. Peccata nostra, ut explicat Luc. cap. 11, tum mortalia tum venialia, quæ commisimus. Petimus autem remissionem culpæ & pœnæ; at principaliter remissionem culpæ, eamque obtinendam mediantibus gratiâ Dei, & pœnitentiâ nostrâ, quæ hìc petitur; ut proinde hæc petitio actum contritionis contineat.

II. Justi & pii hanc orationem dicunt non solùm humiliter, sed & veraciter, ut docet concilium Milevitanum, quia hanc vitam mortalem non protrahunt immunes ab omni veniali nævo.

III. Quid si cuipiam remissa sit omnis culpa & pœna?

R. Equidem veraciter dici "dimitte nobis debita nostra," in persona aliorum: deinde etiam in persona propria; nam super peccatis remissis, denuò & sæpius potest veraciter peti à Deo remissio denuò concedenda per novum gratiæ augmentum; prout accidit in reiterata Sacramenti pœnitentiæ susceptione.

IV. Qui nuncupantur debitores nostri, dum oramus: "sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?"

R. Illi, qui nos offenderunt, sive injuriâ affecerunt.

Quid debitoribus nostris dimittendum est?

Primùm tria distinguenda sunt, offensa Dei, offensa nostrî, & debitum vel damnum reale: igitur

R. Offensam Dei nos dimittere non possumus.

V. Debitum vel damnum reale famæ vel bonorum, sive eorum restitutionem remittere non debemus, spectato justitiæ rigore.

VI. Offensa nostri sive injuria personalis nobis illata dimittenda est, & animi rancor, malevolentia, atque aversio deponenda.

VII. Vocula "sicut" denotat conditionem præparatoriam requisitam: in quo sensu eam interpretatur Christus ipse Matth. 6. v. 14 & 15. unde apud Lucam cap. 11. v. 4. legitur: "siquidem & ipsi dimittimus." Catech. Con. Trid. p. 4. admittit, quòd vox "sicut" habeat vim similitudinis cujusdam, licèt non accuratæ; unde nec æqualitatis formam designat, neque proponit regulam divinæ misericordiæ, quam Deus imitetur; cùm nos potiùs Deum imitari debeamus.

VIII. An peccator persistens in formali inimicitia proximi, vel in affectu peccati mortalis, possit absque mendacio recitare prædictam orationis formulam: "sicut & nos dimittimus "debitoribus nostris?"

IX. R. S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 16. ad 3;" "non mentitur, quamvis hoc, quod dicit, non sit verum quantùm ad suam personam; est enim verum, quantùm ad personam Ecclesiæ," in qua sunt plurimi remittentes injuriam, in quibus verificatur.

X. Deindè etiam quantùm ad orantis personam verificabitur, si talis peccator in voluntate paratus sit remittere offensam; nam per voluntatem abrumpitur actualis inimicitiæ affectus.

XI. An peccator nolens deponere inimicitiam, sed voluntariè manens in affectu peccati mortalis, peccet præfatam orationem proferendo, non solùm ut communem, sed & in ea sibi postulans remitti peccata?

Respondet Suarez lib. 3. de Orat. 8. N. 30. in censura satis severa, quòd iste præsumptuose oret, & contra Christi intentionem, & ideò graviter peccet.

N. 23. DE SEXTA PETITIONE.

Et ne nos inducas in tentationem.

I. *Duplex tentatio.* II. *Significatur hìc tentatio ad peccatum.* III. *Petimus disjunctivè, vel à tentationibus liberari, vel eis non consentire.* IV. *A tentatione motuum carnalium petimus simpliciter liberari.* V. "*Inducere*" *significat divinam permissionem.*

I. PRIMUM observa, duplicem in Sacris Litteris discerni tentationem, "probationis" scilicet, & "inductionis ad peccata."

Utra tentatio significatur in hac petitione?

II. R. Tentatio inductionis ad peccatum; quemadmodùm enim in præcedenti petitione postulavimus liberari à peccatis præteritis, ita in hac petimus præservari à futuris.

An petimus liberari ab omni tentatione?

III. R. Petimus disjunctivè, vel non tentari, vel si tentemur, tentationi non succumbere, sed eam vincere; proinde non petimus absolutè, ut nullas tentationes patiamur: nam christiana vita libera esse non potest ab omni tentatione, & tentatio magnam sæpe habet utilitatem, per accidens saltem; quo modo enuntiat S. Paulus 2 ad Cor. 12. "ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi... angelus satanæ:" & Jac. 1. v. 12. "Beatus vir qui suffert tentationem."

IV. Rectè interim petimus liberari simpliciter à quibusdam tentationibus de se inordinatis, veluti à motibus concupiscentiæ carnalibus: quia non licet eis consentire, ne quidem ut eos patiamur.

V. Quid significat verbum "inducere" in hac oratione: "& ne nos inducas in tentationem?"

Respondet Catech Conc. Trid. p. 4. n. 21. similibus verbis secundùm Sacræ Scripturæ morem significari permissionem divinam. Cùm autem in permissione peccati quandoque concurrat quædam Dei operatio, utimur potiùs verbo "inducere." In Tractatu de causis peccatorum latiùs explicantur quatuor modi, juxta quos intelligi debet, Deum inducere in peccatum.

N. 24. DE SEPTIMA PETITIONE.

Sed libera nos à malo.

I. *Intelligitur pœnalitas præsens.* II. *Petimus simul ab omnibus malis liberari.* III. *Objectio.* IV. *Est petitio distincta.* V. Amen, *importat* fiat. VI. *Monitum pro Concionatoribus.*

QUALE malum intelligitur in præfata petitione?

I. R. 1°. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 9. in c. intelligit pœnalitatem præsentis vitæ: itaque petimus hìc liberari ab ignorantia aliisque defectibus in anima; à morbis, peste, fame, aliisque miseriis in corpore; à damnis aliisque adversis in bonis externis: nempe ab illis liberari in quantùm expedit saluti.

II. R. 2°. Quandoquidem aliqui sancti Patres interpretentur prædictam petitionem etiam de aliis malis, hinc rectè cum S. August. dici potest, quòd petamus liberari non solùm à pœnalitatibus, sed & ab omnibus malis, à Dæmone, ab inferno, à peccatis & pœnis, à tentationibus, &c. ita ut hæc petitio sit simul conclusio præcedentium.

III. Obj. Ergo hæc non est specialis petitio distincta, adeoque non potest statui septima petitio.

IV. R. Negando sequelam: quatenùs enim hìc petimus liberari à pœnalitatibus præsentibus, eatenùs habet rationem distinctæ petitionis; & ita cessant utrimque objectiones.

V. Additur: "Amen," quod importat confessionem & reiterationem affectûs circa præcedentes petitiones, ac si diceretur: "fiat, fiat."

Pro usu lectionis moralis & componendis concionibus super Oratione Dominica, legatur Hortus Pastorum authore Marchantio, Tract. 3. de Spe. In eandem etiam latissimè discurrit liber gallicè dictus "Morale Chrètienne," aliique.

VI. Porro judico esse magis proficuum, si Parochus explicationem Orationis Dominicæ contrahat ad duas aut tres conciones; nam prolixitas confusionem parit. Idem censeo servandum in explicatione Symboli Apostolorum, vel Salutationis Angelicæ. Convenit etiam similes explicationes frequenter iterari.

N. 25. DE SALUTATIONE ANGELICA.

Ave, Maria, gratia plena, &c.

I. *Post Orationem Dom. recitatur Salutatio Ang.* II. *Constat tribus partibus.* III. *Tertia pars addita Sæculo quinto.*

I. PIA fidelium devotio ex antiquissimo nascentis Ecclesiæ usu observat, ut post Orationem Dominicam recitetur Salutatio Angelica, ut per intercessionem beatissimæ V. M. impetremus, quod à Deo petimus: ipsa enim post Christum est spes nostra.

II. Salutatio Angelica constat tribus partibus: prima pars continet Salutationem Gabriëlis Archangeli; secunda S. Elisabethæ verba ad S. Mariam dicta Spiritu Sancto inspirante; III. tertia pars continet orationem Ecclesiæ

invocantis Virginis Deiparæ Patrocinium: hæc verò pars addita fuisse creditur sæculo quinto contra hæresim Nestorii, qui negabat, Mariam appellandam esse Deiparam, sive Matrem Dei.

Ampliorem hujus Salutationis Angelicæ explicationem ad usum concionatorum subministrat Marchantius in Horto Pastorum, lib. 2. de Spe Tract. 4.

N. 26. DE ROSARIO.

I. *Rosarium continet* 15 *Decades*. II. 15 *Mysteria enumerantur.*

I. EX Oratione Dominica & Salutatione Angelica concinnatur celebris & ab Ecclesia approbata orandi formula, quæ appellatur Rosarium, continens Salutationum Angelicarum decades quindecim, interpositis quindecim Orationibus Dominicis, in quo recoluntur præcipua Mysteria Vitæ, Mortis & Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi.

II. In hoc Rosario quindecim Mysteria disponuntur hoc ordine: ut primò recolantur quinque Mysteria gaudiosa, scilicet, 1°. Annuntiatio B. M. V. 2°. Visitatio; 3°. Nativitas Christi; 4°, Jesus in Templo oblatus Festo Purificationis B. M. V. 5°. Jesus inventus in Templo.

Sequuntur quinque Mysteria dolorosa; 1°. Tristitia Christi in horto; 2°. ejus Flagellatio; 3°. spinis Coronatio; 4°. Crucis Bajulatio; 5°. Crucifixio.

Quinque Mysteria gloriosa sunt, 1°. Resurrectio Domini; 2°. ejus Ascensio; 3°. Adventus Spiritûs Sancti; 4°. Assumptio B. M. V. 5°. Coronatio B. M. V. in Cœlo.

Convenit in Catechism's & Concionibus docere Fideles hæc Mysteria Rosarii, quia continent notitiam vitæ Christi.

Praxis utilissima recitandi Rosarium est, ut in recitatione singulæ decadis orans sibi præsentet ex illis Mysteriis unum, & ad nomina Mariæ & Jesu caput inclinet, & eosdem salutet veluti in tali Mysterio repræsentatos, & quondam constitutos.

N. 27. DE LITANIIS.

I. *Litaniæ omnium Sanctorum.* II. *Litaniæ B. M. V.* III. *Hæ solæ duæ sunt publicæ Orationes.*

I. SANCTUS Gregorius usum Litaniarum omnium Sanctorum promovit: quæ orandi forma ante ipsum diu in Ecclesia adhibita fuerat.

II. Litaniæ B. M. V. Lauretanæ posterioribus temporibus usu Ecclesiæ & authoritate Pontificum approbatæ sunt, in quibus beatissima Virgo Maria variis nominibus propriis & metaphoricis appellatur, ut sine tædio precatio ad illam aliquo tempore protrahatur.

III. Nota, has solas duas Litanias esse ab Ecclesia approbatas tanquam publicas preces: unde hæ duæ solummodo in Officiis divinis publicè decantari possunt juxta Decretum Clementis VIII.

Litaniæ aliæ, quæ passim reperiuntur in Libris precum à Censore approbatæ, videntur recitari posse à privatis.

QUÆSTIO IV.

N. 28. DE HORIS CANONICIS.

I. *Definitio.* II. *Continet varios actus Religionis & aliarum virtutum.* III. *Septem Horæ Canon.*

I. QUID sunt horæ Canonicæ?

Resp. Sunt preces vocales ab Ecclesia ordinatæ & præscriptæ, ut certis horis quotidie dicantur vel canantur.

Dicuntur "Preces" lato sensu, & quia major pars preces sunt: vocantur "Horæ," quia certis diei horis recitandæ; "Canonicæ," quia pleræque per Canones præcriptæ sunt; vocantur etiam "Officium Divinum aut Ecclesiasticum."

II. Conflatur hoc Officium ex Psalmis, Lectionibus, Hymnis, Responsoriis, &c. amœna varietate; quæ omnia ordinantur in hoc Officio ad colendum Deum; ut proinde recitatio Horarum sit actus virtutis Religionis; continet autem varios Religionis actus, orationes, laudes Dei, gratiarum actiones, &c. utì & varios actus aliarum virtutum, fidei, spei, charitatis, obedientiæ, pœnitentiæ, duliæ, &c.

III. Quot sunt Horæ Canonicæ?

R. Communiter enumerantur septem, conformiter ad illud Davidis Psal. 118. "septies in die laudem dixi tibi," quæ ab horis, quibus recitari solebant, sortitæ sunt nomina, nempe, Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium: adaptantur autem Mysteriis Passionis Christi juxta hos versus:

"Matutina ligat Christum, qui crimina solvit:
Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nectit: latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit."

A tempore Apostolorum certas orationis horas servatas fuisse indicant Sacræ Litteræ Act. 3. v. 1. & 10. v. 9.

N. 29. DE PRÆCEPTO RECITANDI HORAS CANONICAS.

I. *Obligantur Ordinati, Religiosi, Beneficiati.* II. *Tres sunt Tituli; Ordo Sacer, Professio ad Chorum, Benefic. Ecclesiast.* III. *Probatur Obligat. Ordinatorum.* IV. *Clerici solùm Tonsurati non obligantur, hodie saltem.*

QUINAM obligantur hoc præcepto recitandi Horas Canonicas?

I. R. Regulariter assignantur tria hominum genera: nimirum constituti in majoribus Ordinibus, Religiosi ad chorum professi, & Beneficiati: II. solent enim ex jure communi numerari tres tituli, ex quibus obligatio ad Horas Canonicas nascitur: Ordo Sacer, professio ad chorum, & beneficium Ecclesiasticum; nam obligatio ex singulari voto vel particulari præcepto non pertinet ad jus commune, sed ex particulari facto oritur.

III. Proba, quòd initiati Sacris Ordinibus obligentur recitare Horas Canonicas.

R. Probari solet ex cap. "dolentes" de celebratione Miss. lib. 3. Decret. Tit. 41. cap. 9; sed non satis dilucidè: unde eam obligationem magis declarat consuetudo recepta in Ecclesia per modum legis: ratio decentiæ accedit: decet enim, ut qui per Sacrum Ordinem Deo sunt consecrati in stabili statu, magis etiam orationibus & cultui Divino vacent.

IV. Clerici primæ Tonsuræ vel minorum Ordinum hodie non obligantur: si quis verò cum Huygens contendat, illos olim istâ obligatione fuisse constrictos, fateri equidem debet, eam jam desiisse per consuetudinem contrariam; ita ut nequidem ad officium B.M.V. nec ad psalmos pœnitentiales recitandos obligentur spectando jus positivum Ecclesiasticum.

N. 30. DE OBLIGATIONE RELIGIOSORUM AD HORAS CANONICAS.

I. *Probatur ex consuetudine.* II. *Non obligantur Novitii, &c.* III. *Initium Obligationis.*

QUI Religiosi obligantur ad Horas Canonicas?

R. Religiosi utriusque sexûs ad chorum professi; ita ut, si à choro absentes fuerint, privatim eas recitare teneantur.

I. Obligatio illa magis iterùm fundatur in consuetudine Ecclesiæ recepta, quàm in decretis Canonum.

II. Nota, quòd hanc obligationem non habeant Novitii, nec Conversi, seu Fratres, ut vocantur; neque etiam Religiosi Societatis Jesu, nec Hospitalarii, nec Militares, &c. quia non sunt professi ad Chorum.

Quandonam incipit hæc obligatio respectu prœdictorum Religiosorum, & Ordinatorum?

III. R. Incipit hæc obligatio à tempore suscepti Ordinis vel Professionis factæ, ita ut, si quis ordinetur, vel profiteatur circa meridiem, obligetur post ordinem susceptum, aut professionem emissam eo die incipere à Nona horarum, vel saltem à Vesperis; quia illud est tempus ordinarium recitandi prædictas Horas; non obligatur ad legendum matutinum, quod recitari solet manè; quia obligatio, quæ jam incipit, non retrotrahitur ad tempus præteritum.

Quid si quis circa meridiem ordinatus vel professus, jam antè recitasset Nonam & Vesperas?

R. Videtur obligatus ad repetendum eas Horas: quia non satisfecit præcepto; cum non recitaverit nomine Ecclesiæ, utpotè necdum ab Ecclesia assumptus, vel deputatus: & tempus obligationis necdum curreret. Antoine l. 2. p. 7.

N. 31. DE OBLIGATIONE BENEFICIATORUM AD RECITANDUM HORAS CANONICAS.

I. *Possidentes Beneficium sufficiens ad sustentationem.* II. *Possidens Beneficium sufficiens ad tertiam sustentationis partem tenetur recitare quotidie Horas Canonicas.* III. *Tertia pars sunt* 80 *flor.* IV. *Si Beneficium tenue sit, aliquoties Officium recitetur.* V. *In taxatione fructuum computantur distributiones.* VI. *Sed detrahuntur onera.*

QUINAM Beneficiati obligantur ad Horas Canonicas quotidie recitandas?

I. R. Certum est, quòd ii obligentur, qui possident Beneficium Ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem Clerici communis conditionis. Probatur ex variis Capitulis, & præcipuè ex Conc. Later. sess. 9. sub Leone X. excipiuntur tamen quædam Beneficia, quibus Fundator expressè, approbante Ecclesiâ, quasdam alias breviores dumtaxat preces voluit annectere.

II. Quid si Beneficium non sit sufficiens ad integram sustentationem, quod solum quis possidet?

R. Si sufficiat ad tertiam partem mediocris sustentationis Clerici communis conditionis, obligatur possessor ejusdem Beneficii ad recitandum integrum quotidiè Officium, quia satis servatur æquitatis ratio, nam onus recitandi Horas Canonicas non est tam grave, quin satis æquè compensetur per tertiam sustentationis partem. Hæc sententia est communis Scholasticorum.

III. Tertia autem pars mediocris & honestæ sustentationis taxatur à Wiggers ad 12. vel 15. aureos, attentis aliis favoribus quibus Beneficiati communiter gaudent. Posset fortè his temporibus tertia sustentationis pars æstimari ad 80 florenos, cùm sustentatio RR. DD. Vicepastorum hodiè soleat taxari ad 240 florenos annuatim.

IV. R. 2°. Si Beneficium sit tam tenue, ut constanter ne quidem pro tertia mediocris sustentationis parte sufficiat, videtur satisfacere ejusdem possessor, juxta viri prudentis judicium, recitando Officium aliquoties, putà diebus Dominicis & Festis, aut sæpius, servatâ proportione fructuum, quia tunc servatur æquitas. In dubio expedit exquirere judicium Ordinarii, quia aliqui contradicunt.

Si interim quispiam possideat plura Beneficia tenuia, quorum proventus simul ascendunt ad tertiam mediocris sustentationis partem, certò is iterùm obligatur ad plenam Horarum recitationem.

V. Notandum, quòd in taxatione proventuum sive fructuum Beneficii computari debeant distributiones quotidianæ & reliqua, ad quæ Beneficiatus vi Beneficii vel functionum Beneficii jus habet.

VI. Censet interim Suarez t. 2. de Relig. lib. 4. cap. 21. n. 11. in præfata taxtione fructuum, consideranda & ex eis detrahenda esse onera alia, v. g. Missarum, &c.

N. 32. DE BENEFICIARIO QUI CONSTANTER NULLOS FRUCTUS PERCIPIT.

I. *Si Beneficium nullos fructus reddat.* II. *Sententia Van Roy.* III. *Sententia Wigg.* IV. *Aliquoties recitare tenetur.* V. *Non tamen quotidie.* VI. *Objectio.* VII. *Objectio.*

I. UTRUM possidens Beneficium, quod constanter & quasi perpetuò nullos reddit fructus, quia v. g. bona Beneficii deperdita sunt, obligetur recitare Horas Canonicas?

II. R. Van Roy de Rel. c. 2. q. 6 Bossuyt, Billuart, Covar. & passim Canonistæ docent, eum obligari ad persolvendum quotidianum Horarum pensum, si Beneficium vel minimos referat fructus, quia secundùm eos solus Beneficii titulus inducit illam obligationem independenter à fructibus.

III. Wiggers, Daelman & plures Theologi recentiores eundem eximunt ab onere recitandi Horas, si Beneficium nullos fructus reddat, vel solùm valdè exiguos; cùm in moralibus parum quasi nihil reputetur.

IV. Respondeo igitur, illum teneri aliquoties, e. c. in Festivitatibus, recitare Horas Canonicas: quamvis enim nullos fructus ex bonis percipiat, gaudet tamen aliis quibusdam commodis vel favoribus, privilegiis vel honoribus, vel juribus, in quibus Beneficium persistit; alioquin Beneficium totaliter interiisset, & ampliùs non subsisteret, quod est contra suppositum.

V. Non videtur tamen ille Beneficiatus obligatus ad recitandum quotidie Officium Divinum integrum, sed solùm servatâ proportione fructuum sive favorum. Ratio datur, qùod Ecclesia non censeatur imponere onus illud, nisi concedat jus vel stipendium alicujus sustentationis vel favoris, quia Ecclesia vult servare rationem æquitatis juxta id 1. Cor. 9 "Quis militat suis stipendiis unquam? Qui altari deserviunt, cum altari participant."

VI. Obj. Ecclesia sine violatione æquitatis omnibus Sacro Ordine insignitis imponit onus illud recitandi Horas Canonicas, nec eis concedit nec assignat temporale stipendium; ergo sic omnibus Beneficiariis censetur idem onus imponere in vim tituli Beneficii.

R. Neg. conseq. Disparitas est, qùod Ecclesia in illis spectet alios fines, nempe sanctitatem & spiritualem statum Ordinatorum perficere: sed Ecclesia Beneficiatis imponens onus legendi Horas Canonicas, magis spectat Beneficium sive jus proventuum temporalium, ob quod onus illud imponit. Deinde Ecclesia etiam non solet conferre Ordines Sacros nisi provisis de titulo sustentationis.

VII. Obj. Beneficiatus sciens & volens accipit Beneficium cum tali onere; ergo nihil agitur contra æquitatem.

R. Ecclesia volenti non vult imponere onus, nisi secundùm æquitatem compensetur, juxta illud: "Qui altari deserviunt cum altari participant 1. ad Cor. 9."

Obj. Pius V. ex Conc. Lateranensi pronunciat, ut quicunque habens Beneficium, & omittens Officium, fructus

non faciat suos; & non facit distinctionem inter Beneficia tenuia & alia; ergo etc.

R. Id etiam intelligitur servatâ æquitate & sub ordinariis conditionibus, sicut additur conditio hæc, " impedimento cessante."

N. 33. DE BENEFICIARIO QUI FRUCTUS NON PERCIPIT PER ACCIDENS OB BELLUM AUT STUDIUM, &c.

I. *Qui uno vel duobus annis jejunat à fructibus, debet recitare Horas Can.* II. *Moderatio Conc. Trid. & Pii V.* III. *Qui studii causâ abest, non liberatur.* IV. *Prop. Damnata.* V. *Obligatio recitandi Hor. Can. est personalis.*

NOTANDUM, conclusiones præcedentes intelligi de Beneficio, quod constanter & de se " nullos aut tenues fructus" refert: nam

I. Qui habet Beneficium de se fructuosum, licèt aliquibus annis careat fructibus per devastationem bellorum aut tempestatum, vel ob statuta particularia, per quæ cogitur uno vel duobus annis jejunare, ut dicitur, ille non liberatur pro eo tempore à recitatione Horarum Canonicarum, quia istud Beneficium de se est fructuosum: Beneficium autem, quod est jus perpetuum, & obligatio Beneficii non respiciunt divisim fructus unius alteriusve anni.

Adde quòd illa carentia fructuum sæpe compensetur per fructus post mortem suscipiendos, vel per hoc, quod propterea liberetur ab onere fabricæ Ecclesiæ.

II. Meritò interim moderatio posita est in illis fructuum deductionibus per Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 14. & per Pium V. extrav. " Durum" in Bullario Rom. Constit. 106, per quam cavetur, ne ultra dimidiam partem fructuum tribuatur, ne quidem Fabricæ, Sacristiæ, vel alterius pii loci usibus: consuetudinem tamen aliam, quoad pios usus, posse esse rationabilem admittit Suarez, qui latiùs de iis discurrit. t. 2. de Rel. lib. 4. c. 22. n. 7. & seq.

III. An is, qui studiorum causâ vel ex dispensatione aliisve rationibus abest, ex quo nullos percipit fructus liberatur ab onere legendi Horas Canonicas?

R. Negativè: quia defectus non accidit ex parte Bene-

ficii: imò non liberatur Beneficiatus, quantumvis ille suo loco substitueret Vicarium frequentantem chorum & recitantem Horas, reliquaque Beneficii onera portantem: de quo habemus prop. 21. IV. inter damnatas ab Alex. VII. " habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet."

V. Hinc observa, quòd obligatio Beneficiati ad recitandum Horas Canonicas sit personalis, adeoque requirat actum proprium Beneficiati.

Objicitur: Beneficiatus ille nullos fructus percipit, sed alius omnes accipit; ergo ille non obligatur, sed alius.

R. Negando conseq. Quia jam dictum est, quòd obligatio sit personalis & quòd sufficiat, Beneficium de se esse fructuosum.

N. 34. INITIUM OBLIGATIONIS.

I. *Qui habet solam præsentationem non oblig.* II. *Qui habet possessionem indubitatè obligatur.* III. *Si habet institutionem sed non possessionem.* IV. *R. Distinguendo.* V. *Item si ex negligentia differat capere possessionem.* VI. *In casu Beneficii litigiosi debet officium integrè persolvi.*

A QUO tempore initium sumit obligatio recitandi Horas Canonicas ratione Beneficii?

I. R. Qui solam habet præsentationem vel nominationem, absque institutione vel collatione, non obligatur recitare Horas Can. quia propriè nondum habet Beneficium.

II. R. Qui habet collationem Beneficii & simul possessionem, indubitatè tenetur recitare Horas à tempore captæ possessionis secundùm proportionem fructuum explicatam numeris præcedentibus.

III. Disputatur, an is, qui habet Beneficii collationem aut institutionem, sed nondum introductus est in realem possessionem, obligetur ad recitandum Officium ante introductionem sive captam possessionem?

IV. Respondet Suarez negativè; sed aptiùs Wiggers & Van Roy respondent distinguendo, nimirum: si fructus ante captam possessionem nullo modo illi decurrant, eundem non obligari, & pro eo citatur Flaminius referens, eam esse praxim Curiæ Romanæ: si autem fructus aliquo modo directè vel indirectè cedant in commodum vel exonerationem illius, v. g. si currat annus pro Fabrica Eccle-

siæ, dicendum, illum obligari ad recitationem Officii: uti & tunc obligatur, V. quando ex negligentia vel fraude differt accipere possessionem.

VI. Quis in casu Beneficii litigiosi obligatur ad recitationem Horarum Canonicarum?

R. Videtur obligatus ille, qui habet Beneficii possessionem & administrationem; alioquin uterque litigans pro parte tenebitur secundùm determinationem Ordinarii proportionatè ad spem fructuum recipiendorum, ita ut totum Officium quotidie, si scilicet fructus sint sufficientes, persolvatur, ne Ecclesia inde detrimentum patiatur.

N. 35. AN DESERVITURA BENEFICII OBLIGATIONEM INDUCAT AD RECITANDUM HORAS CANONICAS?

I. *Habens deservituram obligat.* II. *Coadjut. non obligantur.* III. *Pensio Beneficii.* IV. *Præstimonium.* V. *Matricularia, vet Capellania Laïca non infert onus legendi Horas.* VI. *Mulieres Canonicæ in Belgio obligantur.*

AN is qui accipit Beneficium in commendam vel deservituram, obligatur recitare Horas Canonicas?

I. R. Affirmativè, quando videlicet ab Episcopo vel Superiore ei committitur tota administratio Beneficii, licèt solummodo ad tempus; nam talis habet totam obligationem Beneficii, licèt non habeat proprietatem Beneficii.

II. Coadjutores vel Vicarii assumpti à Beneficiariis vel Pastoribus illam obligationem non contrahunt.

III. Pensio ex Beneficio non inducit debitum recitandi Horas Can.: quando tamen pensio accipitur titulo clericali, obligat ex constitutione Pii V, ubi recepta est ad recitandum parvum Officium B. M. V. nisi recitetur Officium Ecclesiasticum.

IV. Præstimonium, quod datur in perpetuum Clerico, obligat ad Horas Can. ut colligitur ex Constitutione Pii V. præfata.

V. Jus ad fructus sinè titulo clericali, cujusmodi solet adferre Officium "Matricularii," Sacristæ, &c. Item "Capellaniæ Laïcæ," quæ conceduntur sine Collatione Prælati Ecclesiastici, non inferunt obligationem recitandi Horas Can.

VI. Mulieres Canonicæ, in Belgio obligantur ad Horas Can. sed ex instituto earum speciali.

N. 36. DE RESTITUTIONE OB OMISSIONEM HORARUM CANONICARUM.

I. *Bulla Pii V.* II. *Fructus non faciat suos.* III. *Præstimonia.* IV. *Omittens unam parvam Officii horam duodecimam partem restituat.* V. *Propositiones damnatæ.* VI. *Restitutio non est purè pœna.* VII. *Sex primis mensibus omittens tenetur ad restitutionem.* VIII. *Si in negligentia permanserit, privari potest Beneficio.*

AN & quomodò Beneficiati omittentes sinè causa sufficienti Horas Canonicas obligantur ad restitutionem?

R. Hanc quæstionem resolvit Concilium Lat. sub Leone X. sess. 9. anno 1514: quod Decretum innovavit & ampliavit Pius V. anno 1571. Constit. 135. in Bullario Rom. cujus tenor est:

I. "Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

"Ex primo Lateranensi Concilio, ea salubris sanctio emanavit ut quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum, cum cura, vel sinè cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officii, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam injustè perceptos, in Fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda."

"§. 1. Nos huic rei evidentiùs atque expressiùs providere volentes, statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur; qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sex tampartem fructuum ejusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat, is etiam præter fructuum vel dis-

tributionum amissionem, item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes Præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter convenire. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum BEATÆ MARIÆ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium."

IV. Observa circa hujus constitutionis verba, quibus decernitur, ut intermittens parvam Officii horam, amittat sextam diei partem, eam intelligendam esse sextam partem medietatis fructuum ejusdem diei, ne alioquin sequatur absurdum, nempè quòd omittens quatuor parvas Horas teneretur plus restituere, quàm qui omnes sex omitteret.

V. Alex. VII. circa hanc materiam damnavit has propositiones:

"Restitutio à Pio V. imposita non recitantibus Beneficiatis, non debetnr in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna." Est 20. inter dam.

"Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleëmosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit." Est 33.

VI. Observa, quòd illa restitutio non sit purè pœna, sed naturalis quædam obligatio, saltem post Conc. Lat. quia Concilium hoc decernit, ut Beneficiatus "fructus suos non faciat," adeoque tanquam injustè perceptos restituere debeat, cùm non sint fructus sui.

VII. An Beneficiatus omittens primis sex mensibus Hor. Can. obligatur ad restitutionem fructuum?

R. De hoc Pius V. nihil statuit. Sed tamen rectè cum Soto & Suarez lib. 4. de Hor. Can. cap. 29. dicitur eundem obligari ad restitutionem aliquam ex jure naturæ; nam percipit fructus per modum stipendii, ita ut omittens Horas Can. violet justitiam; id insinuat Conc. Lat. dicens, "quod propter Officium detur Beneficium."

VIII. Inde idem Conc. Lat. Can. 9. decernit: si Beneficiatus in simili negligentia contumaciter permanserit, Beneficio ipso privetur.

N. 37. DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

I. Restitutio fieri debet vel ipsi Beneficio, vel Ecclesiæ istius Beneficii, vel in pauperes erogando. II. *Restitutio non fit per spiritualia.* III. *Parochus restituere debet omnes fructus ex jure positivo.* IV. *Non ex jure naturali.* V. *Explicatur axioma: Beneficium propter Officium.*

CUI illa restitutio fieri debet in casu omissionis Horarum culpabilis?

R. Pius V. in præfata Constit. statuit, ut restitutio fiat erogando fructus "in Fabricas ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleëmosynas." Proinde eos in Fabricam alterius Ecclesiæ, vel in alios pios usus expendere non licet, ut notat Suarez lib. 4. c. 30. n. 20. f. 270. nisi fortè particularia statuta id exigant, quibus Pontifex non derogat: ita Suarez; imò existimat, eos posse expendi etiam in eleëmosynas pro Defunctis, v. g. ut Missæ celebrentur.

Si alibi distributiones vel fructus absentium vel deficientium accrescant præsentibus, vel massæ, eisdem restitutio in tantùm fieri debet.

II. An Beneficiatus restitutionis debitum evadit, si Horas omissas die postero recitet, vel per alias preces pro Benefactore eas supplere conetur?

R. Bonac. negativè; quia illi fructus non sunt debiti, nec respondent recitationi, quæ fit post tempus obligationis elapsum. Præterea Bulla prædicta decernit temporalium fructuum restitutionem in alios usus.

An Parochus omittens Horas Can. uno die teneatur secundùm propotionem supra explicatam restituere omnes fructus illius diei, si eodem die plures functiones Pastorales persolverit, quandoquidem Parochus eosdem fructus etiam propter Officium Pastorale percipiat?

III. R. Illum ad restituendos omnes fructus teneri ex jure positivo Constit. Pii V.; & dici potest quòd lex illa per modum pœnæ Parochum privet etiam dominio illius partis fructuum, quæ respondet Ministerio Pastorali.

IV. Ex jure tamen divino, vel naturali, non privatur illâ parte fructuum, adeoque, spectando jus naturale, non omnes fructus in casu posito restituendi essent; quia aliqui debentur illi propter Officium Pastorale; eaque divisio locum habere posset sex primis mensibus à consecutione Beneficii Parochialis sive aliter onerosi. Hinc

V. Nota, quòd axioma illud, "propter Officium datur "Beneficium," videatur esse intelligendum non tantùm de Officio Horarum Canonicarum, sed de omnibus aliis functionibus et oneribus Beneficio annexis. Ita Suarez & Billuart, qui ideò tom. 4. diss. 2. art. 8. pag. 72. dicit probabilius esse, quòd Parochus omittens Officium, partem fructuum retinere possit pro Officio Pastorali persoluto.

N. 38. EXCUSANTIA A RESTITUTIONE FRUCTUUM.

I. *Non omnis omissio Horarum obligat ad restitut.* II. *Causæ excusantes à restitutione.* III. *Oblivio, inadvert. natural.* IV. *Distract. voluntaria non excusat.* V. *Medium liberans à restit.* VI. *Omissio vel distractio venialiter mala non causat debitum restitutionis.* VII. *Distractio, vel omissio partium exiguarum.*

I. QUOD non omnis omissio Horarum Can. inducat restitutionis obligationem, significat ipse Pontifex in bulla præfata exprimens hanc exceptionem: "Legitimo cessante impedimento."

Quænam sunt illa, quæ Beneficiatum Horas non recitantem liberant à restitutione?

II. R. Causæ excusantes à recitatione Horarum, (de quibus N. 42) etiam excusant à restitutione: & quandocumque omissio excusatur à peccato, Beneficiatus excusatur à restitutione.

III. Igitur omittens Horas Can. per oblivionem vel inadvertentiam naturalem sive inculpabilem, à restitutione immunis est.

IV. Recitans Horas Can. absque ulla intentione vel attentione, vel cum distractione voluntaria & mortaliter mala, debito restitutionis obnoxius est, quia non satisfecit præcepto Ecclesiæ. Prout cum Bonac. & Billuart p. 121, docetur infra Num. 47.

V. Medium aliquod evadendi restitutionem est, si petatur condonatio Romana fructuum injustè perceptorum in pœnitentiaria; nam Rituale Rom. & Past. Mechl. significant, hujusmodi condonationem concedi dum præscribunt hanc formulam: "Restituo tibi titulum Beneficii, & condono tibi fructus malè perceptos."

Quid si distractio vel omissio sit venialiter solùm culpabilis ex quadam indeliberatione, vel ex levitate materiæ?

VI. R. Non videtur ex ea Beneficiatus compellendus ad ullam restitutionem: quia talis omissio vel distractio venialis non facit transgressionem præcepti Ecclesiæ simpliciter dictam, sed defectum indulgendum, non puniendum per leges; adeoque Ecclesia in erectione beneficiorum vel in constitutione Pii V. præfata non intendit beneficiatum suis fructibus privare propter leves & communissimos defectus.

Deinde talis restitutio vix ad praxim revocari posset sine magnis incommodis & scrupulorum periculis. Addit Bonac. de Hor. Can. d. 1. q. 5. pp. 1. n. 11. hanc doctrinam usu Ecclesiæ videri approbatam in distributionibus, quæ integræ dantur Canonicis, licèt statim inchoato Officio in choro non reperiantur.

VII. Si autem omissio vel distractio voluntaria respiciat plures exiguas Officii ejusdem diei partes, quæ coalescentes constituunt omissionem gravem & mortalem, restitutio debetur juxta quantitatem omissam. Id Pius V. expressis verbis non determinavit, sed moraliter colligendum reliquit.

N. 39. CASUS PERTINENS.

I. *Abjiciens Breviarium non liberatur per impotentiam à restitutione,* II. *Objectio.* III. *Objectio.*

1. BENEFICIATUS abjicit breviarum, ne legat Horas Can. hâc septimanâ, sed facti pœnitens nequit acquirere breviarum ullum: petitur

An illa impotentia recitandi Horas Can. liberet à restitutione fructuum?

R. Non liberat; quia impotentia illa provenit ex fraude aperta: fraus autem illi patrocinari non debet.

II. Obj. Fraus illi non patrocinatur, sed impotentia.

R. Cùm illa impotentia proveniat ex fraude, sic patrocinium originaliter ex fraude provenit.

III. Obj. Omissio horarum post pœnitentiam est illi involuntaria; ergo excusat à restitutione secundùm dicta Num. 28.

R. Distinguo antecedens: Omissio est illi involuntaria in ordine ad voluntatem tunc præsentem, ita ut non peccet ampliùs, concedo antec. omissio est involuntaria in ordine ad voluntatem, quâ causam posuit, nego antec. illa enim omissio fuit voluntaria & intenta directè in abjectione bre-

viarii, quod sufficit, ut exurgat obligatio restitutionis; sicuti damna injusta, quæ fuerunt voluntaria in causa, restitui debent.

CASUS ALTER.

I. *Per ebrietatem causans sibi morbum, an excusetur à restitutione?* II. *R. Distinguendo.* III. *Juste incarceratus vel excommunicatus privatur distributionibus.*

I. BENEFICIATUS per ebrietatem vel per gravem culpam intulit sibi morbum, quo redditur impotens ad recitandas Horas Canonicas: quæritur, utrùm à restitutione fructuum excusetur?

II. R. Casuistæ resolvunt, distinguendo: si id fecerit "in fraudem," sive ex ea intentione, ut non recitet Horas, non liberatur â restitutione ob rationes allegatas in casu superiori: La Croix lib. 4. n. 1210

Si autem id contingat sinè fraude, eum liberant à restitutione titulo impotentiæ, imò eidem quotidianas distributiones ac residentiam adjudicant; pro quo Fagnanus lib. 3. in cap. *licèt* de Preb. n. 174. reclamat, sed non producit decisionem S. Congreg. & approbationem Greg. XIII. Pro ratione addit, quòd morbus sit à Deo, & quòd juxta Can. 2. "cùm percussio" caus. 7. q. 1, Superiores de eo inquisititionem facere non debeant, sed Dei judicio relinquere, ne flagellatis addatur afflictio. Idem docet Barbosa de Can. cap. 24. n. 35. Hoc tamen negari non potest, quòd per positionem voluntariam causæ contraxerit malitiam omissionum omnium, quas potuit & debuit prævidere secutaras, coram Deo, quantumvis ab hominibus non puniatur.

III. Iidem admittunt, quòd impotentia frequentandi chorum ob justam à Superiore inflictam incarcerationem sive exilium, vel ob justam excommunicationem aut aliam censuram ex culpa propria, privet distributionibus saltem post sententiam. Consule Barbosam de Canonicis cap. 22.

N. 40. DE PECCATO OMISSIONIS HORARUM CAN.

I. *Omissio Hor. Can. est peccatum contra virtutem Relig.* II. *Beneficiatus ulteriùs peccat contra justitiam.* III. *Sensus Axiomatis:* Beneficium datur propter Officium. IV. *Opinio contraria.* V. *Omittens Hor. cum intent. restituendi.* VI. *Obligatio Justitiæ oritur ex sola voluntate Ecclesiæ.* VII. *Solus titulus Ordinis sacri non inducit obligationem Justitiæ.* VIII. *Recitans Horas in statu solius peccati habitualis satisfacit.* IX. *Recitans in actu sive affectu peccati mortalis non satisfacit.*

QUALE peccatum est, Horas Canon. omittere respectu illius, qui ex præcepto Ecclesiæ eas recitare tenetur?

I. R. Est peccatum contra virtutem Religionis: quia lex Horas Can. præcipiens introducta & lata est formaliter ex fine Religionis; nam præcipitur recitatio Horarum Can. tanquam actus Religionis.

II. Deinde probabilior opinio docet, quòd Beneficiatus insuper peccet contra justitiam commutativam; adeòque quòd omittendo Horas Can. peccet duplici peccato: proinde conditionem illam Beneficii in confessione declarare tenetur, & ad restitutionem obligatur juxta dicta n. 36. Probatur hæc opinio ex eo, quòd in Conc. Lat. sess. 9. & cap. ult. de Rescriptis in 6 lib. 1. tit. 3. legatur, quòd "Beneficium datur propter Officium," ita ut fructus non faciat suos, qui Officium prætermisit.

III. Quem igitur sensum habet hoc axioma: "Beneficium datur propter Officium?"

R. Hunc sensum, quòd jus percipiendi fructus detur tanquam justum sustentationis stipendium propter recitationem divini Officii vel functiones spirituales annexas. Nullo modo patitur sensum illum, quòd fructus Beneficii dentur tanquam mercès Officii spiritualis, qui simoniam sonat.

IV. Existimant aliqui, particulam causalem "propter," non significare modum justitiæ, sed tantùm conditionem sinè qua non, vel solummodo indicare conditionem modalem; & ita omittentem Horas eximunt à peccato contra justitiam, licèt teneatur ad restitutionem ob constit. Pii V.

V. An Beneficiatus omittens Horas Can. cum inten-

tione non accipiendi fructus, vel eos restituendi, peccet contra justitiam?

R. Juxta opinionem superiorem peccat contra justitiam, quia, retento Beneficio, eadem obligatio præcepti Ecclesiæ perseverat.

VI. Observat Suarez tit. 2. de Rel. lib. de Hor. Can. cap. 18. N. 8. quòd hæc obligatio Justitiæ non debeat peti ex voluntate vel pacto Fundatoris seu contribuentis temporalia ad Beneficium erigendum, sed ex sola voluntate Ecclesiæ annectentis eam obligationem; cùm soli Ecclesiæ competat erectio & dispositio tituli Beneficiorum; unde conditiones per Fundatores adjectæ solùm obligant, in quantùm ab Ecclesia sive à Superiore erigente fundationem in Titulum Beneficii sunt approbatæ: si autem quispiam se subjicere non velit illi dispositioni Ecclesiæ, potest sua retinere.

VII. An is, qui obligatur Horas Can. recitare solo titulo Ordinis Sacri, peccat contra justitiam, & ad restitutionem aliquam adstringatur, si Horas omittat?

R. Negativè: quia nullus justitiæ titulus concurrit, neque iste ullos fructus percipit.

An ille qui in statu peccati mortalis recitat Horas Can. satisfacit præcepto Ecclesiæ?

VIII. R. Distinguendo: Si ille eas recitet in statu solùm "habitualis, non actualis peccati, satisfacit, modò devotè & attentè eas persolvat, quia ponit actum formalem præceptum, unde non videtur obligatus ad restitutionem fructuum. Bonac. lib. de Offic. Div. disp. 2. q. 4. p. 1. prop. 2. N. 12.

Nec obstat, quòd oratio ejus non sit meritoria vel satisfactoria: nam illi fines vel effectus directè & per se non cadunt sub præcepto: potest interim oratio illa esse impetratoria, saltem quatenùs nomine Ecclesiæ profertur, ut loquitùr S. Thom. 2. 2. q. 83 art. 16. ad 3.

IX. Si verò in peccato mortali actuali sive in affectu peccati mortalis eas recitet, non satisfacit: quia non ponit actum præceptum, nec devotam & veram orationis essentiam. De his latiùs infra Num. 61. Item in fine hujus tomi.

N. 41. DE GRAVITATE PECCATI OMISSIONIS HORARUM CAN.

I. *Omissio parvæ Horæ est peccatum mortale.* II. *Probatur ex comm. sensu.* III. *Object. ex Huygens.* IV. *Partes exiguæ ejusdem diei coalescunt.* V. *Omittere omnes 7 Horas diei est unum peccatum externum.*

I. QUANTUM peccatum est omissio Horarum Can?

R. Communis sententia dicit, quòd omissio unius parvæ Horæ Canonicæ v. g. Tertiæ, sit sufficiens peccati mortalis materia.

II. Hoc probatur magis ex communi sensu & praxi fidelium, quàm ex lege vel ratione aliqua.

III. Huygens quidem, alibi rigidus, hìc laxus, multis ratiocinationibus contendit probare, omissionem parvæ Horæ Can. non constituere materiam gravem; verùm in re tanti momenti non facilè recedendum à sensu communi; ex quo etiam cognoscimus, omissionem brevioris psalmi non esse materiam gravem. Addit Suarez: si quis omitteret ferè dimidiam partem Completorii, non auderem dicere, eum peccare mortaliter.

Qui prætermitteret Vesperas in Sabbato Sancto, si non ex gravitate materiæ, equidem ex contemptu judicaretur peccasse mortaliter.

IV. Quantitates exiguæ in distinctis ejusdem diei Horis omissæ coalescunt, & si simul ascendant ad quantitatem unius parvæ Horæ Can. rursum constituent materiam sufficientem lethalis peccati. Quantitates dierum distinctorum non coalescunt, quia non respiciunt idem singulare præceptum.

An omittere omnes septem unius diei Horas contineat septem peccata, an unum?

V. R. Rectiùs dicitur, esse unum externum peccatum æquivalens septem; ac proinde continere circumstantiam in confessione explicandam. Quia plures Horæ sunt quasi partes integrales Officii præcepti; sicuti furtum septem pataconum est peccatum; interna peccata interea multiplicari possunt.

N. 42. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RECITATIONE HORARUM CAN.

I. *Tres causæ excus. à recit. Horar.* II. *Naturalis inadvertentia, inculpata oblivio. Infirmitas non levis* III. *Periculum vel metus gravis mali.* IV. *Officium charitatis.* V. *Occupatio concionis componendæ non exc.* VI. *Excusatus ab una Hora non excusatur ab aliis.* VII. *Prop. dam.* VIII. *Cæcus, vel carens breviario.* IX. *Qui prævidet febris accessum, præveniat tempus.* X. *Excommunicatus non excusatur.* XI. *Dispensatio Pontificia excusat, & aliquando Episcopalis.*

QUÆ sunt causæ excusantes à lectione Horarum Canonicarum?

I. R. Hæ æstimandæ sunt ex regulis tradi solitis in Tractatu de Legibus, ubi inquiritur, quæ causæ excusent ab observatione Legis humanæ: hìc interim assignari solent tres causæ excusantes à lectione Horarum: 1 "Impotentia" "physica" vel "moralis;" 2. "Necessitas" sive Officium justitiæ vel charitatis; 3. "Dispensatio Papæ."

II. Ad impotentiam reducuntur naturalis inadvertentia, inculpata oblivio; item infirmitas, in qua sinè gravi difficultate vel incommodo Horæ recitari non possent: levis infirmitas, quæ non impedit ordinarias actiones capitis vel linguæ, qualis est moderatus dolor capitis vel stomachi, non excusat.

III. Ipsum periculum vel metus gravis mali, mortis, relapsûs in morbum vel in debilitates, &c. afferre potest rationabilem causam excusationis, cùm leges Ecclesiæ ordinariè non obligent in tanto periculo. In dubio statur judicio medici vel prudentis viri.

IV. Officium charitatis excusat à lectione Horarum, v. g. si in casu non præviso totum reliquum diei tempus impendere oporteat, ut morituro extrema Sacramenta administrentur.

V. Occupatio componendæ concionis, vel similis functio, non excusat à recitatione divini Officii.

VI. Nota, quòd præfatæ causæ quandoque possint excusare à recitatione unius Horæ Can. ut tamen non excusent à recitatione aliarum: quia Officium Horarum non præcipitur tanquam totum indivisibile; nam pars potest habere rationem notabilis orationis. VII. Confirmatur ex

hac prop. 54. dam ab Innoc. XI. "Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem."

VIII. Hinc si quis cæcus, vel carens breviario, calleat memoriter recitare aliquas Horas vel partem notabilem, obligatur easdem recitare; aliud foret, si non posset recitare nisi partes valdè exiguas disjunctas; tunc enim nec finis nec forma substantialis præcepti servari posset; si tamen possit cum socio integrè recitare, ad hoc tenetur.

IX. Qui prævidet gravis febris accessum post meridiem, tenetur tempus prævenire; quia tempore antemeridiano contraxit obligationem recitandi omnes Horas ejusdem diei. Idem dicendum quando prævideretur aliud quodpiam impedimentum obventurum.

X. Excommunicatio, suspensio, degradatio, vel alia pœna spiritualis non excusat à recitatione Horarum Can. privata, sicut nec incarceratio, nec condemnatio ad triremes excusat, si sinè dedecore statûs vel incommodo notabili, recitari possint. Van Roy tom. 2. pag. 269.

XI. Dispensatio vel commutatio, ut excuset, requiritur Pontificia, quia datur in Lege Ecclesiæ: Episcopus quandoque dispensat pro brevi tempore; ait Gobat. Tract. de Offic. n. 729. vel in ordinariis frequentibus casibus, utì in jejunio dispensat. Billuart tom. 4. pag. 122.

N. 43. DE MODO RECITANDI HORAS CANONICAS.

I. *Hor. Can. recitandæ studiosè & devotè.* II. *Quid sit recitare studiosè, qnid devotè.* III. *Externus modus in privata recitatione.* IV. *Oratio in Templo utilior.* V. *Objectio.* VI. *In choro.* VII. *Quæ recitentur significativè & formaliter.*

QUOMODO Horæ Can. recitari debent?

I. R. Studiosè & devotè, juxta cap. 9. "Dolentes" de celebr. Miss. ubi legitur: "præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè."

II. Studiosè recitatur Officium, dum integrè & distinctè absque Syncopa, mutilatione aut interruptione persolvitur.

Devotè recitatur, quando cum intentione & attentione religiosa recitatur. Intentio est actus voluntatis; attentio verò est actus intellectûs.

Igitur ut devotè recitetur, requiritur usus gratiæ actualis & finis colendi Deum; cùm debeat esse actus virtutis Christianæ Religionis, & recitatio merè naturalis non sufficiat præcepto "devotè" recitandi. Status gratiæ habitualis non requiritur. Vide dicta num. 40.

III. Quoad exteriorem modum corporis sitûs, habitûs, loci, &c. nihil in privata recitatione per Canones præscribitur; quò modus tamen in oratione magis servit ad significandam nostram subjectionem, & Dei excellentiam profitendam, eò magis est conveniens; & quando in rubricis breviarii, ait Suarez de Hor. Can. lib. 4. c. 27. n. 2, notatur aliquid dicendum flexis genibus, id in privata recitatione servandum est, si commodè fieri possit.

IV. Utilior etiam est oratio, quæ fit in Templo, plures ob causas; ob consecrationem Templi, ratione cujus gratiæ actuales obtinentur, ob præsidium Angelorum & Sanctorum, ob societatem aliorum orantium, &c. Lege 2. Paral. 7. c. Christus Luc. 19. v. 46. enuntiat: "Domus mea domus orationis est."

V. Obj. Apud Matth. 6. v. 6. Christus dicit: "cum oraveris, intra in cubiculum tuum."

R. Mandat solummodo fugam locorum inanis gloriæ, non Templi, quando in eo oratur cum humilitate: hinc est, quod SS. Ambr. & August. per cubiculum intelligant secretum conscientiæ.

VI. In choro vel in publica oratione observari debent ritus Ecclesiæ; quoad reliquos modos in choro standi, sedendi, habitum gerendi, &c. debent Decreta S. R. C. & statuta particularia locorum. Extrav. com. lib. 3. t. 1. præcipitur "modesta gravitas;" in Conc. Basil. sess. 21. c. 3. legitur: Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliciis mundis ultra medias tibias vel longis cappis, juxta temporum & regionum diversitatem Ecclesias ingrediantur; in choro gravitatem servent; nemo ibidem, dum Horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim Officium &c.

VII. Notat La Croix lib. 4. n. 1345. quòd in recitatione Horarum Can. Psalmi, Hymni & Preces dici debeant significativè, sed sufficiat Historias lectionum, adhortationes, increpationes dicere recitativè & materialiter; verùm id intellige ita, ut perseveret voluntas colendi Deum vel Sanctos per recitationem istam.

N. 44. DE INTENTIONE REQUISITA IN RECITATIONE HORARUM CANONICARUM.

I. *Definitio.* II. *Intentio est absolutè necessaria.* III. *Intentio formalis vel virtual. suf.* IV. *Non suff. habitual. nec interpretativa.* V. *Objectum intent.* VI. *Intentio satisfaciendi legi requiritur.* VII. *Praxis formandi inten.* VIII. *Implicitè & in actu exercito.* XI. *Intentio perdurat quamdiu non revocatur.*

I. INTENTIO illa est voluntas sive propositum recitandi Officium divinum quatenùs tale.

An intentio illa est absolutè necessaria?

II. R. Affirmativè: quia Ecclesia præcipit recitationem Officii tanquam exercitium certorum actuum Religionis, atqui sinè illa intentione recitatio non contineret illud exercitium; ergo intentio illa est necessaria. Proinde qui legit Officium merè materialiter ex intentione solùm, ut studeat, aut discat memoriter, vel ut historias sciat, non satisfacit obligationi præcepti Ecclesiæ, quia deest intentio Deum colendi, laudandi, orandi, &c. Ita docent Suarez, Wiggers & La Croix in Bus. lib. 4. num. 1325. Antoine de Relig. p. 18.

III. Qualis debet esse intentio illa?

R. Debet esse formalis, vel virtualis; explicita, vel implicita: IV. non sufficit habitualis merè vel strictè interpretativa; quia hujusmodi intentio non sufficit ad actum virtuosum. Hæc fundamentaliter explicantur in Tract. "de Actibus Humanis."

Quod est objectum istius intentionis, sive quid debet recitans Horas intendere?

V. R. Debet intendere Deum orare, laudare, aliosque virtutum actus ponere secundùm intentionem Ecclesiæ, in cujus persona Deum orat, laudat, &c.

VI. An requiratur etiam intentio aliqua saltem implicita satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, disputatur in Tractatu de Legibus; rationes pro opinione affirmativa militantes videntur convincentes, quia scilicet sinè intentione illâ recitatio non esset actus legis; nam bonum debet intendi; deinde lex non dirigeret nec influeret ullo modo in actum illum, sed actus se haberet merè per accidens ad legem istam.

VII. Circa prædictas intentiones formandas non oportet scrupulosè anxiari; quia intentio facillimè & promptissimè

sinè labore efformari potest; cùm sit simplex actus voluntatis; VIII. sufficit etiam intentio implicita vel in actu exercito, qualem habet is, qui vult Horas Can. legere, quia Sacerdos est, quia obligatur, ne peccet, &c.; item satisfacit ille qui scienter accipit breviarium, ut Horas suas recitet. Condecet interim omninò, ut concipiatur formalis explicita intentio præmittendo orationem: "Aperi, Domine, os meum," quæ breviario præfigitur.

IX. Intentio concepta in initio orationis, tamdiù in oratione perdurat, quamqiù directè vel indirectè non revocatur, vel per cessationem ab oratione non desinit, seu non derelinquitur.

N. 45. DE ATTENTIONE REQUISITA IN ORATIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13.

I. ***Definitur.*** II. ***Dividitur in actualem & virtualem.*** III. ***In attentionem ad verba, ad sensum verborum & ad Deum.*** IV. ***Nempè actualis vel virtualis.*** V. ***Attentio virtualiter perdurat.*** VI. ***Attentio interna.***

QUID est attentio?

I. R. Est voluntaria animi applicatio ad id, quod agitur.

Quomodo divitur attentio?

II. R. Dividitur primò ex parte subjecti in "attentionem actualem" sive formalem, quæ est præsens animi applicatio, & in attentionem "virtualem," quæ est animi applicatio virtute permanens, vi prioris intentionis, ait S. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 3. quâ voluit attendere; sicuti virtus motionis manûs manet in lapide projecto è manu. Attentio, quæ dicitur habitualis, non est vera, nec sufficiens attentio.

III. 2°. Dividitur attentio ex parte objecti, in attentionem ad verba, ne aliquis in eis erret; in attentionem ad sensum verborum, & in attentionem ad Deum & ad rem pro qua oratur: prima à S. Bonav. vocatur "superficialis," secunda "litteralis," tertia "spiritualis."

Qualis attentio requiritur?

IV. R. Attentio "habitualis" non est sufficiens; attentio actualis optima est; sufficit tamen virtualis, quæ continetur in intentione seu proposito attendendi sive orandi; V. eaque attentio virtualis tamdiu perseverat, quamdiu directè vel indirectè non revocatur per distractionem;

vel interruptionem, cessationem, aliamve causam non desinit. In hanc rem dicit S. Th. 2. 2. q. 83. art. 13. in c. "sufficit vis primæ intentionis; si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetratoria."

VI. Insuper illa attentio esse debet etiam interna, secundùm illud 1. ad Cor. 14. "Orabo spiritu, orabo & mente:" Probat Fagn. lib. 3. cap. "Dolentes" de Celeb. Miss. num. 38.

Obj. Ecclesia non præcipit actus internos.

R. In Tractatu de legibus docetur, quòd licèt Ecclesia non soleat actus merè internos præcipere, attamen cum actu externo simul præcipiat actum internum necessarium; sic præcipiendo orationem, præcipit attentionem internam essentialem in oratione devota.

N. 46. DE ATTENTIONE EX PARTE OBJECTI.

S. Thom. q. 83. art. 13.

Dissensio Author. II. *Requiritur attentio ad verba, & ad Deum.* III. *Attentio ad sensum non requiritur absolutè.* IV. *Probatur attentionem ad Deum necessariam esse.* V. *Item attentionem ad verba.* VI. *Attentio merè externa non sufficit.* VII. *Objectio.* VIII. *Objectio.* IX. *Dantur plures gradus attentionis.*

QUÆNAM attentio ex parte objecti requiritur in recitatione Horarum Canonicarum?

I. R. Multùm hìc dissentiunt Authores inter se, imò aliqui ne quidem sibi ipsis consentiunt.

II. Respondeo igitur cum Sylvio in 2. 2. q. 83. art. 18. concl. 6. ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ requiritur attentio "ad verba & ad Deum:" III. attentio autem ad sensum verborum non est necessaria absolutè, ut patet in monialibus recitantibus Horas Can.; interim illi, qui capaces sunt percipiendi sensum verborum, attentionem illam negligere non possunt; idcirco enim Ecclesia præscribit orationes diversa significantes, ut cum intelligentia fructuosè legantur.

Proba quod requiratur attentio ad Deum.

IV. R. Probatur ex S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 13. in c. dicente, quòd hæc "attentio ad Deum sit maximè necessaria." Ratio suffragatur, quia attentio illa est de substantia orationis, & sine illa recitatio non esset oratio;

nam oratio est mentis in Deum elevatio; hæc autem fieri debet per attentionem mentis ad Deum. Idem probatur ex Christi querela Matth. 15. "Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me." Denique Ecclesia præcipit ut devotè recitetur Officium Divinum.

V. Quòd requiratur etiam aliqua attentio ad verba, docet communis sententia, quia sine illa recitatio non foret oratio vocalis.

VI. Quod aliqui hìc docent, attentionem externam sufficere absque attentione interna, eruditè refutat ipse Busenbau (ut ineptè hìc La Croix lib. 4. n. 1341. recedat à suo Doctore contradicens sibi ipsi): ratio est quòd attentio externa destituta attentione internâ non sit veri nominis attentio, cùm attentio essentialiter sit actus intellectûs, ergo internus. De hac re latisimè discurrit Billuart t. 4. pag. 111. Item Fagn. lib. 3. cap. "Dolentes," n. 33.

VII. Obj. Authores communiter dicunt, quamlibet attentionem ex tribus prædictis sufficere in recitatione Horarum Can.

Respondet Sylvius hoc esse negandum vel benignè interpretandum: igitur quamvis Wiggers, Suarez, Van Roy & Billuart hoc modo loquantur, ut dicant solam attentionem ad verba sufficere; illud tamen ita explicant, ut simul exigant attentionem ad Deum; addunt enim, quòd intentio orandi adesse debeat, adeoque attentio virtualis ad Deum; nam in intentione orandi includitur attentio virtualis ad Deum juxta ipsos. Vide Billuart pag. 110.

VIII. Obj. Attentio ad verba & ad Deum minuet attentionem orationis juxta axioma: "Pluribus intentus minor est ad singula sensus:" ergo illa attentio ad verba & ad Deum non præcipitur.

R. cum S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 12. ad 2. negando antecedens: nam attentio ad verba significantia aliquid ad devotionem pertinens potiùs adjuvat orationem & mentis elevationem in Deum: axioma verò intelligitur de attentione ad plura, quæ non conducunt ad eundem orationis finem.

IX. Observa, quòd plures possint dari gradus attentionis, & quòd non semper requiratur summus gradus: nam cum minori attentionis gradu subsistere potest vera oratio, adeoque satisfieri potest præcepto quoad substantiam, ut saltem non graviter peccetur contra illud.

N. 47. DE DISTRACTIONE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13.

I. *Impedimenta attentionis.* II. *Definitio distract.* III. *Divisio.* IV. *Quæ sit involuntaria distractio.* V. *Involunt. distractio non tollit rationem veræ orat.* VI. *Somnus & ebrietas tollunt.* VII. *Distractio voluntaria tollit essentiam orationis.* VIII. *Benedictio vel Sacramenti administratio cum distractione voluntaria probabiliter invalida est.*

I. IMPEDIMENTA attentionis præcipua sunt "Distractio mentis, & sensuum ad alia divagatio."

Quid est distractio?

II. R. Est evagatio mentis ab objecto vel fine orationis.

III. Dividitur distractio in voluntariam & involuntariam; item in voluntariam directè & voluntariam indirectè.

Quæ distractio dicitur involuntaria?

IV. R. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3. ea, quæ fit præter propositum orationis sive præter intentionem orandi in principio orationis formatam virtualiter perdurantem.

V. Distractio hæc involuntaria non impedit adimpletionem præcepti Ecclesiæ, quia non tollit intentionem nec attentionem virtualem, sed actualem solummodo; pro quo adducitur illud Dav. Ps. 39. v. 13. "Cor meum dereliquit me."

VI. Qui verò per somnum, etiam involuntarium, ab oratione divertit, non satisfacit præcepto, quia ne quidem rationali modo agit: idem dicendum de eo, qui per ebrietatem privatur rationis usu.

VII. Distractio plenè voluntaria quâ quis in recitatione Horarum Can. distrahitur ab attentione ad verba vel ad Deum efficit, ut præceptum non adimpleatur, in quantùm tollit attentionem non tantùm actualem, sed etiam virtualem; quando enim distractio est plenè voluntaria, tunc intentio attendendi non continuatur, sed derelinquitur, vel interpretativè revocatur; adeòque talis distractio tollit rationem & essentiam veræ orationis.

Quamobrem cautè legendi sunt Casuistæ citati refutati à Fagnano in lib. 3. cap. "Dolentes" de Cel. Miss. n. 20. qui docent, quòd recitans Officium Divinum cum volunta-

ria distractione interna non peccet, sed præcepto Ecclesiæ satisfaciat. La Croix lib. 4. n. 1342. quamvis dicat eam opinionem probabilem, addit tamen in praxi sequendam oppositam.

VIII. An oratio, quæ dicitur nomine Ecclesiæ in benedictionibus vèl in adminstrationibus Sacramentorum facta cum distractione plenè voluntaria, valeat: ita ut, si v. g. preces benedictionis aquæ cum tali distractione prolatæ sint, aqua illa possit censeri esse benedicta?

R. Affirmat Daelman, quia videtur valere oratio quatenùs profertur nomine Ecclesiæ: rectiùs tamen id negat Boudart Tract. de Spe §. 58 quia certum est, quòd in administrationibus Sacramentorum & precibus Ecclesiæ requiratur intentio Ministri: jam autem per distractionem ita perfectè voluntariam non solùm attentio, sed & intentio illa aboletur, extinguitur & revocatur; ita ut talis prolatio non sit vera precatio vel benedictio, adeoque non ampliùs dicatur nomine Ecclesiæ, cùm intentio prima censeatur esse revocata per illam distractionem plenè voluntariam: La Croix. lib. 6. p. 1. n. 84. docet idem.

N. 48. DE DISTRACTIONE INDIRECTE VOLUNTARIA.

I. *Distract. voluntaria dupliciter.* II. *Indirectè voluntaria multipliciter.* III. *Actiones incompossibiles cum attentione.* IV. *Actiones compossibiles cum attentione.* V. *Monitum S. Bernardi.* VI. *Distractio involuntaria potest fieri voluntaria.* VII. *Qui videt, se fuisse distractum.* VIII. *Qui non recordatur se fuisse attentum, vel omnia recitasse.* IX. *Locus distractionis voluntariæ.* X. *Oculi sunt fenestræ distractionis.* XI. *In dubio distractionis voluntariæ.*

I. DISTRACTIO potest esse voluntaria dupliciter, primò directè, dum scienter quis vult ab attentione cessare vel eam negligere;

II. Secundò indirectè idque accidere potest multis modis: 1°. præbendo vel admittendo causam vel occasionem distractionis; 2°. dum quis distractionem advertens, eam non conatur repellere, aut negligit mentem revocare ad orationem; 3°. III. ponendo actionem incompossibilem cum attentione debita: ejusmodi actiones recensentur à Suarez lib. 4. de Hor. Can. c. 26. n. 21. argumenta mente per-

volvere, pingere, ordinatè scibere: addit La Croix lib. n. 1336. attentè audire alios loquentes, celeriter se vestire, magnâ curâ aliquid agere, auscultare nova relationum, quæ leguntur, spectare comœdias, &c.

IV. Notandum, actiones quasdam esse compossibiles cum attentione debita, præsertim externas nullam aut vix ullam animi advertentiam postulantes, cujusmodi ordinariè sunt, ambulare, incedere, lentè vestes induere vel exuere, lavare manus, &c. Nam tenuis attentio ad hujusmodi res non tollit necessariam attentionem orationis, cùm absolutè non implicet ad plura simul attendere vel cogitare: confirmatur ex eo, quòd Ecclesia præscribat certas orationes dicendas à Sacerdotibus induentibus se vestibus Sacerdotalibus & Sacrificium Missæ peragentibus.

V. Simul tamen notari merentur verba S. Bern. Serm. 47. super Cant. "nihil aliud, dum psallitis, præter id quod psallitis cogitetis... Spiritus enim S. illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris."

VI. Ex dictis intellige, quomodo distractio in initio involuntaria fiat deindè in decursu orationis voluntaria, eam advertenter permittendo, vel non repellendo ex negligentia.

An distractio semper censenda est voluntaria, quando objectum, circa quod distrahimur, clarè advertimus, aut post orationem, nos in ea fuisse distractos, manifestè videmus?

VII. R. Non semper; quia cum advertentia ad objectum distractionis simul potest concurrere inadvertentia naturalis circa ipsam distractionem ab objecto orationis seu à termino à quo: cognitio autem post distractionem non reddit eam voluntariam.

VIII. Similiter docet S. Thom. non esse indicium sufficiens voluntariæ distractionis, etiamsi post recitationem Horarum non recordemur, nos fuisse attentos, vel nos omnia recitasse, quia non requiritur memoria nec attentio attentionis. In hoc omnes scrupulosi se fatigant laboriosè & perniciosè; nam, ut observat Suarez, potest hìc etiam peccari per excessum; & velle attendere ad attentionem reipsa distractionem parit.

IX. Distractio erit indirectè voluntaria, si eligatur locus distractionibus expositus, v. g. forum publicum, vel similis locus, ubi frequens concursus, clamor aut strepitus profanus. Ita La Croix.

X. Oculi sunt ordinariæ fenestræ distractionis; & custodia oculorum custos est attentionis; unde si quis in ora-

tione sedula oculos habuerit demissos, judicabitur communiter vitasse distractiones voluntarias; secùs verò, si oculis divagatus fuerit, quantumvis per Templum solùm, aut chorum.

XI. In dubio, utrùm distractio ex causa interna proveniens fuerit satis voluntaria, oportet uti regulis tradi solitis in Tract. de Sacram. Pœnit. videlicet: si quis sit timoratæ conscientiæ; si nunquam soleat admittere distractiones directè voluntarias earumve causas; si statim, ut eas advertit, senserit displicentiam, & conatum ad revocandum ad orationem animum adhibuerit &c., supponitur distractio non fuisse voluntaria: secùs verò, si oppositum reperiatur.

N. 49. DE PECCATO DISTRACTIONIS.

I. *Distractio voluntaria circa materiam gravem præceptam, grave peccatum est.* II. *Recitans distractè cum proposito repetendi.* III. *Distractio in oratione non præcepta.* IV. *Quæ practicè examinanda circa distractionem.* V. *Distractio circa materiam gravem potest esse veniale peccatum ob indeliberationem.*

QUANTUM peccatum causat distractio in oratione?

I. R. Si distractio sit involuntaria, non inducit peccatum ullum.

II. Si distractio ab intentione debita sit satis perfectè voluntaria, causat in materia gravi præcepta peccatum mortale, & in materia levi peccatum leve: igitur Sacerdos vel beneficiatus cum hujusmodi voluntaria distractione recitans integram Horam Canonicam vel partem notabilem & gravem, peccat mortaliter.

II. Quid judicandum de illo Sacerdote Beneficiato, qui Horas Canonicas recitavit cum distractione planè voluntaria, sed easdem postea repetit & debitè recitat?

R. Si ille recitans proponat vel soleat repetere Horas distractè recitatas, excusabitur à peccato mortali in hujusmodi casu. Si non soleat eam curam habere, peccavit mortaliter, quamvis per accidens postea repetendo eas debitè legat: interim debitum restitutionis evadere poterit.

III. Qui voluntariè distrahitur in oratione nullatenus præcepta, peccat communiter venialiter tantum, contra præceptum Religionis negativum prohibens omnem irreverentiam in oratione: contemptus, vel aliæ circumstantiæ possunt malitiam addere mortalem.

IV. Unde pro praxi observa, ut pœnitentem, qui se accusat de distractione in oratione, interroges: utrùm distractio fuerit voluntaria? utrùm in materia gravi præcepta? quam causam ei dederit? quamdiu inhæserit, &c.? vide Shema IX.

V. An distractio circa materiam gravem præceptam possit esse tam imperfectè voluntaria, ut orans excusetur à mortali ob indeliberationem merè seu surreptionem, sive propter quamdam inadvertentiam, quamvis fortè non eximatur ob omni veniali?

R. Affirmativè: quia distractio potest esse ex negligentia levi & surreptione; proindè culpa levis erit.

N. 50. DE ALIIS DEFECTIBUS IN RECITATIONE HORARUM CANONICARUM OCCURRENTIBUS.

I. *De Syncopa.* II. *Qui solâ mente vel oculis percurrit, non satisfacit.* III. *Quomodo recitans debeat seipsum audire.* IV. *Nimia celeritas & festinatio.* V. *Anxia tarditas est perniciosa.* VI. *Remedia pro scrupulosis.* VII. *Quid faciat Oratio* Sacrosanctæ.

I. INTER defectus, qui in recitatione Officii Divini committuntur, numeratur "Syncopa," sive mutilatio syllabarum vel verborum; potest autem continuata præbere materiam peccati mortalis, quod indicatur in cap. "Dolentes" de celebrat Miss. ubi sub gravi pœna suspensionis inhibetur: & in Conc. Aquisgr. præscribitur, ne recitatio fiat deglutiendo vel syncopando dictionem.

Observant interim Bonac. n. 23. & Billuart p. 102. circa defectus exiguos, quòd v. g. littera, syllaba, vel verbum omissum aut vitiosè pronuntiatum, aut non auditum, maximè in choro, non sint repetenda, ne major turbatio Officii fiat, quia levis materia ex levi causa prætermitti potest, & quia moraliter totum Officium impletur: ita ut illi leves defectus, nisi sint enormiter continuati, non censeantur coalescere: quia etiam illa physica in omnibus omninò integritas pronuntiationis aut attentionis parit fatigationes & scrupulos, adeòque non censetur rigidè præcepta, sed solùm moralis requiritur.

II. Qui solâ mente vel oculis percurrunt breviarium sinè pronuntiatione vocali, non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, quia oratio non est vocalis.

An recitans Officium debet seipsum audire, prout multi Scholastici crudè enuntiant?

III. R. Tormentum solet esse scrupulosorum; dici potest cum Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 24. quòd non sit necesse, ut vocem suam externis auribus percipiat, utì v. g. accidit dum organa sonora pulsantur; sed quòd sufficiat, si voces per allisionem aeris ad dentes & labia ita formentur in ore, ut recitans verba omnia in ore sensibiliter pronuntiet, & percipiat per auditum quasi interiorem, quod sufficit ad orationem vocalem, quamvis vox exterior non audiatur, quia non præcipitur auditio: nec video ullos practicè, nisi fortè scrupulosos, in hoc torqueri & angi: sic enim surdi & ii, qui occluderent sibi aures, satisfacere possunt.

IV. Duo specialiter defectus communiores seu vitia in recitatione Horarum Canonicarum vitanda sunt, nimia celeritas & anxia tarditas. Nimia celeritas, sive festinatio impedit unctionem devotionis & fructum Spiritûs; de illa exstat hoc monitum Conc. Bas. "Officium dicatur non cursim ac festinanter:" etiam non satis reverenter, distinctè & devotè, ut præcipit Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. de Reform. tractatur Officium & alloquium Divinum. Hoc vitium ut caveatur, horæ quadrans vel media hora superimpendatur in recitatione Officii. Festinatio hæc detestabilior est in tremendo Missæ Sacrificio, dum in altari quasi pro imperio certatur, quis alium celeritate præcurrat: indicia hæc sunt modicæ fidei.

V. Nimia tarditas, anxietatis filia, quod scrupulosorum vitium est, noxia est, impediens gaudium orationis fructum, fatigans cerebrum, & reddens hominem ineptum ad debita Officii suì munia: hoc malum evadet scrupulosus his mediis: non hæreat in formanda intentione; sed instanter incipiat, pergat continuato tractu sine compressione vocis, oris aut pectoris, absque motibus impatientiæ vel tristitiæ: ne sit sollicitus, ut habeat attentionem actualem aut plures attentiones simul; non laboret, ut distractiones positivè repellat, sed potius eas quasi negligat et contemnat; nihil unquam repetat, quamvis judicaret, se non satisfecisse præcepto Ecclesiæ propter voluntariam, ut putat, distractionem vel defectum intentionis; conscientiam infestantem sedet & tranquillet ex hac Theologorum doctrina, ùtique tuta, quòd præceptum Ecclesiæ talem scrupulosum non obliget ad repetendum Horas, etiam supposito, quòd antè non satisfecisset præcepto, ita ut eo die cesset præ ceptum respectu ipsius; ratio hujus est, quòd præceptum Ecclesiæ recitandi Horas Can. non obliget cum tantis in-

commodis præfatis & cum periculo insaniæ, quod inde quandoque consequitur. Addi potest, quòd scrupuloso possibilis non sit omnimoda attentio propter defatigationem cerebri & prædominantem phantasiam non ampliùs obedientem rationis imperio. Denique super omnia in his omnibus debet firmiter & finaliter confidere in Deo.

Quid præstat hæc oratio, "Sacrosanctæ" &c. cum "Pater & Ave," quando dicitur post recitationem Officii.

VII. R. Leo X. dicenti eam indulsit defectus & culpas per modum Indulgentiæ, in recitatione Officii contractas, nempe veniales: addit Billuart tom. 4. pag. 125.: ita ut ab onere repetendi sic recitata eximat.

An ergo defectus illi v. g. commissi in recitatione Matutini, si post Matutinum quis dicat "Sacrosanctæ," &c. non coalescerent cum defectibus, quos postea eodem die quis committit in recitatione Primæ, Tertiæ, &c.?

R. Juxta explicationem præfatam dicendum, quòd non coalescerent: quia sic recitans liberatus fuit ab omni onere præcedenti, ac si omnia rectè recitasset.

N. 51. DE INTERRUPTIONE

I. *Interruptio moralis extra chorum solùm est veniale peccatum.* II. *Interruptio Nocturna.* III. *Licitè separantur Laudes à Matutino.*

I. INTERRUPTIO moralis inter partes ejusdem Horæ Canonicæ constituit materiam peccati venialis, quia turbatur unitas ejusdem Horæ: non videtur tamen extra chorum ascendere ad materiam peccati mortalis, quia satisfit præcepto Ecclesiæ quoad substantiam: nam illæ partes interruptæ eatenùs adhuc uniuntur ratione temporis obligationis adhuc currentis. Dicitur, quòd interruptio moralis sine causa habeat culpam: si enim sit exigua, vel ex necessitate, vel justa causa, carebit omni culpâ. Plura de his Bonac. tom. 1. de Horis Can. disp. 1. q. 3. p. 2. n. 26.

Daelman judicat esse probabile, quòd interruptio moralis v. g. per unius vel duarum Horarum spatium, tollat unitatem substantialem Horæ Canonicæ, si præmissa non repetantur: id interim admitti potest, quòd notabiles frequentes interruptiones in eodem psalmo, hymno vel oratione auferant requisitam unius Officii unitatem, quia sic nec sensus nec verba cohærent: sicut etiam accidit, dum plures parvæ partes unius Officii leguntur sinè ordine inter se.

Interruptio inter distinctas Horas omninò licet & decet.

II. Antiquitùs dicebantur Nocturna divisim secundùm tres vigilias noctis; nunc verò dicuntur simul, ait S. Thom. lect. 6. in 1. Cor. 14.

III. Communis sententia docet, licitum esse Laudes separare à Mututino, cui tunc adjungitur collecta cum Oratione Dominica; addit La Croix n. 1305, laudabile esse; ut, dum Matutinum recitatur vespere præcedente, Laudes differantur in tempus matutinum.

N. 52. AN SIT OBLIGATIO RECITANDI MATUTINUM ET LAUDES ANTE CELEBRATIONEM MISSÆ?

I. *Est obligatio sub veniali.* II. *Objectio.* III. *Justa causa excusat.* IV. *Monitum Author.*

I. RESPONDEO: eximius Steyaert cum Billuart & cum sententia communi admittit obligationem sub veniali, eamque indicant & supponunt Rubricæ Missalis Romani, ubi etiam inter defectus in Ministro ponitur: "Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit." Interim congruitatem, ut loqui solet S. Thom. in simili, omnes astruunt, adeoque agens contra eam à veniali excusandus non est.

II. Obj. S. Antoninus & plures Canonistæ docent esse obligationem sub mortali.

R. Steyaert, obligationem illo tempore fuisse gravem; sed inde non probatur, obligationem esse gravem pro hoc tempore; nam illi pro fundamento suæ assertionis & obligationis assignant consuetudinem; verùm hodierna consuetudo talem obligationem nullatenus inducere videtur juxta judicium commune piorum. Ratio suffragatur, quia finis legis modernæ, etiam levis est, nempè ut recitatio Matutini sit quædam præparatio ad Missam: nulla autem est inter Matutinum & Missam necessaria connexio, cùm per alias preces fieri possit præparatio ad Missam.

III. Consentiunt quoque omnes, rationabilem aliquam causam excusare ab omni peccato; sicuti ex justa causa licet invertere ordinem aliarum Horarum Canonicarum.

IV. Dico interim, me scire Sacerdotem jam per annos 42 quotidie horâ sextâ solitum sacris altaribus adstare, qui declarat, se nunquam ante lectum Matutinum Officium Missam celebrasse; imò fatetur, se, quamvis gravissimis

curis & onere pastorali per plures annos distentum, nunquam habuisse necessitatem libandi hæc Sacrosancta Mysteria ante Matutinale Officium persolutum. Idem eveniet omnibus qui semel sollicitudinem assumpserint recitandi Matutinum Vespere anteriori, vel summo manè.

N. 53. DE INVERSIONE ORDINIS HORARUM CAN.

I. *Inversio Horar. extrà chorum est peccatum veniale.* II. *Causæ excusantes.* III. *Inversio partium ejusdem Horæ.* IV. *Officium pro Officio recitare non licet.* V. *Prop. damn.* VI. *De qualitate Officii Hor. Can.*

I. INVERSIO ordinis, ita ut v. g. Nona dicatur ante Tertiam Horarum Canonicarum, in choro erit peccatum grave; in recitatione privata non nisi veniale continet, quia servatur præceptum quoad substantiam: imò, si rationabilis causa concurrat, non peccabitur; utì etiam si fiat ex inadvertentia vel oblivione.

II. Si in choro, dum quis eum ingreditur, cantentur Horæ posteriores, convenit sequi chorum in cantu & postea supplere Horas omissas; solùmque talis deliquit, in quantùm ante ingressum chori neglexit Horas ordine priores præmittere.

III. Inversio partium ejusdem Horæ Can. magis inordinata est; interim si per errorem vel oblivionem pars quædam omissa sit, v. g. psalmus aut lectio, solet ea Officio persoluto statim suppleri & ita quoad substantiam satisfieri præcepto.

IV. Officium pro Officio, ut dicitur, recitare non licet; quia præceptum istâ die obligat ad Officium talis diei. Omnes tamen concedunt, si error acciderit ex inadvertentia, & Officia notabiliter non differant, quòd sufficiat supplere ea, quæ in Officio omisso ponuntur propria.

Si autem errorem animadvertat post lectum v. g. Matutinum, reliquas Horas recitet secundùm Officium diei præceptum, ut non continuet errorem.

Similiter qui per errorem prætermisit Officium alicujus Sancti, non debet illud alio die dicere, ne bis erret, nisi juxta Rubricas in diem illum transferri debuisset: pariformiter qui per errorem hodie legit Officium diei crastinæ, cras idem recitet.

nam oratio est mentis in Deum elevatio; hæc autem fieri debet per attentionem mentis ad Deum. Idem probatur ex Christi querela Matth. 15. "Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me." Denique Ecclesia præcipit ut devotè recitetur Officium Divinum.

V. Quòd requiratur etiam aliqua attentio ad verba, docet communis sententia, quia sine illa recitatio non foret oratio vocalis.

VI. Quod aliqui hìc docent, attentionem externam sufficere absque attentione interna, eruditè refutat ipse Busenbau (ut ineptè hìc La Croix lib. 4. n. 1341. recedat à suo Doctore contradicens sibi ipsi): ratio est quòd attentio externa destituta attentione internâ non sit veri nominis attentio, cùm attentio essentialiter sit actus intellectûs, ergo internus. De hac re latisimè discurrit Billuart t. 4. pag. 111. Item Fagn. lib. 3. cap. "Dolentes," n. 33.

VII. Obj. Authores communiter dicunt, quamlibet attentionem ex tribus prædictis sufficere in recitatione Horarum Can.

Respondet Sylvius hoc esse negandum vel benignè interpretandum: igitur quamvis Wiggers, Suarez, Van Roy & Billuart hoc modo loquantur, ut dicant solam attentionem ad verba sufficere; illud tamen ita explicant, ut simul exigant attentionem ad Deum; addunt enim, quòd intentio orandi adesse debeat, adeoque attentio virtualis ad Deum; nam in intentione orandi includitur attentio virtualis ad Deum juxta ipsos. Vide Billuart pag. 110.

VIII. Obj. Attentio ad verba & ad Deum minuet attentionem orationis juxta axioma: "Pluribus intentus minor est ad singula sensus:" ergo illa attentio ad verba & ad Deum non præcipitur.

R. cum S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 12. ad 2. negando antecedens: nam attentio ad verba significantia aliquid ad devotionem pertinens potiùs adjuvat orationem & mentis elevationem in Deum: axioma verò intelligitur de attentione ad plura, quæ non conducunt ad eundem orationis finem.

IX. Observa, quòd plures possint dari gradus attentionis, & quòd non semper requiratur summus gradus: nam cum minori attentionis gradu subsistere potest vera oratio, adeoque satisfieri potest præcepto quoad substantiam, ut saltem non graviter peccetur contra illud.

N. 47. DE DISTRACTIONE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13.

I. *Impedimenta attentionis.* II. *Definitio distract.* III. *Divisio.* IV. *Quæ sit involuntaria distractio.* V. *Involunt. distractio non tollit rationem veræ orat.* VI. *Somnus & ebrietas tollunt.* VII. *Distractio voluntaria tollit essentiam orationis.* VIII. *Benedictio vel Sacramenti administratio cum distractione voluntaria probabiliter invalida est.*

I. IMPEDIMENTA attentionis præcipua sunt "Distractio mentis, & sensuum ad alia divagatio."

Quid est distractio?

II. R. Est evagatio mentis ab objecto vel fine orationis.

III. Dividitur distractio in voluntariam & involuntariam; item in voluntariam directè & voluntariam indirectè.

Quæ distractio dicitur involuntaria?

IV. R. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3. ea, quæ fit præter propositum orationis sive præter intentionem orandi in principio orationis formatam virtualiter perdurantem.

V. Distractio hæc involuntaria non impedit adimpletionem præcepti Ecclesiæ, quia non tollit intentionem nec attentionem virtualem, sed actualem solummodo; pro quo adducitur illud Dav. Ps. 39. v. 13. "Cor meum dereliquit me."

VI. Qui verò per somnum, etiam involuntarium, ab oratione divertit, non satisfacit præcepto, quia ne quidem rationali modo agit: idem dicendum de eo, qui per ebrietatem privatur rationis usu.

VII. Distractio plenè voluntaria quâ quis in recitatione Horarum Can. distrahitur ab attentione ad verba vel ad Deum efficit, ut præceptum non adimpleatur, in quantùm tollit attentionem non tantùm actualem, sed etiam virtualem; quando enim distractio est plenè voluntaria, tunc intentio attendendi non continuatur, sed derelinquitur, vel interpretativè revocatur; adeòque talis distractio tollit rationem & essentiam veræ orationis.

Quamobrem cautè legendi sunt Casuistæ citati refutati à Fagnano in lib. 3. cap. "Dolentes" de Cel. Miss. n. 20. qui docent, quòd recitans Officium Divinum cum volunta-

ria distractione interna non peccet, sed præcepto Ecclesiæ satisfaciat. La Croix lib. 4. n. 1342. quamvis dicat eam opinionem probabilem, addit tamen in praxi sequendam oppositam.

VIII. An oratio, quæ dicitur nomine Ecclesiæ in benedictionibus vel in administrationibus Sacramentorum facta cum distractione plenè voluntaria, valeat: ita ut, si v. g. preces benedictionis aquæ cum tali distractione prolatæ sint, aqua illa possit censeri esse benedicta?

R. Affirmat Daelman, quia videtur valere oratio quatenùs profertur nomine Ecclesiæ: rectiùs tamen id negat Boudart Tract. de Spe §. 58 quia certum est, quòd in administrationibus Sacramentorum & precibus Ecclesiæ requiratur intentio Ministri: jam autem per distractionem ita perfectè voluntariam non solùm attentio, sed & intentio illa aboletur, extinguitur & revocatur; ita ut talis prolatio non sit vera precatio vel benedictio, adeoque non ampliùs dicatur nomine Ecclesiæ, cùm intentio prima censeatur esse revocata per illam distractionem plenè voluntariam: La Croix. lib. 6. p. 1. n. 84. docet idem.

N. 48. DE DISTRACTIONE INDIRECTE VOLUNTARIA.

I. *Distract. voluntaria dupliciter.* II. *Indirectè voluntaria multipliciter.* III. *Actiones incompossibiles cum attentione.* IV. *Actiones compossibiles cum attentione.* V. *Monitum S. Bernardi.* VI. *Distractio involuntaria potest fieri voluntaria.* VII. *Qui videt, se fuisse distractum.* VIII. *Qui non recordatur se fuisse attentum, vel omnia recitasse.* IX. *Locus distractionis voluntariæ.* X. *Oculi sunt fenestræ distractionis.* XI. *In dubio distractionis voluntariæ.*

I. DISTRACTIO potest esse voluntaria dupliciter, primò directè, dum scienter quis vult ab attentione cessare vel eam negligere;

II. Secundò indirectè idque accidere potest multis modis: 1°. præbendo vel admittendo causam vel occasionem distractionis; 2°. dum quis distractionem advertens, eam non conatur repellere, aut negligit mentem revocare ad orationem; 3°. III. ponendo actionem incompossibilem cum attentione debita: ejusmodi actiones recensentur à Suarez lib. 4. de Hor. Can. c. 26. n. 21. argumenta mente per-

volvere, pingere, ordinatè scibere: addit La Croix lib. n. 1336. attentè audire alios loquentes, celeriter se vestire, magnâ curâ aliquid agere, auscultare nova relationum, quæ leguntur, spectare comœdias, &c.

IV. Notandum, actiones quasdam esse compossibiles cum attentione debita, præsertim externas nullam aut vix ullam animi advertentiam postulantes, cujusmodi ordinariè sunt, ambulare, incedere, lentè vestes induere vel exuere, lavare manus, &c. Nam tenuis attentio ad hujusmodi res non tollit necessariam attentionem orationis, cùm absolutè non implicet ad plura simul attendere vel cogitare: confirmatur ex eo, quòd Ecclesia præscribat certas orationes dicendas à Sacerdotibus induentibus se vestibus Sacerdotalibus & Sacrificium Missæ peragentibus.

V. Simul tamen notari merentur verba S. Bern. Serm. 47. super Cant. "nihil aliud, dum psallitis, præter id quod psallitis cogitetis... Spiritus enim S. illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris."

VI. Ex dictis intellige, quomodo distractio in initio involuntaria fiat deindè in decursu orationis voluntaria, eam advertenter permittendo, vel non repellendo ex negligentia.

An distractio semper censenda est voluntaria, quando objectum, circa quod distrahimur, clarè advertimus, aut post orationem, nos in ea fuisse distractos, manifestè videmus?

VII. R. Non semper; quia cum advertentia ad objectum distractionis simul potest concurrere inadvertentia naturalis circa ipsam distractionem ab objecto orationis seu à termino à quo: cognitio autem post distractionem non reddit eam voluntariam.

VIII. Similiter docet S. Thom. non esse indicium sufficiens voluntariæ distractionis, etiamsi post recitationem Horarum non recordemur, nos fuisse attentos, vel nos omnia recitasse, quia non requiritur memoria nec attentio attentionis. In hoc omnes scrupulosi se fatigant laboriosè & perniciosè; nam, ut observat Suarez, potest hìc etiam peccari per excessum; & velle attendere ad attentionem reipsa distractionem parit.

IX. Distractio erit indirectè voluntaria, si eligatur locus distractionibus expositus, v. g. forum publicum, vel similis locus, ubi frequens concursus, clamor aut strepitus profanus. Ita La Croix.

X. Oculi sunt ordinariæ fenestræ distractionis; & custodia oculorum custos est attentionis; unde si quis in ora-

tione sedula oculos habuerit demissos, judicabitur communiter vitasse distractiones voluntarias; secùs verò, si oculis divagatus fuerit, quantumvis per Templum solùm, aut chorum.

XI. In dubio, utrùm distractio ex causa interna proveniens fuerit satis voluntaria, oportet uti regulis tradi solitis in Tract. de Sacram. Pœnit. videlicet: si quis sit timoratæ conscientiæ; si nunquam soleat admittere distractiones directè voluntarias earumve causas; si statim, ut eas advertit, senserit displicentiam, & conatum ad revocandum ad orationem animum adhibuerit &c., supponitur distractio non fuisse voluntaria: secùs verò, si oppositum reperiatur.

N. 49. DE PECCATO DISTRACTIONIS.

I. *Distractio voluntaria circa materiam gravem præceptam, grave peccatum est.* II. *Recitans distractè cum proposito repetendi.* III. *Distractio in oratione non præcepta.* IV. *Quæ practicè examinanda circa distractionem.* V. *Distractio circa materiam gravem potest esse veniale peccatum ob indeliberationem.*

QUANTUM peccatum causat distractio in oratione?

I. R. Si distractio sit involuntaria, non inducit peccatum ullum.

II. Si distractio ab intentione debita sit satis perfectè voluntaria, causat in materia gravi præcepta peccatum mortale, & in materia levi peccatum leve: igitur Sacerdos vel beneficiatus cum hujusmodi voluntaria distractione recitans integram Horam Canonicam vel partem notabilem & gravem, peccat mortaliter.

II. Quid judicandum de illo Sacerdote Beneficiato, qui Horas Canonicas recitavit cum distractione planè voluntaria, sed easdem postea repetit & debitè recitat?

R. Si ille recitans proponat vel soleat repetere Horas distractè recitatas, excusabitur à peccato mortali in hujusmodi casu. Si non soleat eam curam habere, peccavit mortaliter, quamvis per accidens postea repetendo eas debitè legat: interim debitum restitutionis evadere poterit.

III. Qui voluntariè distrahitur in oratione nullatenus præcepta, peccat communiter venialiter tantum, contra præceptum Religionis negativum prohibens omnem irreverentiam in oratione: contemptus, vel aliæ circumstantiæ possunt malitiam addere mortalem.

IV. Unde pro praxi observa, ut pœnitentem, qui se accusat de distractione in oratione, interroges: utrùm distractio fuerit voluntaria? utrùm in materia gravi præcepta? quam causam ei dederit? quamdiu inhæserit, &c.? vide Shema IX.

V. An distractio circa materiam gravem præceptam possit esse tam imperfectè voluntaria, ut orans excusetur à mortali ob indeliberationem merè seu surreptionem, sive propter quamdam inadvertentiam, quamvis fortè non eximatur ob omni veniali?

R. Affirmativè: quia distractio potest esse ex negligentia levi & surreptione; proindè culpa levis erit.

N. 50. DE ALIIS DEFECTIBUS IN RECITATIONE HORARUM CANONICARUM OCCURRENTIBUS.

I. *De Syncopa.* II. *Qui solâ mente vel oculis percurrit, non satisfacit.* III. *Quomodo recitans debeat seipsum audire.* IV. *Nimia celeritas & festinatio.* V. *Anxia tarditas est perniciosa.* VI. *Remedia pro scrupulosis.* VII. *Quid faciat Oratio* Sacrosanctæ.

I. INTER defectus, qui in recitatione Officii Divini committuntur, numeratur "Syncopa," sive mutilatio syllabarum vel verborum; potest autem continuata præbere materiam peccati mortalis, quod indicatur in cap. "Dolentes" de celebrat Miss. ubi sub gravi pœna suspensionis inhibetur: & in Conc. Aquisgr. præscribitur, ne recitatio fiat deglutiendo vel syncopando dictionem.

Observant interim Bonac. n. 23. & Billuart p. 102. circa defectus exiguos, quòd v. g. littera, syllaba, vel verbum omissum aut vitiosè pronuntiatum, aut non auditum, maximè in choro, non sint repetenda, ne major turbatio Officii fiat, quia levis materia ex levi causa prætermitti potest, & quia moraliter totum Officium impletur: ita ut illi leves defectus, nisi sint enormiter continuati, non censeantur coalescere: quia etiam illa physica in omnibus omninò integritas pronuntiationis aut attentionis parit fatigationes & scrupulos, adeòque non censetur rigidè præcepta, sed solùm moralis requiritur.

II. Qui solâ mente vel oculis percurrunt breviarium sinè pronuntiatione vocali, non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, quia oratio non est vocalis.

An recitans Officium debet seipsum audire, prout multi Scholastici crudè enuntiant?

III. R. Tormentum solet esse scrupulosorum; dici potest cum Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 24. quòd non sit necesse, ut vocem suam externis auribus percipiat, utì v. g. accidit dum organa sonora pulsantur; sed quòd sufficiat, si voces per allisionem aeris ad dentes & labia ita formentur in ore, ut recitans verba omnia in ore sensibiliter pronuntiet, & percipiat per auditum quasi interiorem, quod sufficit ad orationem vocalem, quamvis vox exterior non audiatur, quia non præcipitur auditio: nec video ullos practicè, nisi fortè scrupulosos, in hoc torqueri & angi: sic enim surdi & ii, qui occluderent sibi aures, satisfacere possunt.

IV. Duo specialiter defectus communiores seu vitia in recitatione Horarum Canonicarum vitanda sunt, nimia celeritas & anxia tarditas. Nimia celeritas, sive festinatio impedit unctionem devotionis & fructum Spiritûs; de illa exstat hoc monitum Conc. Bas. "Officium dicatur non cursim ac festinanter:" etiam non satis reverenter, distinctè & devotè, ut præcipit Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. de Reform. tractatur Officium & alloquium Divinum. Hoc vitium ut caveatur, horæ quadrans vel media hora superimpendatur in recitatione Officii. Festinatio hæc detestabilior est in tremendo Missæ Sacrificio, dum in altari quasi pro imperio certatur, quis alium celeritate præcurrat: indicia hæc sunt modicæ fidei.

V. Nimia tarditas, anxietatis filia, quod scrupulosorum vitium est, noxia est, impediens gaudium orationis fructum, fatigans cerebrum, & reddens hominem ineptum ad debita Officii suì munia: hoc malum evadet scrupulosus his mediis: non hæreat in formanda intentione; sed instanter incipiat, pergat continuato tractu sine compressione vocis, oris aut pectoris, absque motibus impatientiæ vel tristitiæ: ne sit sollicitus, ut habeat attentionem actualem aut plures attentiones simul; non laboret, ut distractiones positivè repellat, sed potius eas quasi negligat et contemnat; nihil unquam repetat, quamvis judicaret, se non satisfecisse præcepto Ecclesiæ propter voluntariam, ut putat, distractionem vel defectum intentionis; conscientiam infestantem sedet & tranquillet ex hac Theologorum doctrina, ùtique tuta, quòd præceptum Ecclesiæ talem scrupulosum non obliget ad repetendum Horas, etiam supposito, quòd antè non satisfecisset præcepto, ita ut eo die cesset præ ceptum respectu ipsius; ratio hujus est, quòd præceptum Ecclesiæ recitandi Horas Can. non obliget cum tantis in-

commodis præfatis & cum periculo insaniæ, quod inde quandoque consequitur. Addi potest, quòd scrupuloso possibilis non sit omnimoda attentio propter defatigationem cerebri & prædominantem phantasiam non ampliùs obedientem rationis imperio. Denique super omnia in his omnibus debet firmiter & finaliter confidere in Deo.

Quid præstat hæc oratio, "Sacrosanctæ" &c. cum "Pater & Ave," quando dicitur post recitationem Officii.

VII. R. Leo X. dicenti eam indulsit defectus & culpas per modum Indulgentiæ, in recitatione Officii contractas, nempe veniales: addit Billuart tom. 4. pag. 125.: ita ut ab onere repetendi sic recitata eximat.

An ergo defectus illi v. g. commissi in recitatione Matutini, si post Matutinum quis dicat "Sacrosanctæ," &c. non coalescerent cum defectibus, quos postea eodem die quis committit in recitatione Primæ, Tertiæ, &c.?

R. Juxta explicationem præfatam dicendum, quòd non coalescerent: quia sic recitans liberatus fuit ab omni onere præcedenti, ac si omnia rectè recitasset.

N. 51. DE INTERRUPTIONE

I. *Interruptio moralis extra chorum solùm est veniale peccatum.* II. *Interruptio Nocturna.* III. *Licitè separantur Laudes à Matutino.*

I. INTERRUPTIO moralis inter partes ejusdem Horæ Canonicæ constituit materiam peccati venialis, quia turbatur unitas ejusdem Horæ: non videtur tamen extra chorum ascendere ad materiam peccati mortalis, quia satisfit præcepto Ecclesiæ quoad substantiam: nam illæ partes interruptæ eatenùs adhuc uniuntur ratione temporis obligationis adhuc currentis. Dicitur, quòd interruptio moralis sine causa habeat culpam: si enim sit exigua, vel ex necessitate, vel justa causa, carebit omni culpâ. Plura de his Bonac. tom. 1. de Horis Can. disp. 1. q. 3. p. 2. n. 26.

Daelman judicat esse probabile, quòd interruptio moralis v. g. per unius vel duarum Horarum spatium, tollat unitatem substantialem Horæ Canonicæ, si præmissa non repetantur: id interim admitti potest, quòd notabiles frequentes interruptiones in eodem psalmo, hymno vel oratione auferant requisitam unius Officii unitatem, quia sic nec sensus nec verba cohærent: sicut etiam accidit, dum plures parvæ partes unius Officii leguntur sinè ordine inter se.

Interruptio inter distinctas Horas omninò licet & decet.

II. Antiquitùs dicebantur Nocturna divisim secundùm tres vigilias noctis; nunc verò dicuntur simul, ait S. Thom. lect. 6. in 1. Cor. 14.

III. Communis sententia docet, licitum esse Laudes separare à Mututino, cui tunc adjungitur collecta cum Oratione Dominica; addit La Croix n. 1305, laudabile esse; ut, dum Matutinum recitatur vespere præcedente, Laudes differantur in tempus matutinum.

N. 52. AN SIT OBLIGATIO RECITANDI MATUTINUM ET LAUDES ANTE CELEBRATIONEM MISSÆ?

I. *Est obligatio sub veniali.* II. *Objectio.* III. *Justa causa excusat.* IV. *Monitum Author.*

I. RESPONDEO: eximius Steyaert cum Billuart & cum sententia communi admittit obligationem sub veniali, eamque indicant & supponunt Rubricæ Missalis Romani, ubi etiam inter defectus in Ministro ponitur: "Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit." Interim congruitatem, ut loqui solet S. Thom. in simili, omnes astruunt, adeoque agens contra eam à veniali excusandus non est.

II. Obj. S. Antoninus & plures Canonistæ docent esse obligationem sub mortali.

R. Steyaert, obligationem illo tempore fuisse gravem; sed inde non probatur, obligationem esse gravem pro hoc tempore; nam illi pro fundamento suæ assertionis & obligationis assignant consuetudinem; verùm hodierna consuetudo talem obligationem nullatenus inducere videtur juxta judicium commune piorum. Ratio suffragatur, quia finis legis modernæ, etiam levis est, nempè ut recitatio Matutini sit quædam præparatio ad Missam: nulla autem est inter Matutinum & Missam necessaria connexio, cùm per alias preces fieri possit præparatio ad Missam.

III. Consentiunt quoque omnes, rationabilem aliquam causam excusare ab omni peccato; sicuti ex justa causa licet invertere ordinem aliarum Horarum Canonicarum.

IV. Dico interim, me scire Sacerdotem jam per annos 42 quotidie horâ sextâ solitum sacris altaribus adstare, qui declarat, se nunquam ante lectum Matutinum Officium Missam celebrasse: imò fatetur, se, quamvis gravissimis

curis & onere pastorali per plures annos distentum, nunquam habuisse necessitatem libandi hæc Sacrosancta Mysteria ante Matutinale Officium persolutum. Idem eveniet omnibus qui semel sollicitudinem assumpserint recitandi Matutinum Vespere anteriori, vel summo manè.

N. 53. DE INVERSIONE ORDINIS HORARUM CAN.

I. *Inversio Horar. extrà chorum est peccatum veniale.* II. *Causæ excusantes.* III. *Inversio partium ejusdem Horæ.* IV. *Officium pro Officio recitare non licet.* V. *Prop. damn.* VI. *De qualitate Officii Hor. Can.*

I. INVERSIO ordinis, ita ut v. g. Nona dicatur ante Tertiam Horarum Canonicarum, in choro erit peccatum grave; in recitatione privata non nisi veniale continet, quia servatur præceptum quoad substantiam: imò, si rationabilis causa concurrat, non peccabitur; utì etiam si fiat ex inadvertentia vel oblivione.

II. Si in choro, dum quis eum ingreditur, cantentur Horæ posteriores, convenit sequi chorum in cantu & postea supplere Horas omissas; solùmque talis deliquit, in quantùm ante ingressum chori neglexit Horas ordine priores præmittere.

III. Inversio partium ejusdem Horæ Can. magis inordinata est; interim si per errorem vel oblivionem pars quædam omissa sit, v. g. psalmus aut lectio, solet ea Officio persoluto statim suppleri & ita quoad substantiam satisfieri præcepto.

IV. Officium pro Officio, ut dicitur, recitare non licet; quia præceptum istâ die obligat ad Officium talis diei. Omnes tamen concedunt, si error acciderit ex inadvertentia, & Officia notabiliter non differant, quòd sufficiat supplere ea, quæ in Officio omisso ponuntur propria.

Si autem errorem animadvertat post lectum v. g. Matutinum, reliquas Horas recitet secundùm Officium diei præceptum, ut non continuet errorem.

Similiter qui per errorem prætermisit Officium alicujus Sancti, non debet illud alio die dicere, ne bis erret, nisi juxta Rubricas in diem illum transferri debuisset: pariformiter qui per errorem hodie legit Officium diei crastinæ, cras idem recitet.

V. Circa hanc rem exstat prop. dam. ab Alex. VII. ordine 34. quæ sic habet: "in die palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto."

VI. Porrò quoad qualitatem Officii, unusquisque se conformabit Ecclesiæ illi, cui adscriptus est. Reliqua concernentia usum breviarii & Officiorum, eorum translationem, &c. reperientur in Rubricis breviarii Bullisque Pontificum eidem præfixis. Plura etiam circa hanc rem discussa invenies apud Suarez de Rel. tom. 2. lib. 4. c. 23. & apud La Croix lib. 4. de Hor. Can. art. 4. & apud Gavantum & alios.

N. 54. DE RECITATIONE OFFICII DIVINI CUM SOCIO.

I. *Recitans cum socio debet attentè audire quæ legit socius.* II. *Vertens librum, &c. satisfacit servitio chori, non Officio Divino.* III. *Socius debet habere intentionem orandi sive colendi Deum.* IV. *Probatur Casuistarum defectus.* V. *Quæ secretè dicuntur, à singulis recitari debent.* VI. *Unus non inchoet versum, nisi alter finierit.* VII. *Pulsante Organo, aliquis à choro verba pronuntiet.* VIII. *Qui non percipit pronuntiationem verborum.*

I. QUI cum socio recitat alternatim Psalmos & reliqua, non debet versus, quos socius legit, submissè dicere, nec id convenit: debet tamen attentè audire ea, quæ socius legit; quia unusquisque debet totum Officium explere, attente dicendo vel attentè audiendo; proinde si pronuntiationem socii non percipiat, non satisfacit obligationi Officii Divini, sicuti surdus non satisfaceret; in choro tamen non debet audire singulos ab altero latere canentes; ita docent Suarez, Reginal., Bonacina aliique.

II. Similiter si quispiam in vertendo libro vel alio chori ministerio ita occupatus fuerit, ut non attenderit ad ea, quæ interea in choro cantata sunt, non satisfecit recitationi Officii Divini; distributiones tamen percipere potest, quia satisfecit Officio sive servitio chori.

III. Quamvis socius, quocum recitatur Officium, non debeat esse Clericus, neque debeat habere intentionem implendi præceptum Ecclesiæ, debet tamen intendere illud recitare per modum orationis seu actûs Religionis: proinde recitans Horas Can. cum amente, ebrio, vel pri-

vato rationis usu non satisfacit, non plùs quàm si recitaret cum Psittaco: nam recitatio illa socii non potest esse pars Officii Divini, cùm non sit actus Religionis: adeoque audiens illam recitationem, non audit Officium Divinum, quod tamen necesse est. IV. Casuistæ quidem plurimi huic nostræ conclusioni contradicunt; sed dicti sui nullam (qui ordinarius est defectus Casuistarum) adducunt rationem Theologicam.

V. Quæ in Officio Divino secretè dicuntur v. g. "Pater noster," &c. à singulis recitari debent.

VI. Nota, in recitatione cum socio gravem defectum committi, quando unus inchoat versum recitare antequam alter finierit suum versum, quia recitatio successiva præcipitur, non simultanea: hic defectus solet in choro esse gravior; dum ex eo chorus turbatur, & initia ac fines versuum non satis intelligibiliter ab omnibus audiuntur.

VII. Nota secundò ex Cærem. lib. 1. c. 28. quandocumque chorus alternatim cantat cum organo, v. g. canticum "Magnificat," tunc versus qui ob sonum organi transit, debet in choro ab aliquo altâ voce proferri vel cantari, alioquin officium integrè non persolveretur, cùm organum verba non proferat; vel saltem singuli privatim debent dicere. Billuart t. 4. pag. 105.

VIII. Inquirit Bonac. tract. 1. disp. 1. q. 3. punct. 2. pp. 1. n. 20. utrùm ille satisfaciat, qui in choro suam partem officii debitè canit, sed partem, quam canit aliud chori latus, non percipit seu non intelligit, quamvis attendat, sed tantùm sonum confusum audit, non pronuntiationem verborum: & resolvit, illum posse percipere distributiones, quia servitium verè præstitit in choro quantùm potuit & debuit, nec stetit per eum conditionem audiendi alios adimplere: addit tamen, eundem, si ad recitandum Divinum Officium obligetur, teneri Officium Horarum repetere seu supplere, quia non satisfecit obligationi recitandi Horas Canonicas, cùm medietatem non recitaverit, nec audiverit. Casuistæ quidem Gobat & La Croix existimant, illum etiam satisfecisse illi obligationi; quia attentè audire conatus est, licèt non perceperit; verùm quamvis benigna ratio id concederet pro iis, qui ad officium Horarum Canonicarum obligantur ex solo titulo, ut choro assistant & serviant, v. g. pro monialibus; id tamen non videtur sufficiens pro iis, qui alio titulo, v. g. Ordinis Sacri obligantur totum Officium recitare. Si autem iste defectus oriatur ex eo, quòd in isto choro Officium perfunctoriè peragatur, Director chori reatum omnium contrahit.

N. 55. DE CANTU OFFICII DIVINI.

S. Thom. 2. 2. *q.* 91. *art.* 2.

I. *Mos canendi in V. L.* II. *In Ecclesia N. T. fuit ab initio. Eph.* 5. v. 19. III. *Utilitates cantûs.* IV. *Qualis Musica permittatur.* V. *Instrum. mus. modò usus recepit.*

I. ECCLESIA contra errores Joan. Wiclef, approbavit consuetudinem dicendi Officium Divinum cum cantu; usum autem canendi laudes Dei fuisse in V. L. testantur Sacræ Literæ, præcipuè de temporibus Moysis & Davidis. Ecclesia N. T. ab exordio suo morem canendi assumpsit; & formam cujusdam chori Ecclesiastici indicat Apostolus ad Eph. 5. v. 19. "loquentes vobismet ipsis in Psalmis & Hymnis;" ad Col. 3. v. 16. Imò S. Chrysost. Hom. 83. in Matth. sentit, Christum Dominum post Cœnam Hymnum dixisse canendo. Ritus verò & forma Horarum Canonicarum attribuitur Pelagio primo vel secundo.

III. Utilitatem cantûs explicat S. Isidor.: nimirum cantus ad devotionem excitat, mentem elevat, tristia corda exhilarat, fastidiosos oblectat, affectum provocat, etc. Bill t. 3. pag. 373.

IV. Circa cantum musicum exstat Extrav. com. lib. 3. tit. 1. c. 1. ubi explicatur, qualis inhibeatur & qualis permittatur in Officiis Divinis; nempe permittuntur consonantiæ aliquæ, octavæ, quintæ, &c.

V. Instrumenta musica hodie passim usus recipit, sed non ita tempore S. Thomæ; & in Capella Summi Pontificis Romæ modò nondum recipiuntur.

N. 56. DE OBLIGATIONE CANONICORUM CANTANDI IN CHORO.

Beneficiati tenentur canere in choro. II. *Probatur ex Conc. Trid.* III. *Objectio.* IV. *Non cantans in choro privatur distributionibus.* V. *Item qui in choro submissè recitat Officium.* VI. *Objectio.* VII. *Consuet. semper veniendi serò.* VIII. *Absentantes se ab uno aut pluribus Officiis ordinariè.*

I. AN Canonici similesve Beneficiati obligantur canere per se ipsos in choro?

R. Affirmativè: quia obligantur ad servitium sive

Officium chori: si autem non canant, non præstant servitium in choro; ergo &c.

II. Probatur ex Conc. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. ubi hæc leguntur: "omnes Divina per se, & non per substitutos, compellantur obire Officia, atque in choro, ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei Nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare." Fagnanus lib. 3. de Præb. in cap. "licet cum 89." refert de eo resolutionem Cong. Card. de die 12. Nov. 1592.

Probatur ex conc. Camerac. tit. 6. c. 7. anno 1569. Eandem obligationem declaravit Pontifex Benedictus XIV. in Constit. "cum semper." 19 August. 1744. item de syn. 1. XI. c. 3. n. VIII. item lib. XIII. c. q. n. XI. pag. 5. 507.

Confirmatur ex communi Theologorum & Canonistarum consensu, ita ut responsio habenda sit tanquam practicè certa.

III. Obj. Non requiritur nisi sola præsentia Canonicorum; ergo non est obligatio canendi.

R. Negatur antecedens, cùm verba Conc. Trid. et authoritates præcitatæ evidenter requirant cantum: aliquando tamen ad majorem Officii splendorem quædam persolvuntur per solos musicos, vel per solos peritos cantûs.

IV. Hinc conclude cum Bened. XIV. Suar. Bonac. Fagn. La Croix, &c. quòd præfati Canonici vel Beneficiati non canentes, cessante legitimo impedimento, sive absque justa causa, quantumvis toto Officii tempore fuerint in choro præsentes, recipere non possint distributiones: ratio est, quòd non satisfecerit debito servitio chori: confirmatur ex constitutione Pii V. relatâ num. 36, ubi decernitur, ut omittens Horas Can. amittat distributiones, quamvis præsens in choro fuerit; ergo sola præsentia non sufficit. Idem declarat S. Car. Borr. in Conc. 1. Mediol. pag. 2. cap. 38.

V. Idem dicendum, si recitent in choro submissè Officium tempore, quo illud cantatur ab aliis in eodem choro, quòd scilicet distributiones injustè recipiant.

Quidam medietatem distributionum attribuunt illi, qui in choro submissâ voce recitat versus suos, & audit alios canentes versus alios alternatim: interim ille hoc modo poterit satisfacere obligationi recitandi Horas Can. quia totum Officium legit vel audit attentè: nam alii communicant illi suam partem, licèt ipse non communicet suam partem aliis.

VI. Obj. Aliqui Canonici non callent cantum; ergo illi non tenentur.

R. Possunt equidem Psalmos concinere, & id discere debent.

Obj. Alibi juxta statuta & fundationem vel consuetudinem legitimam sufficit sola præsentia absque concentu pro distributionibus percipiendis; ergo ibidem justè percipiuntur distributiones.

R. Suar., Bonac., Less., &c. concedunt totum; nullam tamen similem fundationem assignant: verùm simul notant, fundationem Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, quæ juxta jus commune erectæ sunt, obligationem inducere canendi in choro; deinde observant, quòd tales in choro præsentes sinè cantu, sint obligati ad attendendum & audiendum more orantium; quia alioquin vana & inutilis esset eorum præsentia, & propriè nemo dicitur esse præsens alicui rei dum ad alia attendit. L. coram Titio ff. de verb. sign. Igitur objecta ratio negatur pro Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.

VII. Qui ex proposito vel consuetudine semper serò veniunt ad finem primi Psalmi, graviter accusantur à Suarez lib. 4. de Hor. Can. c. 13. n. 7.

VIII. Similiter docet Wiggers de Ben. c. 3. dub. 20. n. 90. de nimio rigore nullatenus suspectus, quòd à mortali non videantur excusandi, qui, justâ cessante causâ, absentant se ordinariè ab uno aut pluribus Officiis.

De residentia personali Canonicorum agimus infra numero 230.

N. 57. DE DISTRIBUTIONIBUS QUOTIDIANIS.

I. *Definitio.* II. *Tertia pars fructuum convertatur in distributiones.* III. *Solis præsentibus debentur distributiones.* IV. *Tres causæ excipiuntur in Jure antiquo.* V. *Aliæ causæ ex statutis & consuetudinibus.* VI. *Infirmi participant secundùm solitam frequentationem.* VII. *Præsentes non gaudent distributionibus nisi canant.* VIII. *Cantans cum voluntaria distract. non gaudet distributionibus.* IX. *Non ipsi cantores mercenarii.* X. *Pulsans organa justè percipit stipendium.*

I. "DISTRIBUTIONES quotidianæ" vocantur ea pars proventuum Beneficii, quæ quotidie tribuitur iis, qui Divinis Officiis intersunt, & juxta Beneficii sui conditionem inserviunt. In iis non participat Beneficiatus nisi possessionem Beneficii sui habuerit.

Hæ distributiones aliquando sub nomine fructuum Beneficii veniunt, juxta c. "Licet" de Præb., aliquando non, secundùm subjectam materiam: ut latiùs explicat Barbosa de jure univ. lib. 3. tom. 18. n. 11.

II. Statuit Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. c. 3. de Ref. ut in Ecclesiis, in quibus nullæ vel tenues distributiones sunt, tertia pars fructuum convertatur in distributiones quotidianas authoritate Episcopi.

III. Statuit ulteriùs idem Conc. Trid. sess. 24. c. 12. ut distributiones quotidianæ tribuantur solis præsentibus juxta Constit. Bonifac. VIII. lib. 3. sexti Decret. Tit. 3. ita ut absentes nequidem de consensu Capituli aut aliorum sint illarum capaces, quia Concilium addit loco citato: "Quavis collusione aut remissione exclusâ."

IV. In Jure, sexti Decret. lib. 3. tit. 3. cap. "consuetudinem" excipiuntur hæ causæ, ob quas absentes gaudent distributionibus, videlicet "infirmitas, justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas." Absentes enim ex his causis censentur de jure sive juris fictione præsentes.

Sub his continetur necessitas faciendi opus naturæ, sumendi medicinas, &c. Item impotentia physica vel moralis, saltem quæ est absque propria culpa, v. g. injusta excommunicatio vel incarceratio; non ea, quæ est ex culpa. Vide supra Num. 39.

V. Alibi statuta & consuetudines illas causas dilataverunt, & ita in Ecclesia Metropolitana Mechliniensi gaudent distributionibus juxta Syn. Prov. 1. Tit. de Offic. & cultu Div. cap. 4. & 5. Omnes, qui propria dignitatum vel præbendarum suarum munia obeunt, vel qui in negotiis Ecclesiæ aut Episcopatûs occupati sunt; super quo vide Zypæum ad Jus Pont. Tit. de Cler. non resid. n. 42. & 43. itidem qui capituli vel fabricæ negotia tractant, & qui Missam celebrant; Ecclesia enim censetur pro illis Officium chori commutare in aliud magis utile. Flor de Cocq. de Jure & Just. Tr. 4. cap. 3. Sect. 8. apud me pag. 659. similes causas absentiæ cum jure distributionum ampliat ad octodecim. Consule etiam Barb. de Canon. cap. 24. Fagnan. in cap. "Licet" de Præb.

Utrùm Confessarii voluntarii, qui scilicet ex Officio non sunt obligati, tempore Officii Divini occupati in audiendis confessionibus gaudeant distributionibus?

R. Universaliter non admittitur: S. Carol. Bor. eas ipsis concessit; sed ex indulto Pontificio, ait Bonacina.

VI. Nota, quòd absens ex causa infirmitatis vel alia si-

mili, non semper gaudeat distributionibus omnibus, sed solùm secundùm diligentiam solitam; nam reliquæ absentiæ non censentur ex impedimento infirmitatis provenire, quandoquidem liber à morbo se equidem absentasset.

Quinam priventur distributionibus, explicat Barbosa de Canonicis cap. 22.

VII. Nota secundò juxta deductionem numero præcedenti factam, quòd pro lucrandis distributionibus non sufficiat præsentia corporalis, sed ulteriùs requiratur, ut præsentes canant; nisi scilicet ex causa legitima excusentur.

Excusati a cantu, v. g. ob raucitatem, debent in choro esse præsentes, ut Officio assistant quantùm possunt: hoc enim conducit ad solemnitatem Officii & ad cultum Dei, dum piè audiendo aliis associantur.

VIII. An is, qui cum distractione plenè voluntaria cantat Officium in choro, possit accipere distributiones correspondentes?

IX. Resp. Bonac. negativè: quia ille non persolvit Officium chori, cùm ejusmodi distractio tollat rationem veræ orationis requisitæ. Aliqui tamen concedunt eas musicis vel cantoribus quasi mercenariis non Beneficiatis, eò quòd ipsi videantur accipere stipendium ob cantum merè: peccant interim indignè & negligenter tractando Officium Divinum; unde sicuti indigni sunt omni retributione coram Deo, ita etiam coram homnibus videntur privandi prædictis distributionibus; quia non præstiterunt opus Officii Divini, ad quod conducti erant: X. aliud dic de iis, qui pulsant organa, vel instrumentis musicis utuntur, quia isti semper præstant opus, ad quod conducti sunt, cùm sonus organorum non sit pars Officii Divini sive Horarum Canonicarum, adeoque non exigit attentionem orationis.

Cui cedunt distributiones absentium vel cui restituendæ?

Respondetur infra num. 231.

N. 58. DE TEMPORE RECITANDI HORAS CANONICAS.

I. *Obligatio currit à 12. Noct. ad 12. & tunc expirat.* II. *Licet dicere Matutinum præced. vesperâ.* III. *Prop. damnata.* IV. *Objectio.* V. *In choro tempus statutum debet servari sub gravi.* VI. *Extra chorum sub levi.* VII. *Causa justa excusat.* VIII. *Recitat. Horarum tempore Missæ obligationis.* IX. *Disparitas à penitentia Sacramentali.*

I. TEMPUS recitandi Horas Canonicas currit a media nocte, id est à duodecima nocturna ad 12. nocturnam sequentem; post 12. expirat obligatio præcepti: nam onus illud transit cum die, quia tempus determinatur ad finiendam obligationem, & obligatio præcepti distributa est per dies singulos.

II. Per consuetudinem legitimam introductum est, ut liceat Matutinum & Laudes Officii sequentis diei recitare vespere anteriori, idque ab hora quarta pomeridiana ex communi sententia: imo circumfertur quædam tabella Romana, in qua conceditur, ut Matutinum inchoari possit in ultima quarta parte diei artificialis juxta quam computationem in Belgio licebit in mense Junii incipere Matutinum post horam quartam, quia sol occidit circa octavam; in Martio & Septembri post horam tertiam pomeridianam, cùm sol occidat circa sextam, &c.

III. Hìc cave Prop. 35. inter damnatas ab Alex. VII. "Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino."

IV. Obj. Non videtur hæc licentia rationabilis, quia recitans vesperi Matutinum feriæ secundæ debebit dicere falsum in Hymno: "Somno refectis artubus, spreto cubili surgimus;" ergo, &c.

Resp. Negando. ant. & prob. nam similia verba referuntur ad tempus legitimum repræsentative, & ita non sunt falsa.

V. In choro insuper singulis Horarum Officiis certa assignata sunt tempora, quæ observare oportet sub gravi juxta consuetudinem ejusdem Ecclesiæ; non ita extra chorum in privata recitatione; VI. verumtamen extra chorum reputabitur peccatum veniale, si Officium usque ad Primam inclusivè non dicatur ante meridiem, quia consuetudo & congruitas Officii id exigit: accuratum igitur

tempus recitandi Matutinum est circa noctem; alto manè convenit recitare Laudes & Primam; tempore subsequenti reliquas parvas Horas; Vesperæ post meridiem dicuntur, exceptâ Quadragesimâ: VII. ex justa causa prævenire illud tempus aut differre post illud, nullam habet culpam, prout indicatur cap. 2. de celebr. Missarum.

VIII. An licet diebus festivis recitare Horas Canonicas sub Missa obligationis, ita ut satisfiat utrique obligationi?

Resp. Juxta Daelman de Rel. obs. 3. Sylvium, Van Roy, id esse licitum; quia illi actus simul consistunt & quoad substantiam & quoad præceptum; nam devotè recito Horas, & simul reverenter intersum Missæ, ad præcipuas Missæ partes, putà Consecrationem, cessans à recitatione, & attendens offero cum Sacerdote, sicuti si rosarium vel alias preces liberas recitarem tempore Missæ.

Obj. Non licet satisfactionem Sacramentalem legere tempore Missæ obligationis: ergo, &c.

IX. Resp. Disparitas est, quòd id proveniat ex speciali intentione Confessarii, ut scilicet pœnitens sentiat speciale onus ex pœnitentia pro peccatis; aliàs si Confessarius consentiret, ut tempore Missæ impleatur, etiam liceret.

QUÆSTIO V.

N. 59. DE EFFECTIBUS ET CONDITIONIBUS ORATIONIS.

S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 15.

I. 4. *Effectus Orationis.* II. *Non habentur in omni oratione.* III. *Oratio non habet effectum ex opere operato.*

QUI sunt effectus orationis?

I. Resp. Hi quatuor: mereri, impetrare, satisfacere, & spiritualem animi consolationem percipere.

II. Omnes hi effectus ex omni oratione non percipiuntur; nam imprimis spiritualis delectatio animi sæpe deficit in ariditate spirituali; deinde datur oratio impetratoria, quæ simul non est meritoria nec satisfactoria, qualis est oratio Beatorum in Cœlis; similiter oratio peccatoris pœnitentis potest esse impetratoria, non satisfactoria.

Observa ex S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 6. ad 2. & supp. q. 71. a. 1. quòd impetratio orationis innitatur misericordiæ; meritum autem condigni innitatur justitiæ.

S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 17. assignat quatuor orationis partes: nimirum, obsecrationes, orationes, postulationes & gratiarum actiones.

An oratio producit effectus ex opere operato?

III. R. Negativè; sed ex opere operantis valet; ea tamen oratio, quæ dicitur nomine Ecclesiæ, valet & impetrat independenter à dignitate hominis orantis, in quantùm est oratio Ecclesiæ.

N. 60. DE CONDITIONIBUS ORATIONIS IMPETRATORIÆ.

S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 2.

I. *Oratio aliqua est infallibiliter impetratoria.* II. *Requiruntur quatuor conditiones.* III. *Prima conditio in qua consistat.* IV. *Secunda conditio probatur.* V. *Tertia conditio probatur.* VI. *Quartam condit. probat S. Aug.* VII. *Oratio pro aliis etiam infallibilis.* VIII. *Objectio.* IX. *Objectio.*

I. AN oratio aliqua est infallibiliter impetratoria, ita ut effectus certissimè sequatur?

R. Affirmativè; scilicet ea, quæ est stipata conditionibus requisitis.

Quæ sunt conditiones illæ?

II. Respondet S. Thom. q. 83. a. 15. ad 2. quatuor conditiones ponuntur, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit, "ut 1. piè, 2. perseveranter, 3. necessaria ad salutem, 4. & pro se petat.

III. Sub prima conditione *piè* petendi scilicet, continetur, ut ex fide, spe & charitate petat, cum fiducia & humilitate per merita Christi: hac de causa dicit Christus, Joan. 15. "Si in me manseritis, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis." Cap. 14. "quodcumque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam."

IV. Secunda conditio, nempe ut perseveranter oretur, insinuatur à Christo in parabola Luc. 11. ubi amicus perseveranter petendo accepit panes. Item lib. Judith cap. 4. Hìc observa monitum S. Aug. "quædam non negantur, sed, ut congruo dentur tempore, differuntur."

V. Tertia conditio nimirum, ut necessaria vel certò utilia ad salutem petantur, significatur 1. Joan. 5. "quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos." Matth. 6. "Quærite primùm Regnum Dei."

Si autem ex ignorantia petatur quidpiam, quod novit Deus futurum homini nocivum, "negando Deus miseretur," dicit S. Leo; & S. Aug. "misericorditer non exauditur."

VI. Quartam conditionem, ut videlicet orans pro se petat, confirmat & probat S. Aug. Tract. 102. in Joan. dicens: "exaudiuntur omnes Sancti pro seipsis, non pro quibusvis aliis; quia non utcumque dictum est, Joan. 16, dabit, sed, dabit vòbis."

VII. Pro aliis orantes sæpe exaudiuntur, imò semper, dicit Sylvius, si nullum obstet impedimentum ex parte illorum, pro quibus oratur, & cæteræ conditiones adsint ex parte orantis, idque videtur colligi ex S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 7. ad 2.

VIII. Obj. Christus, Joan. 16, promittit generaliter dicens; "petite & accipietis" & non exigit conditiones illas: ergo, &c.

R. In similibus generalibus sententiis subintelliguntur conditiones alibi in aliis locis expressæ.

IX. Obj. S. Paulus non impetravit liberationem à stimulo carnis, pro qua oravit 2. ad Cor. 12. atqui ejus oratio habebat omnes conditiones requisitas; ergo oratio licèt stipata suis conditionibus, non est infallibiliter impetratoria.

R. Negando min. deerat enim tertia conditio, quia scilicet illa liberatio non erat ipsi necessaria, nec multùm utilis ad salutem, sed per accidens tentatio erat ipsi utilior ad humilitatem, ut ipse fatetur loco citato v. 7. & gratia Dei, quam obtinuit, sufficiebat ei ad victoriam meritoriam.

N. 61. DE PECCATORIBUS ORANTIBUS.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 16.

I. *Peccatores orantes nomine Ecclesiæ impetrant.* II. *Peccator in quantùm peccator non auditur.* III. *Peccator pœnitens exauditur.* IV. *Impœnit. non exauditur.* V. *Recitans Horas in affectu peccati mortalis non satisfacit.* VI. *Ergo nec consuetudinarii, nec versantes in occasione proximâ.* VII. *Objectio.* VIII. *Objectio.* IX. *Objectio.* X. *Objectio.* XI. *Objectio.* XII. *Objectio.* XIII. *Objectio.* XIV. *Objectio.* XV. *Objectio.* XVI. *Explicatur Textus Joan. c. 9.*

AN peccatores orando aliquid à Deo impetrant?

I. R. Peccatores orantes nomine Ecclesiæ possunt impetrare nomine Ecclesiæ; hinc aqua à Sacerdotibus in peccato habituali existentibus benedicta valet ad usus & effectus ordinarios.

II. R. 2°. Cum S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 16. in c. peccator in oratione privata aliquid petens in quantùm peccator, id est secundùm desiderium peccati, in hoc à Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam, dum Deus concedit ea, ex quibus peccator ampliùs ruit in peccata; quo modo S. Aug. dicit: "Deus negat quædam propitius, quæ concedit iratus;" juxta illud Ps. 108. v. 7. "Oratio ejus fiat ei in peccatum;" ita Deus concessit Israëlitis petentibus carnes.

III. R. 3°. Oratio peccatoris pœnitentis exauditur à Deo: primùm autem talis peccator, ut exaudiatur & impetret, postulare debet gratiam conversionis perseveranter, ut decet, quam consequetur juxta promissionem Dei, Zach. 1. v. 3. "Convertimini ad me & ego convertar ad vos:" quo modo exauditi sunt Luc. 18. Publicanus, & cap. 23. Latro.

IV. R. 4°. Peccator impœnitens sive permanens in affectu peccati mortalis, non impetrat, juxta illud Ps. 65. v. 17. "Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus."

An Sacerdos vel Beneficiatus recitans Horas Canonicas in affectu peccati mortalis satisfacit præcepto seu obligationi recitandi Horas?

V. R. Negativè: rationem dat Sylvius Resol. cas. verb. "Oratio," quia illius peccatoris recitatio non habet veram orationis essentiam, adeoque non ponit actum præceptum,

ne quidem quoad substantiam: deberet enim esse actus Religionis procedens ex gratia actuali: jam autem peccans actu mortaliter non utitur gratia actuali supernaturali; ergo tempore, quo peccat mortaliter, non facit actum Religionis sive orationis præceptum, cùm sinè usu gratiæ non possit exerceri ille actus sive oratio devota; præcipitur autem devota Officii recitatio, sive Religiosa, & Christiana; recitatio autem purè naturalis ex solis naturæ viribus, non ex gratia actuali supernaturali, non est Religiosa & Christiana; ergo non est sufficiens. Imò juxta alios peccat sic orando. Vide Matth. De Moya dis. 2. de Hor. Can. quæst. 1. apud me pag. 207. & La Croix lib. 4. n. 1348.

VI. Hinc conclude, quòd illi omnes, qui persistunt in odio mortali, vel in neglectu gravis restitutionis, non satisfaciant præceptis recitandi Horas Canonicas, audiendi Missam, vel exercendi quoscumque actus supernaturales fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, Religionis, &c. quamdiu scilicet perseverant in tali statu; quia semper manent in affectu peccati mortalis sinè interruptione non solùm habitualiter, sed simul actualiter vel virtualiter; qui autem existunt solùm in habituali peccato possunt satisfacere. Vide supra n. 40. pag. 47.

VII. Obj. 1°. Qui baptizat, vel aliud Sacramentum confert, in affectu peccati mortalis, validè baptizat; ergo etiam sufficienter recitat Horas Canonicas.

R. Concedo antecedens & nego cons. ratio disparitatis est, quòd recitatio Horarum debeat esse actus ex gratia actuali; sed collatio Sacramenti pro valore non debeat esse actus ex gratia supernaturali, sed sufficiat intentio & actus naturalis hominis; signa enim Sacramentorum componuntur ex rebus naturalibus.

VII. Obj. 2°. Malus Sacerdos validè celebrat Missam: atqui celebratio Missæ est actus Religionis supernaturalis; ergo, &c.

R. Conc. maj. dist. min: celebratio Missæ est actus supernaturalis quatenùs fit in Persona Christi principalis Ministri; Conc. min.: est actus supernaturalis quatenùs est opus operantis mali Sacerdotis; nego min. observa iterùm, quòd ad valorem Sacrificii Missæ sufficiat actio naturalis Ministri, sicut in collatione Sacramentorum: qualis actio purè naturalis non sufficit in recitatione Horarum.

Instabis. Recitatio Horarum Can. (quamvis in affectu

peccati mortalis) fit etiam nomine Ecclesiæ; ergo sic valet.

R. 1°. Nego ant. quia actus, quem requirit Ecclesia suo nomine fieri, non ponitur, ne quidem quoad substantiam: quia Ecclesia in terminis expressis requirit, ut devotè recitetur; ipse autem non ponit actum devotionis, quia is est actus Religionis ex gratia actuali.

R. 2°. Quamvis concederetur antecedens, ipse equidem non satisfaceret; quia ipse non ponit actum Religionis ex gratia actuali quantùm ad suam personam.

IX. Obj. 3°. Sacerdos in affectu peccati mortalis validè benedicit aquam; ergo, &c.

R. Quid sit judicandum de veritate antecedentis dictum est alibi, supra n. 47: hic interim disparitas illa intercedit, quòd Ecclesia pro conficienda aqua benedicta nullibi requirat actum devotionis, quem requirit in recitatione Horarum Canonicarum.

X. Obj. 4°. Jejunans in affectu peccati mortalis implet præceptum Ecclesiæ; ergo, &c.

R. Disparitas est, quòd jejunans ponit actum præceptum quoad substantiam: sufficit enim abstinentia naturalis ad macerationem carnis, quæ potest poni sine gratia; non sic devota recitatio Horarum.

XI. Obj. 5°. Illa non repugnant, quòd in uno actu quis peccet mortaliter, & in alio actu præstet cultum Religionis ex gratia; ergo, &c.

R. Nego ant. quia illa includunt hæc duo opposita contraria: nimirum, quòd idem simpliciter & infinitè inhonoret Deum, & simul Deum honoret: nam per peccatum mortale simpliciter & infinitè inhonorat & contemnit Deum, & se ab illo avertit, & diabolo se subdit, ergo excludit à se Deum ejusque gratiam; quia nulla "Conventio Christi ad Belial." 2. ad Cor. 6. v. 15. alioquin recitans Horas tempore concubitûs fornicarii posset satisfacere.

Aliud est de peccato veniali, quia in eo Deus non contemnitur nec simpliciter nec infinite, & sic consistit cum actibus honorationis.

XII. Obj. 6°. Qui existit in affectu peccati mortalis, potest recitare Horas Can. cum intentione & attentione, ergo ponit omnia requisita.

R. Nego ant. & cons. nam non ponit attentionem Religiosam & Christianam, quia ea sinè usu gratiæ non potest poni.

XIII. Obj. 7°. Habitus fidei esse potest in tali peccatore, ergo & actus fidei.

R. Disparitas est, quòd habitus, ut maneat, non requirat usum gratiæ actualis, qui requiritur necessariò ad actum fidei.

XIV. Obj. 8°. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 16. ad 3. docet, quòd talis peccator possit Orationem Dominicam proferre ex persona communi Ecclesiæ; ergo talis peccator potest facere orationem Ecclesiæ; ergo satisfacere præcepto.

R. Distinguo consequens: ergo talis peccator potest facere orationem Ecclesiæ devote sicut requiritur pro Officio Canonico; nego conseq. ergo potest facere, id est *proferre* orationem Ecclesiæ, sic ut eatenùs non mentiatur, quod solùm dicit S. Thom.; conc. totum: quæ multùm differunt. Quinimò addit S. Thomas, quòd talis peccator in hoc ipso dicat falsum, quantùm ad suam personam.

XV. Obj. 9°. Ergo Beneficiatus, qui aliquo tempore in consuetudine mala vel occasione peccati mortalis stetit, vel qui injustam litem sustinuit, &c. deberet restituere omnes fructus beneficii sui illo tempore perceptos.

R. Concedo totum: nisi desuper condonationem Romanam obtineat juxta dicta n. 38. hæc est enim conditio iniquorum, & sequela miseranda peccatorum.

XVI. Quo sensu dictum est Joan. 9.: "scimus, quia peccatores Deus non audit."

R. 1°. Genuinus sensus videtur esse hic: Deus non audit peccatores illos, qui petunt à Deo miraculum in confirmationem erroris vel falsæ sanctitatis.

2°, Respondet S. Aug. quòd illud verbum sit cæci necdum sàtis instructi, quod Scriptura S. narrativè refert.

R. 3°. Sensus esse potest, quòd Deus peccatores impœnitentes non audiat. Brevis elucidatio circa hanc quæstionem habetur in fine hujus tomi.

N. 62. DE REBUS IN ORATIONE PETENDIS.

S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 5 & 6.

I. *Spiritualia bona simpliciter licet petere.* II. *Temporalia petuntur sub conditione.* III. *Objectio.* IV. *Non rectè petitur, ut Deus, quod non est salutare, faciat salutare.* V. *Insignis sententia S. Thom.* VI. *Sanctitatem B. M. V. non licet petere.*

QUÆNAM licet orando petere à Deo?

I. R. 1°. Spiritualia sive salutaria bona licet simpliciter & absolutè à Deo petere: hujusmodi sunt salus æterna,

gratia Dei, remissio peccatorum, &c. quibus secundùm se consideratis homo malè uti non potest: ratio est, quòd hæc bona semper petantur secundùm voluntatem Dei: 1. ad. Thess. 4. "hæc est voluntas Dei, sanctificatio nostra."

II. R. 2°. Temporalia vel naturalia bona licitè petuntur à Deo, non quidem principaliter, sed quasi conditionatè "secundùm quod expediunt ad salutem;" nam illis bonis potest homo bene & malè uti. S. Thom. loc. cit.

III. Obj. Ecclesia in Litaniis petit sinè conditione temporalia fructus terræ, &c.

R. Implicitè petitionibus illis inest hæc conditio, in quantùm gloriæ Dei & saluti nostræ expedit. Convenit interea, ut illa conditio aliquando explicitè addatur, quando petuntur divitæ, officia, &c. in quibus est majus periculum peccati & vitiosi affectûs.

IV. An rectè quis à Deo petit aliquid sub hac conditione, ut, si illud, quod petit, non sit sibi salutare, Deus faciat esse salutare?

R. Neg. quia pervertit ordinem virtutis; vult enim voluntatem Dei conformari voluntati hominis; cùm è contra voluntas humana debeat conformari voluntati divinæ.

V. Nota pro dictis & dicendis hanc sententiam S. Thomæ in 4. d. 15. art. 1. quæst. 5 ad 3: "Deus orationem acceptat interdum de eo, quod dare non vult, quia ipse vult nos piè velle, quod ipse jusè dare non vult." Ita utiliter S. Paulus postulavit liberari à concupiscentiæ tentatione, licèt Deus illud concedere nollet.

VI. An licet à Deo petere sanctitatem B. M. V. vel S. Joannis Baptistæ?

R. Non licet eam absolutè petere; quia nunquam petetur prout oportet: licet tamen affectu inefficaci & antecedente eam optare: quia ille affectus facit tantùm simplicem complacentiam.

N. 63. AN LICET ORANDO MALA PETERE?

I. *Spiritualia mala non licet petere.* II. *Temporalia mala licet petere propter finem bonum.* III. *Licet eadem expetere aliis.* IV. *Objectio.* V. *Prop. dam. ab. Innoc. XI.* VI. *Quatuor modi explicandi imprecationes Prophetarum.*

I. RESP. Spiritualia mala nunquam licet petere, quia Deo displicent nocentque saluti.

II. 2o. Temporalia mala, cujusmodi sunt paupertas, morbus, &c., propter finem honestum proportionatum licitè à Deo peti possunt; & ita v. g. is, cui divitiæ vel sanitas sunt occasio proxima peccandi, licitè petit eis privari: ratio est, quòd illa temporalia mala non sint intrinsecè mala, sed indifferentia; igitur in quantum ordinantur & conducunt ad bonum finem, sunt bona moraliter; sicque in casu illa petendo petitur bonum non qualecumque, sed præferendum tali malo.

III. Ex iisdem rationibus quandoque licet petere, ut illa mala temporalia aliis obveniant tanquam aptiora media majoris boni: ita S. Hilarius oravit & impetravit mortem filiæ, ne militia immutasset intellectum ejus. Similiter quandoque excusari possunt parentes imprecantes filiis frequentantibus mala consortia, ut frangant tibiam, &c. verumtamen nunquam licet petere vel exoptare alicui damnationem æternam, quia nullâ ratione potest hoc ipsi esse bonum.

Simili modo licitè petitur punitio malefactorum ad bonum commune.

IV. Obj. Non licet sibi vel alteri inferre morbum vel mortem ex præfatis rationibus; ergo non licet ex iis sibi vel alteri petere vel desiderare morbum vel mortem.

R. Negando conseq. nam aliud est inferre, aliud pati morbum vel mortem: prius peccatum est, dum fit per causam vel potestatem illegitimam; posteriùs non involvit peccatum, quia abstrahi potest à causa mala, sicuti Martyres desiderarunt pati martyrium.

Verumtamen similibus affectibus cautè & parcè indulgendum, quia periculo & vitio valde sunt affines: quòd enim quis sibi petat mortem vel morbum, pusillanimitas vel passio sæpe facit; si mala illa aliis obvenire petat, odium vel appetitus vindictæ obrepet. V. Vitari etiam hìc debet error prop. 13. 14. & 15. dam. ab Innoc. XI. quarum 13. sic sonat: "Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vita alicujus tristari & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum." Observa pariter, quòd propositiones illæ sint damnatæ ex hoc præcipuè capite, quòd in affectibus illis medium non sit proportionatum, vel non rectè ordinatum ad talem finem.

Quomodo intelliguntur hæ imprecationes, quæ in S. Scriptura leguntur Ps. 54. "Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. Ps. 103. v. 36. Defici-

ant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint. Ps. 67. v. 3. Pereant peccatores à facie Dei. Ps. 58. Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem?

R. Hæ & similes S. Scripturæ locutiones intelliguntur aliquo ex his quatuor modis, quos attigit S. Th. 2. 2. quæst. 83. art. 8. ad 1 & 2.

VI. 1°. Per modum Prophetiæ, seu prædictionis tantùm.

2°. Petitur, ut temporalia mala obveniant peccatoribus ad correctionem, vel ad alium bonum finem, conformiter supradictis.

3o. Ut sint imprecationes contra Regnum peccati, ita ut imprecatio fiat, non homini, sed peccato.

4°. Ut intelligantur de peccatoribus impœnitentibus sive in peccato perseverantibus usque ad mortem; conformando voluntatem suam Divinæ Justitiæ circa damnationem perseverantium in impœnitentia finali. Ita S. Th. art. 8. Similiter dicuntur Sancti Ps. 75. lætari de vindicta, non propter eam, sed propter Divinam Justitiam.

N. 64. PRO QUIBUS ORARE OPORTEAT.

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 7 & 8.

I. *Orandum pro se & pro aliis.* II. *Non oramus pro damnatis.* III. *Nec propriè pro Beatis.* IV. *Oramus pro existentibus in Purgatorio.* V. *Et pro peccatoribus.* VI. *Et pro reprobis.* VII. *Item pro inimicis in communi oratione.*

PRO quibus oportet orare?

I. R. Pro se & pro aliis; quia id pertinet ad rationem charitatis; hinc dicit Jac. c. 5. "Orate pro invicem ut "salvemini."

II. Pro damnatis non oramus: quia charitas non potest extendi ad eos.

III. Pro Beatis propriè non oramus: quia omne bonum possident; potest tamen dici, quòd oratio nostra eis prosit ad honorem accidentalem & cultum.

IV. Pro existentibus in Purgatorio oramus.

V. Pro peccatoribus viatoribus oramus; cùm eosdem charitate diligere debeamus.

VI. Pro reprobis oramus in oratione universali; quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobis, ait S. Thom. loco cit. art. 7. ad 3. quinimò excludi non debent,

quamvis reprobi nobis innotescerent, quia capaces adhuc sunt gratiæ, & pro tempore possunt esse justi; verumtatamen pro æterna eorum salute orandum non esset in hoc casu.

Billuart de Rel. tom. 4. dis. 2. art. 6. p. 50. sustinet, quòd Sacerdos in Missa, non solùm privatim, sed etiam ut Minister Ecclesiæ, orare & celebrare votivas possit pro excommunicatis non toleratis; quod alii negant.

An tenemur pro inimicis orare?

VII. R. S. Th. 2. 2. q. 83. art. 8. tenemur pro inimicis orare eodem modo, quo tenemur eos diligere; proinde à communibus nostris orationibus excludi non possunt; speciales tamen orationes pro eis fundere non est in præcepto, nisi in casu necessitatis, & secundùm animi præparationem. Ex eo intellige sensum doctrinæ Christi Matth. 5. "Orate pro persequentibus & calumniantibus vos."

N. 65. AN LICET SPECIALITER ORARE PRO UNO?

I. *Licet pro uno orare.* II. *Ordo inter eos, pro quibus oremus.* III. *Hor. Can. recitant. pro omn.* IV. *Triplex fructus orationis.* V. *Generalis.* VI. *Specialissimus.* VII. *Specialis; & hic applicatur per specialem intentionem.*

I. RESP. id licitum esse, sicuti licet uni impendere speciale opus charitatis; sic Christus dicit, se pro Petro orasse, Luc. 22. II. imò idem hìc ordo servandus est, qui servari debet inter eos, qui charitate diligendi sunt, ita ut magis orare oporteat pro parentibus quàm pro alienis; ut latiùs explicatur in Tract. de Charitate.

III. Orationes publicæ fieri debent secundùm intentionem præscribentis eas: hinc in Horis Canonicis Sacerdos orare debet pro omnibus fidelibus; quia orat nomine Ecclesiæ universalis.

IV. Cum Bonac. disp. 1. q. 4. punct. 2. triplex orationis fructus distingui potest, saltem in oratione publica, nempe generalis, specialis & specialissimus. V. Fructus orationis, qui dicitur generalis, est extensivè infinitus, in hoc participant omnes fideles; de quo Psalmista dicit Ps. 118. v. 63. "Particeps ego sum omnium timentium te."

VI. Fructus specialissimus est pro ipso orante solo.

VII. Fructus specialis prodest illi, cui orans per intentionem eum applicat, sive pro quo specialiter orare intendit.

Igitur orans de fructu generali & specialissimo disponere nequit, sed fructum specialem sibi vel alteri applicare potest: & ita dùm petitur oratio pro quopiam particulari, petitur applicatio fructûs specialis.

N. 66. PERTINENS.

I. *An Sacerdos de fructu speciali disponere possit.* II. *Majus dubium de Beneficiato.*

AN Sacerdos recitans ex obligatione Ordini Sacro annexâ Horas Canonicas, possit in iis specialiter orare pro uno; sive an fructum applicare possit alicui per liberam intentionem?

R. Gobat t. 2. tr. 5. n. 770. hanc quæstionem proponit tanquam novam à nullo discussam, eamque definit per responsionem affirmativam, quamvis responsionis suæ rationem non adducat satis accuratam.

I. Igitur dici potest, quòd fructum generalem & specialissimum Sacerdos applicare non possit alicui alteri particulari; quòd tamen de fructu speciali liberè videatur posse disponere, quia nullibi invenitur ab Ecclesia facta restrictio circa fructum illum vel intentionem orantis: debet quidem Sacerdos orare pro populo, sed id præstat, dum fructum orationis generalem ordinat in utilitatem omnium; poterit igitur Sacerdos recitans Horas, & orare pro tota Ecclesia, & simul specialiter pro parentibus vivis vel defunctis.

An idem dicendum sit de Beneficiato vi Beneficii sui obligato ad Horas Canonicas, majus dubium habet.

II. Bonacina quidem dicit, quòd fructus specialis cedat Beneficii Fundatoribus: verumtamen attendi debet fundationis erectio secundùm Ecclesiæ approbationem: & quidem negari non potest, quin intentio Ecclesiæ sit, ut Fundatoribus specialis quidam favor & fructus accrescat: verùm is habebitur ex fructu generali, ex quo majorem fortè portionem juxta Ecclesiæ intentionem participant, & ex eo, quòd Beneficiis soleat annecti obligatio anniversariorum aliarumve precum; denique potest Beneficiatus recitando Officium, exercere ex speciali privata intentione speciales actus virtutum non debitos, de quorum actuum fructu certò liberam dispositionem retinet. Omnem tandem disceptationem evadit, qui intentionem suam conformat intentioni Ecclesiæ.

QUÆSTIO VI.

DE RELIQUIS ACTIBUS RELIGIONIS.

N. 68. DE SACRIFICIO.

S. Thom. 2. 2. quæst. 84.

I. *Definitio.* II. *Est actus latriæ.* III. *Latior acceptio.* IV. *Ex intentione distinguitur.* V. *Fideles non arguendi,*

QUID est adoratio, quæ est actus Religionis?

I. R. Est testimonium Excellentiæ Divinæ cum aliqua submissionis nostræ nota; v. g. genuflexio coram SS. Eucharistia: hoc cultu Magi procidentes adoraverunt Christum Matth. 2. II. Est autem hæc adoratio actus latriæ, potestque talis adoratio fieri per actum solùm internum.

III. In Scripturis sacris sæpe latiùs accipitur adoratio pro cultu duliæ, quo Josue adoravit Angelum. Jos. cap. 5. v. 15. item pro cultu civili, quo modo Bethsabée "adoravit Regem" 3. Reg. 1. v. 16.

IV. Solent verò externa adorationis signa, veluti genuflexio, inclinatio, &c. (excepto Sacrificio) esse communia omni cultui, ita ut ex intentione aut circumstantiis haberi debeat, utrùm actus præstetur tanquam cultus latriæ, duliæ, aut observantiæ politicæ.

V. Ut subindè arguendi non veniant fideles, si fortè similem genuflexionem exhibeant & coram icone B. M. V. & coram crucifixo: cùm exterior adoratio speciem sortiatur ab intentione. Convenienter interim Rubricæ in publicis Officiis minores & majores præscribunt reverentias.

N. 68. DE SACRIFICIO.

S. Thom. 2. 2. *q.* 85.

I. *Sacrificium improprie.* II. *Definitio Sacrific.* III. *Thurificatio & incensio candelarum non sunt Sacrificia.* IV. *Neque oblationes simplices.* V. *In Sacrificio Missæ peragitur quædam Christi peremptio.*

I. SACRIFICIUM quandoque generaliter & impropriè accipitur pro omni opere bono relato ad honorem Dei,

quo modo accipitur ps. 50. "Sacrificium Deo spiritus contribulatus."

II. Sacrificium propriè & strictè dictum definitur: "Oblatio externa, quâ res aliqua sensibilis & permanens consecratur, perimitur, aut aliter immutatur in protestationem & recognitionem supremi ac divini dominii ejus, cui defertur, & servitutis ac subjectionis ejus, qui offert, & quorum nomine offertur."

III. Hinc intellige, quomodo thurificatio & candelarum incensio in nova Lege non contineant rationem Sacrificii: quia eis non utimur tanquam speciali symbolo protestationis supremi Dei dominii, sed ad augendam solemnitatem, ad significandam lætitiam, & ad excitandas mentes nostras ad devotionem & fidem.

IV. Similiter innotescit, quomodo Sacrificii proprietatem non habeant oblationes simplices, de quibus agit S. Th. 2. 2. q. 86. quia res oblata non perimitur aut immutatur.

V. Quomodo verò omnes prædictæ definitionis partes adaptentur Sacrificio Missæ, explicatur in tertia parte S. Thom. Obiter observa, aliquam in Sacrificio Missæ fieri peremptionem per verba consecrationis: nam vi verborum consecrationis panis, ponitur solum Corpus Christi sub speciebus panis; & vi verborum consecrationis vini, ponitur solus Sanguis Christi sub speciebus vini; ergo vi verborum ponitur sanguis Christi separatus à corpore Christi, in quantùm Corpus & Sanguis Christi ponuntur sub diversis & separatis speciebus: atqui dum Sanguis ponitur separatus à Corpore, homo perimitur seu moritur; ergo, quantùm est ex vi verborum Consecrationis, fit hìc quædam peremptio Christi, ejusque mors recolitur, licèt incruento modo; nam per concomitantiam semper Corpus Christi ponitur cum Sanguine, & è contra. Interim verum & reale, non solùm mysticum, Sacrificium offertur; quia actio Sacrificativa est verè & realiter cum circumstantiis peremptoria; nam verba Consecrationis sub bina specie practica idem, suppositâ separatione specierum panis & vini, inferunt & significant; quamvis mors reverà non sequatur ob alias causas: sicuti Joannes Evangelista colitur tanquam Martyr, quia causa verè & de se peremptoria eidem applicata est; licèt mors secuta non sit.

N. 69. DE MINISTRO SACRIFICII.

I. *Minister deputatus.* II. *In N. L. Sacerdos.* III. *In Lege Naturæ plures.* IV. *In L. V. ordinarii ex Tribu Levi.* V. *Sacrific. soli Deo offerri potest.* VI. *Missæ non offeruntur Sanctis.*

I. QUOD Minister aliquis deputatus requiratur pro Sacrificio, probatur ex cap. 5. ad Hebr., ubi legitur: "nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron."

II. Ministri in nova Lege sunt soli Sacerdotes legitimè ordinati.

III. In lege naturæ erant vel patres-familias, vel primogeniti, vel alii ex speciali Dei instinctu deputati, ut Abel, Moyses, &c. IV. In lege scripta ordinarii Sacerdotes erant ex tribu Levi; agnum tamen Paschalem videntur patresfamilias etiam obtulisse.

Cui Offerri potest Sacrificium?

V. R. Soli Deo, quia solus Deus est primum omnium rerum principium.

Nota, per rei peremptionem vel mutationem, quæ in Sacrificio fit, significari, quòd Deus sit vitæ & necis Dominus, & quòd res omnes ex nihilo producere & in nihilum reducere possit; quòdque ipse non egeat bonorum nostrorum.

VI. Obj. Dantur Templa dicata Sanctis, sicut & Missæ de Sanctis; ergo, &c.

R. Omnia Templa immediatè Deo consecrantur, sicut & Missæ soli Deo offeruntur: nuncupantur ab aliquo Sancto, sicut & Missæ de B. M. V., de S. Francisco, quia in illis Deo de eorum gloria gratias agimus, eorumque patrocinium in eis imploramus, eosdemque honoramus. Propterea S. Th. 2. 2. quæst. 85. a. 2. ad 3. observat quòd Sacerdos non dicat: offero tibi Sacrificium, Sancta Maria, S. Francisce, &c. Idem Ethnici agnoverunt; "quis enim," ait S. Aug. lib. 10. de civ. Dei c. 4. "Sacrificandum censuit, nisi "ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?"

N. 70. DIVISIONES SACRIFICII.

I. 1°. *Ratione statuum mundi.* II. 2°. *Ratione materiæ.* III. 3°. *Ratione formæ.* IV. 4°. *Ratione finis.* V. 5°. *Ratione temporis.* VI. 6°. *Ratione modi.* VII. *Sacrific. in N. L. Id est unicum ex parte rei oblatæ, sed ratione modi duplex.*

I. SACRIFICIUM dividitur 1°. juxta diversum mundi statum in Sacrificium Legis *naturæ*, Legis *Mosaïcæ* & Legis *novæ*.

II. 2°. Ratione *materiæ* dividitur in victimas seu hostias, in oblationes & libamenta.

III. 3°. Ratione *formæ* in holocaustum, in hostiam pro peccato, & in hostiam pacificam.

IV. 4°. Ratione *finis*, in latreuticum, propitiatorium sive expiatorium, eucharisticum, impetratorium.

V. 5°. Ratione *temporis*, in juge Sacrificium, quod quotidie, & in Sacrificium Agni Paschalis, quod in Paschate, & in Sacrificia, quæ aliis temporibus offerebantur.

VI. 6°. Ratione *modi*, in Sacrificium cruentum & incruentum. Singularum divisionum exactam explicationem tradit Becanus in Analogia N. & V. Testamenti, & S. Th. 1. 2. quæst. 102. art. 3. varias congruentias explicat.

Nota, multiplicia illa ante Legem novam sacrificia omnia præfigurasse Sacrificium novæ legis, adeoque cessare in nova Lege.

VII. Sacrificium autem Novæ Legis unicum est quoad rem oblatam, quæ est Christus Dominus, sed quoad modum & ritum duplex est, nempe cruentum in Cruce, incruentum in Missa: ita ut modò non sit licitum, sed superstitiosum, offerre animalia vel alias res in Sacrificium, sive per modum Sacrificii.

N. 71. DE DECIMIS.

S. Thom. 2. 2. q. 87.

I. *Definitio.* II. *Secundùm Jus commune Decimæ cedunt Parochiali Ecclesiæ.* III. *Decimæ quoad substantiam sumptæ debentur Jure Divino.* IV. *Decimæ secundùm quotam debentur Jure Ecclesiastico.* V. *Objectio.*

QUID per Decimas intelligitur?

I. R. Intelligitur certa quota fructuum, quæ datur Ministris Ecclesiæ.

Principaliter Decimæ debentur clericis curam animarum habentibus, ut indicat S. Thom. q. 87. art. 3. & 4: aliis clericis etiam conceduntur Decimæ in quantùm cooperantur saluti animarum orando, Officium Divinum cantando, &c.

II. De jure cedunt Parochiali Ecclesiæ Decimæ, quæ intra limites Parochiæ excrescunt: ita evidenter loquitur Innoc. III. lib. 3. cap. 29. tit. 30. de "Decimis;" proinde Decimæ eidem adjudicandæ sunt, quamdiu non demonstratur, eas legitimo titulo ad alium pertinere.

Denique Decimæ ad quemcumque pertinentes manent semper obstrictæ & hypothecatæ pro competentia sive sustentatione pastorali, si aliunde illa non habeatur.

Quo jure Decimæ debentur Ministris?

III. R. Distinguendo: si considerentur Decimæ quoad substantiam, id est, in quantùm præstant necessariam vitæ sustentationem Ministris Ecclesiæ, in tantùm debentur jure naturali & divino. Illud docet Apostolus 1. ad Cor. 9. v. 14. "Deus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere:" probat idem ex ratione dicens: "quis militat suis stipendiis unquam, &c.?"

IV. Si Decimæ accipiantur secundùm quotam illam seu decimam partem, eatenùs debentur jure solùm Ecclesiastico juxta consuetudinem receptam; quomodo in hac patria manipulus non nisi undecimus dari solet; alibi minor.

V. Objiciuntur varii Canones asserentes Decimas jure divino deberi: sed respondetur quòd illi Canones intelligantur de Decimis secundùm substantiam; vel quòd illa determinatio Ecclesiastica decimæ partis habeat fundamentum in jure divino L. V.; quæ Lex jam cessat,

N. 72. DIVISIONES DECIMARUM.

I. *Divisiones.* II. *Impropriè dicuntur Laïcales. Laïci non possunt acquirere novas Decimas, Ecclesiastici possunt.*

I. DECIMÆ solent dividi,

1°. In prædiales, personales, & mixtas.

2°. In majores, seu grossas: quæ ex tritico, hordeo, &c.; & in minutas, quæ ex ovis, animalibus, leguminibus, & ex frugibus floriferis proveniunt.

3°. In antiquas & novales.

4°. In Ecclesiasticas & Laïcales. Sed

II. Nota, quòd Decimæ impropriè dicantur Laïcales: nam Laïci propriè non possunt acquirere vel habere jus Decimarum; quia est spirituale, cujus sunt incapaces; verumtamen usumfructum Decimarum obtinere possunt, quo modo eis concessæ sunt Decimæ in feudum. S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. Jurisconsulti docent, quòd Laïcis non liceat Decimas Ecclesiasticas acquirere; sed quòd Ecclesiastici Decimas Laïcales licitè acquirant: eoque casu redeant ad primigeniam naturam; ita ut iterum censeantur esse Decimæ Ecclesiasticæ, si nempè titulo Ecclesiastico possideantur: verùm per Decreta Regia posteriora quædam nunc aliter determinata sunt.

N. 73. DE MODIS ACQUIRENDI DECIMAS.

I. *Tribus modis Decimæ acquiruntur.* II. *Et iisdem amittuntur.* III. *Jus Decimarum non præscribitur à Laïcis.*

I. QUIBUS modis Decimæ acquiruntur?

R. Acquiruntur 1°. proprio titulo Parochialis Ecclesiæ.

2°. Ex concessione seu privilegio Summi Pontificis.

3°. Acquiruntur per contractum aut præscriptionem.

II. Iisdem modis Decimæ amittuntur, vel ad alium transferuntur: & ita unus Decimator præscribere potest contra alium tempore 40 annorum; non sic quiscumque particularis; pro quo

III. Observa, quòd Laïcus quispiam non possit se eximere à solvendis Decimis titulo præscriptionis cum possessione temporis immemorialis, quo Decimas non solvit, nisi concurrat titulus infeudationis: & in hoc casu possessio immemorialis facit præsumi infeudationem, quando antiqui tituli & investitiones proferuntur.

Clerici divites justè percipiunt Decimas, eò quòd justum habeant titulum: scilicet Ministerium vel Officium præstitum, quamvis fortè respectu eorum cesset causa sustentationis, sicuti operarius dives justè accipit stipendium sui laboris.

N. 74. DE DECIMIS NOVALIBUS.

I. *Quid sunt Decimæ Novales.* II. *Debentur Parocho.* III. *Aurea S. Thomæ Sententia.* IV. *Decimæ personales compensantur.* V. *Causa Decimarum est ecclesiast.* VI. *Edicta Regia.* VII. *Si nova species sit seminata.* VIII. *Edictum* 6 Junii 1564. IX. *Monitum S. Thom.* X. *Summo Pontifici Clerici debent Decimam.*

QUÆ Decimæ dicuntur novales?

I. R̄. Illæ, quæ percipiuntur ex agro, qui nunc primùm redactus est ad culturam, talem, ut fructum decimabilem proferat:

II. Decimæ novales sicut & Decimæ minutæ speciali titulo debentur Parocho, ita ut, si Decimæ alicujus Parochiæ alteri v. g. Monasterio vel Capitulo generalibus terminis concessæ sint, Decimæ novales & minutæ non comprehendantur, ut docet Wiggers cum aliis: unde omnes Decimæ novales accrescunt Parocho, prout etiam Vicario perpetuo, quia nulla hodie distinctio inter Parochum & Vicarium perpetuum quoad curam animarum fingenda est, ait Wigg. Tract. de Rel. cap. 3. dub. 9. quidam tamen id in dubium vocant, & negant Parocho jus novalium in casu, quo nullas omnino Decimas, ne quidem minutas nec partem earum, percipiat, sed integra competentia seu portio congrua consistat in certa summa pecuniarum vel granorum: quia tunc, aiunt, censetur renuntiasse juri Decimarum omnium, & omnes Decimæ dicuntur incorporatæ juri alterius.

III. Nota, auream hanc sententiam S. Thomæ 2. 2. q. 87. art. 3. "Decimæ dantur Clericis curam animarum habentibus, non solùm propter suî sustentationem, sed etiam, ut ex eis subveniant pauperibus, & ideo non superfluunt." Sententia Pastoribus favorabilis, sed & formidabilis, si pauperum obliviscantur.

V. Decimæ personales hodie persolvi non solent, sed in earum locum succedunt jura quædam ex exequiis aliisque ministeriis provenientia.

V. Cognitio seu causa Decimarum de jure spectat ad Judicem Ecclesiasticum, cùm causa Decimarum sit Ecclesiastica : verùmtamen in hac patria possessorium Decimarum tractari solet coram Judice Laïco.

VI. Plura extant Edicta Regia Decimas concernentia, quibus se conformare coguntur Ecclesiastici Decimatores. Moderamen aliquod attulit declaratio data 10 Januar. 1528, ubi hæc leguntur:

VII. "Si in aliquo Villagio... esset seminata, plantata, collecta, aut enutrita aliqua nova species, quæ in dicto Villagio nunquam fuisset seminata, &c. eo casu, quantùm ad solutionem Decimæ hujusmodi novæ speciei observabitur prout in aliis Villagiis dictorum Ducatûs & Comitatûs."

"Et si aliqua nova species, ante non visa, nec consueta seminari, aut nutriri in aliquo Villagio aut quarterio dictorum Ducatûs aut Comitatûs, esset ibidem seminata, plantata aut nutrita, observabitur quantùm ad solutionem Decimarum dictæ novæ speciei jus scriptum, & illius dispositio."

VIII. Per Edictum de 6 Junii 1564 cavetur, ne fructus ex agro auferantur, nisi denuntiatio facta sit Decimatori, & nisi priùs in manipulos collecti sint, & ut non post solis occasum transferantur.

Circa Decimas percipiendas censuetudo multùm attendi debet, annuente S. Thoma. IX. Addit idem S. Thom. a, 2. q. 87. a. 1. ad 5, "laudabiliter Ministri Ecclesiæ Decimas non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam.

Superaddit Joan. Molanus, Clericos vi juramenti sui de defendendis juribus non obligari, ut extremo jure in defendendis Decimis utantur: quia juramenti obligatio intelligi debet, salvo honore Dei, & ædificatione proximorum.

X. Nota ultimò, quòd Clerici teneantur Summo Pontifici Decimam dare, si exigeret. S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. Cujus loco Pontifex solet in Beneficiis majoribus exigere fructus unius anni pro toto tempore vitæ Prælati, quos nuncupant Annatas, Bill. t. 4. p. 159.

TRACTATUS

DE VOTO.

N. 75. DE ESSENTIA VOTI.

S. Thom. 2. 2. q. 88.

I. *Varia acceptio.* II. *Definitio.* III. *Differt à proposito.* IV. *Explicat. definitio.* V. *Objectio.*

I. PRÆNOTANDUM, quòd hæc vox "Votum" plures recipiat significationes: primò significat "desiderium" vel "propositum," quo sensu dicitur Baptismus necessarius in voto; secundò sumitur pro "suffragio," dum dicitur electio fieri per vota; tertiò accipitur hìc pro actu virtutis Religionis, & Latriæ, & ita

II. Definitur: "Promissio Deo facta de meliori bono, quod est in potestate voventis." S. Thom. art. 2.

III. Dicitur 1°. in definitione, "Promissio;" ut votum distinguatur à proposito, desiderio, vel voluntate faciendi bonum; quæ secundùm se non habent vim obligandi sub peccato; ut indicat S. Thom. q. 88. a. 1. in c.; ita ut propositi omissio vel mutatio non habeat culpam, nisi propter animi inconstantiam, tædium, vel negligentiam; & tunc communiter non nisi venialem.

IV. Secundò dicitur "Deo facta," ut excludatur promissio Sanctis, vel hominibus facta: licèt Sanctis possit fieri promissio per actum duliæ.

Deinde dicitur: "de meliori bono," ut nimirum sit melius quàm ejus oppositum: aliàs promissio non acceptatur à Deo.

Additur: "quod est in potestate voventis;" quia votum respicit liberam actionem voventis tanquam materiam proximam.

V. Obj. Luc. 9. v. 61. Dicit Christus; "Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retrò, aptus est Regno Dei;" ergo mutatio propositi est peccatum & quidem mortale.

R. Nego cons.: quia Christus loquitur de illo, qui à vocatione Dei vel sequela Christi deflectit; non verò de eo, qui ab opere particularis boni non necessarii desistit.

An votum sit principaliùs actus intellectûs, an voluntatis, controvertitur: utriusque interim potentiæ operatio concurrit necessariò.

N. 76. DE VOTO FICTO.

I. *Tripliciter votum dicitur fictum.* II. *Votum sinè voluntate vovendi non est validum.* III. *De Voto judicandum secundùm interna.*

I. TRIPLICITER intelligi potest, votum fictè esse emissum: 1°. "sine voluntate vovendi; 2°, "sine voluntate se obligandi; 3°. "sine voluntate adimplendi."

II. Votum fictum primo modo, quod externis solummodo verbis emissum est, sine interiori voluntate vovendi, non est verum nec validum votum. Ratio est quòd in voto agamus directè cum Deo, qui immediatè attendit & aspicit internum animæ actum nullis mediantibus signis externis juxta id 1. Reg. 16. "Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor."

Hinc consequitur, quòd judicium de valore voti in foro conscientiæ ferri debeat secundùm internos voventis actus; unde verbum "promitto" non semper probat voluntatem vovendi, sed sæpè tantùm importat firmum propositum; prout solet in pœnitentibus, qui dicuntur promittere emendationem.

Illud necessariò cum S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1. in c. notandum, quòd votum emitti possit per solum actum internum.

N. 77. DE VOTO SINE VOLUNTATE SE OBLIGANDI.

I. *Votum sinè voluntate se obligandi est invalidum.* II. *Si sint voluntates contrariæ.* III. *Sufficit voluntas implicita.* IV. *Votum sinè voluntate implendi est obligatorium.* V. *Obj. prævenitur.*

I. VOTUM emissum sine voluntate seu intentione se obligandi, nequidem implicita, non est validum, quia juxta omnes requiritur voluntas vovendi seu promittendi: atqui voluntas illa promittendi includit voluntatem se obligandi tanquam conditionem essentialem; alioquin enim non esset promissio, sed simplex propositum; ergo voluntas se obligandi necessario requiritur.

Quid si quispiam habeat voluntatem vovendi sine voluntate se obligandi?

II. Votum illud non videri validum: potest autem dupliciter id evenire, vel quia omnino ignorat, votum inducere aliquam obligationem; tunc enim concurrit error circa substantiam, qui in pueris accidere potest: vel quia habet voluntatem contrariam; tunc autem hæc voluntas non se obligandi efficax elidit voluntatem vovendi: sicut accidit in Matrimonio contracto cum conditione repugnante substantiæ Matrimonii.

III. Si quis autem satis intelligens substantiam voti emittat votum absque formali actu voluntatis se obligandi, aut etiam non cogitandò de obligatione, validum est votum & obligatorium, quia adfuit voluntas implicita se obligandi, prout sæpius accidit in suscipientibus Ordines Sacros.

IV. Votum emissum cum intentione vovendi & se obligandi, sed absque voluntate adimplendi, quod vovet, est validum & obligatorium, quamvis illicitum, quia voluntas non adimplendi afficit solùm executionem & effectum posteriorem, & ita est naturâ posterior voto; sicuti vota perseverant esse valida, licèt non impleantur.

Deus autem acceptat tale votum quoad obligationem, licèt non acceptet quoad meritum.

N. 78. DE DELIBERATIONE REQUISITA IN VOTO.

I. *Votum debet esse plenè deliberatum.* II. *Non sufficit voluntarium indirect.* III. *Vota ex semi-plena deliberatione non oblig. ne sub veniali quidem.*

I. VOTUM, ut obliget, debet esse plenè "deliberatum," ac directè voluntarium, & liberum. Solet hìc dici, quòd pro voto sufficiat ea deliberatio, quæ sufficit ad peccatum mortale; II. verùm hoc intelligi debet de deliberatione cum voluntario directo quale requiritur ad bonum, non de voluntario quocumque indirecto vel interpretativo: proinde vota facta ab ebrio vel dormiente aut etiam semidormiente non subsistunt; sicut nec ea vota, quæ ex motu primò-primo vel secundò-primo profluunt. Votum interim ex ira vel alia passione factum potest esse validum, Juxta cap. "dudum" de conv. conj.

An equidem vota illa ex imperfecta deliberatione veluti ex motu secundò-primo facta non obligent sub veniali, quandoquidem illa deliberatio sufficiat ad culpam venialem?

III. R. Negativè: sed vota illa sunt omnino nulla: quia votum, quod est veluti privata lex, est perfectus rationis actus adinstar legis; adeoque non sufficit imperfecta vel semiplena deliberatio, quæ tamen sufficit ad peccatum veniale, quod in genere peccati est quoddam imperfectum: deinde plus ad bonum quàm ad malum requiritur.

N. 79. DE VOTO EX METU.

I. *Metus levis non irritat Votum.* II. *Datur metus gravis non irritans. Nullus metus irritat Votum Jure naturæ.* III. *Objectio.* IV. *Deus acceptat Votum ex metu.* V. *Objec.* 2. VI. *Metus quandonam facit votum invalidum.* VII. *Objec.* 3. VIII. *Professio Relig. ex metu irrita est per Jus positivum.*

AN votum, ex metu factum, est irritum?

I. R. Votum non est irritum, si metus ille sit levis, vel si quidem sit gravis, tamen non sit injustus; aut etiamsi sit injustus, non sit equidem injustè incussus ad extorquendum votum: unde validè quis ex metu naufragii, morbi, vel latronum vovet Deo castitatem, eleëmosynam,

&c. in his Authores plerique consentiunt, sed controvertitur.

II. An votum factum ex metu gravi injustè incusso ad extorquendum votum, sit irritum & invalidum jure naturæ?

Probabilius apparet votum hujusmodi non esse irritum, quantùm est ex jure naturæ: ratio est quòd cum tali metu subsistere possunt omnia essentialia requisita ad validum votum, scilicet voluntas vovendi & se obligandi, sufficiens deliberatio & voluntarium, & quòd sit de meliori bono. Billuart t. 4. 170. Suarez lib. 1. c. 7. n. 12. Sylvius q. 88. a. 1. Boud. t. 4. contra Wiggers & Daelman.

III. Obj. Deus non videtur acceptare tale votum illiberale ex metu: atqui acceptatio Dei essentiale requisitum; ergo, etc.

IV. Negatur assumptum: nam plurima acceptat Deus ex metu facta, veluti pœnitentiam peccatoris: & Conc. Trid. sess. 6. c. 6. indicat, homines sæpissime ad Deum trahi per timorem.

Illa autem Dei acceptatio secundùm se cedit in bonum voventis, proinde gratìs asserunt, Deum non acceptare; ubinam enim Deus secretum hoc illis revelavit quòd non acceptet tale votum?

V. Obj. Votum debet esse promissio spontanea: atqui non erit spontanea, quia metus causat involuntarium; ergo, &c.

R. Distinguo min. atqui non erit spontanea spontaneitate animi liberalis, transeat; spontaneitate liberi & directè voluntarii, nego minorem: involuntarium illud est solummodo secundùm quid, quod nihil operatur contra voluntatem efficacem vovendi: alioquin retorquendo argumentum, reponi posset, quod votum ex metu levi careret eodem spontaneo, & invalidum esset.

VI. Si interim in casu quopiam metus sive gravis sive levis ita perturbet & corripiat hominem, ut tollat sufficientem deliberationem, votum erit nullum, non ob metum, sed ob defectum deliberationis seu voluntarii.

VII. Obj. cap. 14. "cum locum" tit. 1. de Sponsalibus: locum non habet consensus ubi metus vel coactio intercedit.

R. Agitur de Matrimonio, in quo jura majorem libertatem requirunt; nam Matrimonium cedit in gravamen, votum verò cedit in favorem & bonum voventis: cæteroquin certum est, quòd metus causet voluntarium simpliciter, adeoque consensus, ubi metus est, etiam locum habeat.

An equidem prædicta vota quæ fiunt ex metu gravi in-

justè incusso ad extorquendum voti consensum, non sint irrita jure positivo Ecclesiastico?

VIII. R. Votum solemne, vel professio religiosa irritatur jure Ecclesiastico: probatur ex cap. "perlatum de his quæ vi." Idem supponit Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 19. ibique statuitur, ut exceptio metûs non admittatur, nisi intra quinquennium à die professionis.

Non invenitur ulla lex irritans reliqua vota simplicia, ex metu facta.

N. 80. DE VOTO CUM ERRORE, DOLO VEL IGNORANTIA FACTO.

I. *Error &c. circa substantiam irritat Votum.* II. *Etiam error vel ignorantia concomitans invincibilis, &c.* III. *Error accidentalis non impedit valorem Voti.* IV. *Nisi ad eam consensus restringatur.* V. *Error circa causam finalem impedit Votum.* VI. *Exempla.* VII. *De eo, qui dicit: si hoc scivissem non vovissem.*

UTRUM error, dolus & ignorantia votum reddant irritum?

I. R. Distinguendo: si error vel dolus seu deceptio, aut ignorantia sit circa substantiam voti, vel circa conditionem substantialem, sive circa accidens redundans in substantiam, aut circa causam finalem voti, impedit eatenùs valorem voti, quia per illas causas tollitur consensus directus requisitus.

Si interim error, deceptio vel ignorantia solùm sit circa partem materiæ quasi divisibilis, posset valere votum quoad alteram materiæ partem juxta ea, quæ dicentur num. 85.

II. Nota, quòd irritum sit votum, sive præfatus error, deceptio aut ignorantia, sit antecedens, sive concomitans: sive sit vincibilis sive invincibilis; sive culpabilis sive inculpabilis: quia semper deest consensus directus.

Observat tamen Suarez, cum errore vel ignorantia affectatâ quandoque votum subsistere, dum aliquod particulare ignoratum in universali vovetur: quo modo Novitii nolentes inquirere quædam particularia regulæ statuta, volunt vovere observationem totius regulæ.

III. Si error, deceptio, vel ignorantia sit tantummodo circa accidens aliquod, vel circa conditionem vel modum extrinsecum substantiæ voti, vel circa causam impulsivam tantùm, non impedit valorem voti.

IV. Nota tamen, votum quandoque non subsistere, quod fit cum errore vel ignorantiâ alicujus conditionis accidentalis, quando scilicet consensus restringitur vel suspenditur ab illa conditione, sive quando conditio illa est causa finalis voti, & quasi tota ratio formalis vovendi; nam deest tunc consensus, & illa conditio in casu non manet purè accidentalis, sed fit substantialis intentione voventis.

V. Hinc Canonistæ solent dicere: Error circa causam finalem impedit valorem voti, non sic error circa causam solùm impulsivam, occasionem, vel secundariam quamdam rationem: unde si votum & opus votivum eligantur per modum medii ad certum finem impetrandum, error circa finem illum erit substantialis: &

VI. Ita votum peregrinationis, ut pater, qui per errorem putabatur infirmus, liberetur à præsenti infirmitate, non obligat ob errorem causæ finalis.

Ex dictis sequuntur hæ resolutiones:

Votum dandi eleëmosynam Petro pauperi, qui non est pauper, invalidum est ob errorem causæ finalis.

Invalidum est votum ingrediendi Religionem, si vovens ignoret ibidem obligare abstinentiam à carnibus perpetuam, quia est error conditionis redundantis in substantiam ex intentione voventis.

Si Belga voverit peregrinationem Romanam, existimans distantiam esse solummodo 50 leucarum, votum non obligat, quia error est substantialis.

Si autem cognoscens distantiam & necessarium iter, erret solùm circa amœnitatem itineris, error reputabitur accidentalis, & votum validum.

An votum debet semper censeri invalidum defectu consensûs ex eo, quòd quis dicat: si hoc ante votum scivissem, non vovissem?

VII. R. Negativè: 1°. quia simile judicium provenit sæpe ex mutatione ipsius voluntatis, quæ post votum accidit. 2°. Deinde id dicitur quandoque ex levi causa; jam autem non præsumitur, quòd homo prudens in re gravi, ut est votum, mutasset animum ex levi causa. 3°. Tertiò idipsum sæpe ignoratur quid homo tunc facturus fuisset; unde nisi fuerit ignorantia circa substantialia, juxta supradicta, vel nisi actualis talis constitutio & dissensus adfuisse probetur eo tempore, quo votum emisit, dictum ejus non acceptatur; multi enim validè in religione professi non vovissent, si casus post occurrentes præscivissent.

N. 81. AN EXPEDIAT ALIQUID VOVERE?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 4.

I. *Votum est res consilii.* II. *Objectio.* III. *Non omnes ad Vota admittendi.*

I. RESP. Affirmativè; quia votum firmat voluntatem in bono, & cedit in utilitatem voventis; estque ex iis bo-niis, quæ dicuntur esse in consilio juxta illud Ps. 75. "Vovete & reddite Domino."

II. Obj. Non expedit se periculis peccatorum injicere: atqui vovens injicit se peccatorum periculis: ergo, &c.

Resp. Negando minorem: nam periculum peccati est valde remotum & extrinsecum, quod compensatur per majus bonum; sicut accidit in præceptis Ecclesiæ.

III. Prudenter interim votum fieri debet, & regulariter non nisi de concilio Confessarii aut viri prudentis, qui illud hominibus fragilibus vel propositi parùm tenacibus non consulet, nisi fortè ad tempus exiguum, ne laqueum illis injiciat; omnino etiam convenit, ut filiæ devotæ, vulgò Quæsulæ, cum voto castitatis simplici mansuræ in sæculo, priusquam admittantur ad votum perpetuæ castitatis, probentur per vota ad tempus primò brevius, deindè longius.

N. 82. UTRUM VOTUM SIT ACTUS LATRIÆ SIVE RELIGIONIS?

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 5.

I. *Votum est Actus Religionis elicitus.* II. *Executio sæpe est tantùm imperat.* III. *Objectio.*

I. RESP. Votum, sicut & executio voti est actus Religionis sive latriæ, quia ordinatur ad cultum & honorem Dei: vovendo enim, Deo damus ipsam promissionem; exequendo, rem promissam offerimus.

II. Votum ipsum est actus elicitus virtutis Religionis; executio voti sæpe tantùm est actus ejus imperatus, dum nempe actus iste elicitur ab alia virtute; & ita observatio castitatis ex voto est actus Religionis imperatus; oratio

verò ex voto præstita, est actus à virtute Religionis imperatus & elicitus simul.

An executio voti debet fieri ex imperio seu intentione Religionis?

Resp. Affirmativè; ut scilicet votum adimpleatur formaliter, & ut executio voti sit actus Religionis; adimpletur autem hoc modo implicitè, quando ideò quis ponit actum, quia eundem vovit.

Utrùm opus ex voto factum sit melius magisque meritorium quàm sinè voto? S. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 6.

R. Affirmativè; quia fit ex voluntate firmata in bono magisque subjecta Deo; & quia adjungitur bonitas virtutis Religionis ex voto; sicut & opus, quod fit formaliter ex obedientia melius est.

III. Obj. Votum inducit necessitatem, atqui Apostolus 2. ad Cor. 9. hortatur ut operemur non ex necessitate; "hilarem enim datorem diligit Deus;" ergo, &c.

R. Distinguo majorem: Votum inducit necessitatem obligationis, conc. maj.: inducit necessitatem illiberalitatis, neg. maj.: Apostolus autem agit de necessitate quadam coactionis, timoris ex respectu humano, exclusis animi liberalitate & gaudio.

N. 83. CUI FIAT VOTUM.

S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 5.

I. *Votum fit soli Deo.* II. *Votum latè dictum fit etiam Sanctis.* III. *Sensus verborum Professionis Relig.*

CUI fit promissio voti?

I. R. Votum propriè acceptum fit soli Deo: ratio est, quòd sit actus latriæ, juxta id Ps. 75. "Vovete & reddite Domino Deo."

Obj. Vota etiam fiunt Sanctis; ergo non soli Deo.

R. Negando ant. Si votum strictè accipiatur; sed votum quandoque largè & vulgariter accipitur; pro quo

II. Observa ex S. Th. q. 88. a. 5. ad 3. quòd licitè promissiones de quibusdam bonis operibus vel peregrinationibus fiant sanctis: verùm illæ promissiones eatenùs sunt actus duliæ, non latriæ.

Si autem talis promissio fiat soli Superiori, spectabit ad virtutem observantiæ.

III. Quem igitur sensum in Ordine Dominicanorum habent hæc voti Religiosi verba: Voveo Deo, B. Dominico, & omnibus Sanctis?

R. Plures sensus assignari possunt: nempè,

1. Quòd hæc professio contineat duos actus, unum, quo vovet Deo; alterum, quo promittit Sanctis: ponit autem S. Th. loco citato hos actus sibi subordinatos, ita ut promissio facta Sanctis sit materia voti, quod fit Deo, scilicet, ut voveat Deo, se impleturum quod promisit Sanctis. Juxta hunc sensum violatio talis voti videtur habere circumstantiam specialem in confessione exprimendam, nempè irreverentiæ contra Sanctos.

2. Dici potest, quòd in illis verbis non significetur promissio facienda Sanctis, sed quòd Sancti solummodò ut testes & patroni invocentur: ideò quidam Religiosi utuntur hâc formulâ: Voveo Deo coram Beata Virgine Maria, &c.

3. Sensus dari potest, quòd voveat Deo illa facere in honorem Sanctorum, quamvis illa non promittat Sanctis: sicut potest quis Deo vovere se daturum eleëmosynam Petro, licèt eam non promiserit nec promittat Petro.

N. 84. DE MATERIA VOTI.

S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *a.* 2.

I. *Materia proxima & remot.* II. *Materia debet esse bonum melius, &c.* III. *Quomodo morbi sint materia Voti.*

QUÆ est Materia voti?

I. R. Materia voti duplex est, proxima & remota.

Materia proxima est voventis actus vel omissio actûs: remota est res illa, circa quam actus ille vel omissio versatur.

II. Materia nempe proxima esse debet bonum melius, quod est in potestate voventis: proinde impossibilia, necessaria, illicita vel indifferentia & minus bonum non sunt materia voti, ita ut hujusmodi votum sit nullum defectu materiæ legitimæ: Stultum enim esset, ait S. Thom. si quis voveret se esse moriturum: id autem, quod est illicitum, sive peccatum, non est materia cultûs divini, quem votum includit.

Obj. Rectè fit votum de tolerandis morbis & injuriis: atqui morbi sæpe non sunt in potestate nostra; ergo materia voti non debet esse in potestate nostra.

III. R. Dist. cons.: ergo materia proxima non debet esse in potestate nostra; nègo conseq.: ergo materia re-

mota non debet esse in potestate nostra; conc. totum: verùm materia proxima non sunt morbi, sed actus virtutis patientiæ, &c. Solùm enim vovemus tolerare morbos & injurias patienter, fortiter, &c.

An actus præceptus potest esse materia voti?

R. Affirm.: quia potest esse bonum melius. Nota, quòd ille actus in hoc casu debeatur duplici titulo, ex obligatione præcepti scilicet & voti; & quod ejus omissio duplex contineat peccatum.

N. 85. AN VOTUM DE MATERIA

Cujus una pars est impossibilis vel illicita, aut aliter inepta voti materia, obliget quoad aliam partem, si illa pars sit apta materia voti?

I. *Si sit materia constans collectione partium.* II. *Materia indivisib.* III. *Nubens cum Voto castitatis.* IV. *De Voto non nubendi.*

RESP. Hoc pendet ex connexione partium, & ex intentione voventis. Igitur distinguo:

I. Si voverit quispiam illam materiam tanquam quoddam totum constans ex collectione vel multitudine partium vel actuum, non tanquàm totum aliquod indivisibile aut connexum, tenetur implere votum quoad partem materiæ legitimæ; quia in hoc supposito singulæ partes cadunt sub voto distributivè: proindè si quis voverit elargiri pauperibus centum florenos, tenetur 50 dare, quamvis non possit, aut licitè non possit reliquos 50 dare. Idem est in voto jejunandi centum diebus.

II. Si autem voverit aliquid tanquam unum totum moraliter, vel secundùm usum ordinarium indivisibile, ita ut partes sint connexæ inter se, vel in toto illo coadunentur, saltem ex intentione voventis, non obligabitur ad partem ex voto, si altera pars sit impossibilis vel illicita: hinc si quispiam voverit celebrare Missam pro aliquo, et non possit, non obligabitur vi voti communicare sacramentaliter pro eodem: similiter si voverit ædificare Templum, quod est ei impossibile, vel prohibitum, non tenetur ædificare Capellam in alio Templo.

III. Eadem distinctio servanda est, si post votum accidat, ut pars materiæ fiat impossibilis, illicita aut indebita; proinde si quis simplici voto castitatis obstrictus validum

contrahat matrimonium, tenetur post bimestre reddere debitum, nisi aliunde excusetur; sed votum eundem adhuc obligat, ut debitum non petat, nec quodcumque peccatum libidinis committat.

IV. Si quis cum solo voto non nubendi contrahat matrimonium, peccat contra votum, sed contracto matrimonio votum illud non impedit redditionem aut petitionem debiti conjugalis; mortuâ tamen comparte redit obligatio voti.

N. 86. AN VOTUM OBLIGAT

Quoad Substantiam, si modus aut accidens aliquod sit vel fiat impossibile vel illicitum?

I. *Votum obligat quoad substant. quamvis accidens fiat impossibile.* II. *Exceptio.* III. *Cessante Voto cess. accessorium.*

I. RESP. affirmativè: quia accidentalis defectus non impedit voluntatis consensum circa substantiam sive materiam principalem; & ita qui vovit ire Jerusalem genibus flexis, cùm modus ille sit impossibilis, tenetur proficisci alio modo.

II. Nisi iterum intentio voventis fuerit, se non obligare ad substantiam, nisi sub tali modo vel accidente: nam tota obligatio voti pendet à voluntate voventis, qui non connexa connectere potest, & consensum suum restringere potest ad conditionem accidentalem juxta dicta num. 80: præsumitur autem consensum suspendisse à modo, si modus ille notabiliter facilitet voti executionem; & ita si voverit peregrinationem instituere Romam mediante commoditate equi, judicabitur non voluisse se obligare, si commoditas illa deficiat.

Exemplum explicans utramque responsionem adducit S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. "Qui vovit monasterium aliquod intrare, ita ut intentio sua fuerit se obligare ad ingressum Religionis principaliter, & ex consequenti elegit hanc Religionem vel hunc locum, tenetur, si non possit ibi recipi, aliam Religionem intrare: si autem principaliter intenderit se obligare ad hanc Religionem vel hunc locum, si eum huc recipere nolunt, non tenetur aliam intrare."

III. Si materia sive substantia voti fiat impossibilis vel illicita, indifferens, &c. votum non obligat nec quoad sub-

stantiam, nec quoad accessoria vel accidentia; quia hæc non sunt promissa per se, sed solùm in ordine ad principalem materiam; nisi iterum aliud voluerit vovens; sic qui vovit peregrinationem, quæ redditur ei impossibilis, vel illicita, non debet expensas itineris tribuere.

N. 87. DE VOTO NON PECCANDI.

I. *Votum non peccandi mortalit. vel venialiter cum advert. obligat.* II. *Votum nunquam peccandi venialit. obligat. pro parte possibili.*

QUOMODO obligat actum non peccandi?

I. R. 1°. Votum nunquam peccandi mortaliter, vel non peccandi unquam ex plena deliberatione & advertentia venialiter, valet et obligat, quia est de meliori bono, quod est in potestate voventis cum gratia Dei ordinaria.

II. R. 2°. Votum nunquam peccandi venialiter obligat pro parte possibili ad vitandum venialia saltem plenè deliberata; non obligat pro parte, quâ in voto illo promittitur evitatio omnium venialium collectivè sumptorum, quæ ex surreptione committuntur; quia in tantùm votum est de re impossibili extra casum gratiæ extraordinariæ: videtur tamen votum non peccandi venialiter in particulari materia, ne quidem ex surreptione, posse validè fieri, quia illud est possibile; & ita Religiosi aliique obstricti voto simplici castitatis per motum secundo-primum, videntur agere etiam contra votum suum venialiter.

N. 88. VOTUM DE RE MALA.

I. *Votum de malo quatenus malo est invalid.* II. *Votum potest esse validum quando malum se habet ex parte operantis, non operis.* III. *Votum Religionis, cum intentione ut fiat Abbas, validum.*

AN votum de re mala potest obligare?

I. R. Votum de re sive opere ex se vel ex circumstantiis malo, quatenùs tali, non est validum nec obligatorium: quia res mala non est materia voti.

Si autem opus sit virtualiter duplex propter duos fines disparatos, bonum & malum simul, quatenùs bonum est, poterit esse materia voti.

II. Similiter votum obligare poterit quoad substantiam operis promissi, si finis sive circumstantia mala, separabilis ab opere, concurrat solùm velut finis vel circumstantia operantis, non tanquam finis operis promissi.

Est autem aliquid finis operis promissi, quando illud opus eligitur tanquam medium ad malum finem, vel per intentionem refertur ad malum tanquam ad conditionem sine qua non vult vovere, & à qua suspendit consensum voluntatis.

III. Ex his resolve, validum esse votum in Religione emissum cum hac mala intentione voventis, ut fiat Abbas, ut lautè vivat, &c. quia indicatur finis operantis, non operis; cùm observatio castitatis & paupertatis ex se non conducant ad malos illos fines; supponitur vovens illa opera, promissa Deo, non elegisse tanquam pura media ad malum finem, sed tanquam præsuppositum simpliciter acceptasse.

Similiter judicandum de eo, qui ductus vanâ gloriâ vovet eleëmosynâm; aut si quæ fiat filia devota, ut honoretur.

E contra votum existimatur invalidum, si quis voveat centum florenos dare pauperibus, ut litem, quam novit esse injustam, lucretur; quia videtur illam pecuniæ dationem elegisse tanquam medium ad malum, scilicet ut per eam impetret à Deo lucrum injustæ litis.

Solet hìc inquiri: utrùm votum Jephte, Jud. 11. *fuerit validum & licitum?*

I. *De Voto Jephte.*

I. RESP. S. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. quòd Jephte in vovendo fuerit stultus, & in reddendo impius. Quidam tamen variis modis eum excusant pro parte saltem. Vide Wiggers de voto dub. 11. & Sylvium. Inter cæteros Lyranus existimat Jephte non verè occidisse filiam suam, sed eam tradidisse seu consecrasse ad perpetuam castitatem, quæ est mors civilis: verùm huic opinioni repugnant SS. Patres.

N. 89. DE VOTO ILLICITO ET SIMUL VALIDO.

I. *Votum illicitum & validum.* II. *Regula generalis.* III. *Votum contra Legem.* IV. *Votùm contra prius votum.* V. *Votum contra præceptum Superioris.* VI. *Votum prodigum est invalidum.* VII. *Gravatus debitis vovet invalidè.*

I. AN votum aliquod potest esse illicitum & simul validum?

R. Affirmativè: hoc nempè sensu, quòd ipse actus voti sub certa ratione sit malus, ita tamen ut ex parte objecti seu actûs promissi sit licitus & de meliori bono; hinc qui imprudenter & inconsultò vovet castitatem, illicitè sed validè vovet.

II. 2°. Responderi posset sub hac distinctione per modum regulæ: si actus promissus sive materia voti sit illicita, aliterve materia inepta voti, votum semper est invalidum & illicitum; si autem res sive actus promissus seu actus executionis voti sit licitus & de meliori bono, potest votum esse validum, quamvis votum sive actus voventis fortè sit malus: quia illud votum secundùm objectum suum seu actum promissum, est gratum Deo & ita acceptatur à Deo.

III. Ex his conclude invalidum esse votum de actu, qui est contra præceptum vel legem obligantem.

IV. Similiter invalidum esse votum posterius, quod in eadem materia fit contra votum validum anterius, vel contra præcedens juramentum aut promissionem, aliasve obligationes veras & subsistentes, nisi in prioribus obligationibus exceptio voti subintellecta fuerit. Ratio horum omnium est, quòd hujusmodi vota sint de peccato committendo.

An igitur votum jejunandi, contra præceptum Superioris, est invalidum?

V. R. Distinguendo: si Superior prohibuerit jejunare justo præcepto, votum est illicitum & invalidum: si Superior solùm prohibuerit vovere, sed non prohibuerit jejunare, votum potest esse validum, quamvis illicitum, quia materia voti est jejunium non prohibitum; nisi fortè prohibitio Superioris fuisset irritans votum.

VI. An votum prodigum, sive votum de donatione prodiga, est validum & obligatorium?

R. Affirmat Daelman; sed rectiùs negatur, quia opus promissum, nimirum donatio prodiga, est illicitum.

Nec obstat, quòd promissio prodiga homini facta fortè obliget, quia donatio prodiga potest esse utilis alteri homini, & eatenùs ab eodem acceptari potest promissio prodiga; sed donatio prodiga, utpotè mala, non est materia cultûs divini; ergo à Deo promissio talis non acceptatur.

VII. Denique conclude: si quispiam gravatus debitis faciat votum reale in præjudicium suæ familiæ vel creditorum, illud esse invalidum.

N. 90. VOTUM DEBET ESSE DE MELIORI BONO.

I. *Datur ratio conclusionis.* II. *Disparitas. Votum inter & Juram.* III. *Sensus conclusionis.* IV. *Bonum dicitur melius duplicit. in se vel respectiv.* V. *Actus bonus qui non est materia Voti.* VI. *Objectio.* VII. *Sufficit alterutrum: melius in se vel respectivè.* VIII. *Ut Votum sit validum & licitum.*

I. PROBATUR, quia si votum, quod non est de meliori bono, esset validum, hoc votum obligaret & excluderet seu tolleret potestatem & aptitudinem licitam ad opus melius oppositum: talis autem potestatis ablatio non cedit in gloriam Dei, sed contra; ergo non acceptatur à Deo.

Obj. Juramentum non debet esse de meliori bono, ergo nec votum.

II. R. Distinguo ant. Juramentum soli Deo factum non debet esse de meliori bono, nego ant. juramentum homini factum non debet esse de meliori bono, concedo ant. & nego consequentiam: ratio disparitatis est, quòd tale juramentum acceptetur ab homine tanquam sibi utile: sed votum de minori bono non acceptetur à Deo.

III. Quo sensu debet esse de meliori bono?

R. Hoc sensu, quòd actus promissus, sive materia proxima, quæ promittitur, debeat esse bonum melius, quàm ejus oppositum, sive contradictorium, seu ejus pura negatio; id est, melius sit illud agere, qùam non agere illud: si autem è contra oppositum sit melius, tunc votum de opposito erit validum.

Actus non excludit per se nisi suum contradictorium; si verò per accidens excludat bonum aliquod melius, hoc

non impedit valorem voti: quâ ratione valet votum orationis vocalis, licèt fortè excluderet contemplationem meliorem: melius enim est orare vocaliter, quàm sic non orare, sepositis aliis omnibus considerationibus.

Quotupliciter dicitur hic aliquid esse bonum melius?

R. Dupliciter, 1°. "in se," 2°. "respectivè"

IV. Bonum melius "in se" sive absolutè, est v. g. castitas, juxta Apostolum I. ad Cor. 7. Bonum melius "respectivè," scilicet, respectu voventis, est v. g. matrimonium respectu ejus, de quo dicit Apostolus I. ad Cor. 7. v. 9. "melius est nubere quàm uri;" quod votum Deus acceptat, in quantùm magis conducit ad salutem voventis.

V. An ergo omnis actus bonus non est materia voti?

R. Non est, nisi contineat bonum melius in se, vel respectivè, secundùm supra dicta. Ita sedere ad telonium potest esse actus bonus; sed per se non est materia voti.

VI. Obj. Minus bonum potest continere actum virtutis Deo gratum: ergo votum illius erit gratum Deo & validum.

R. Conc. ant. nego conseq. Quia votum illud contineret directè obligationem excludentem potestatem licitam faciendi bonum melius, & ista obligatio non potest esse grata Deo: igitur aliud est omittere bonum melius, aliud directè obligari ad illud omittendum.

VII. Observa 1°. ad valorem voti sufficere, per se loquendo, quòd illud fiat de bono meliori "in se," quantumvis illud bonum non esset bonum melius "respectivè;" & ita is, cui melius esset matrimonio copulari, validè vovebit perpetuam castitatem, sed illicitè: sic validè professus est Religiosus, cui melius fuisset non ingredi Religionem.

VIII. Ut autem votum sit validum & simul licitum, requiritur ut bonum promissum sit melius respectu voventis.

Observa 2°., quòd duo objecta contradictoria non possint ambo esse de meliori bono in se; unum tamen potest esse bonum melius in se, & aliud bonum melius respectivum.

N. 91. VOTUM DE ACTU INDIFFERENTI.

I. *Respondetur disting.* II. *Votum non nendi in honorem B. M. V. est vanum.* III. *Vota invalida.* IV. *Votum nunquam vovendi.* V. *Compendiosa repetitio.* *Ex V. causis materia Voti dicitur inepta.*

AN votum de actu indifferenti potest esse validum?

I. R. Votum de actu indifferenti, quatenùs tali, non est validum, quia certè non est de meliori bono.

Si tamen actus ex specie sua indifferens referatur in individuo ad finem bonum proportionatum & voti capacem, v. g. votum scribendi ad utilitatem Ecclesiæ, est validum.

II. Dixi, "ad finem proportionatum:" nam ex defectu hujus votum non nendi die Sabbati in honorem B. M. V. est vanum & invalidum: quia omissio illa non est proportionata seu referibilis proximè ad honorem B. M. V., destituta alio fine proximo: hinc dicit S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3. "Vota quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quàm servanda."

III. Similiter quantumvis edere, bibere, ludere, ambulare, se calefacere, &c. quandoque honestè fiant, non solent tamen esse materia voti, quia abstinentia ab illis ex se melior esse solet.

Ulteriùs conclude, votum nunquam vovendi, vel non ingrediendi Religionem, per se non esse validum, quia oppositum est per se melius.

IV. Votum nunquam vovendi nisi ex consilio Confessarii, factum ab illo, qui imprudenter vovere solet, potest esse validum quoad modum talem: si interim iste faceret votum de bono alio meliori absque consilio Confessarii, validum, quamvis illicitum, foret; nam hoc secundum votum non est contrarium primo in eadem materia, sive quoad actum promissum, sed quoad modum tantùm; nam in secundo voto non vovet vovere sinè consilio Confessarii; hoc enim esset invalidum.

V. Collige ex prædictis, quinque ex causis provenire, quòd aliquid non sit apta materia voti; 1°. quia est impossibile; 2°. quia est necessarium; 3°. quia est illicitum; 4°. quia est indifferens vel inutile; 5°. quia non est bonum melius.

N. 92. PECCATUM VOTI ILLICITI.

I. *Vovere peccatum mortale, est peccatum mortale.* II. *Item vovere peccatum veniale.* III. *Objectio.* IV. *Votum de materia inepta.* V. *Qualiter peccet fictè vovens.* VI. *Quem pœnitet Voti.*

QUANTUM peccatum est vovere Deo rem malam?

I. R. Vovere peccatum mortale, est peccatum mortale contra Religionem; insuper, si adsit voluntas implendi, adjungitur aliud peccatum mortale istius speciei, in qua res illa dicitur mala.

II. Vovere peccatum veniale, probabiliùs juxta Suarez, Wiggers, Van Roy, etiam continet peccatum mortale contra Religionem: ratio est, quòd hæc vota contineant quamdam superstitiosam irrisionem Dei, aut aliquando blasphemiam, dum quispiam vult Deum honorare per illud, quod eidem convenire non potest.

Notat La Croix, quòd ejusmodi vota in malis potiùs debeant censeri esse juramenta.

III. Obj. Peccatum veniale est materia levis; ergo votum de illo est leve peccatum.

R. Dist. ant. peccatum veniale est materia levis secundùm se, concedo ant. peccatum veniale, ut offerendum in Dei cultum, est materia levis, nego ant. sicuti grave peccatum continet & blasphemiam, asserere, quòd peccatum veniale sit Deo gratum.

IV. Circa votum de actu indifferenti videtur idem dicendum.

Generatim emittere votum de materia inepta sive incapaci voti, de qua numeris præcedentibus, est peccatum ut minus veniale, propter volitionem cultûs non convenientis & quasi superstitiosi.

Supponitur in responsionibus præmissis, quòd vovens sciat, materiam sui voti esse ineptam & incongruam; si enim cum bona fide vel ex ignorantia putet votum suum esse de meliori bono, eatenus à peccato excusari poterit.

V. Qualiter peccat vovens fictè, absque intentione vovendi vel se obligandi?

R. Cum iste non faciat verum votum juxta dicta num. 76 & 77. illa fictio non respicit Deum; non enim intendit Deum decipere, sed homines: hinc peccabit quandoque venialiter, quandoque mortaliter, secundùm quòd deceptio ejusque circumstantiæ sunt leves, vel graves: fictè faciens

professionem in Religione, peccat graviter, propter deceptionem Superiorum & statutum Ecclesiæ.

VI. An peccat si, quem pœnitet voti facti, sic tamen, ut quia vovit, velit omnino implere votum suum?

R. Solent similes actus esse otiosi & nocivi devotioni: verumtamen eosdem à peccato mortali esse immunes indicat S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 6. ad 2. & Sylvius eosdem aliquando à toto excusat.

N. 93. DE OBLIGATIONE VOTI.

I. *Est obligatio Religionis.* II. *Scrupulosorum commentum.* III. *Voto conjungi potest promissio humana.* IV. *Ex Voto simplici solo non acquiritur Jus hom.* V. *Quantitas obligationis Voti.* VI. *Votum in materia gravi sub levi.* VII. *Objectio.* VIII. *Conclusio practica.* IX. *Votum in materia gravi sub levi.* X. *An finis Voti vel modus cadant sub obligatione Voti.*

QUIS est effectus voti?

I. Effectus voti intrinsecus & formalis est obligatio in conscientia, supposità Dei acceptatione, quæ invisibiliter semper consequitur, si cætera requisita ad votum adsint.

Qualis est obligatio voti?

R. Est obligatio directè solius virtutis Religionis, continens fidelitatem & quamdam ad Deum justitiam genericè; & ita violans votum jejunii non præcepti, peccat contra Religionem, non contra temperantiam.

II. Proinde scrupulosorum commenta sunt, quando se per votum obligare volunt sub peccato hæresis, blasphemiæ, &c. quia per votum nemo sibi potest imponere obligationem nisi Religionis; aliter quàm accidit in condendis legibus, Suarez. c. 3. n. 9.

III. Observandum, quòd votum aliquod, v. g. dandi eleëmosynam Ecclesiæ vel pauperi, quandoque ita fiat Deo, ut simul promissio dirigatur ad hominem quempiam; quo acceptante, jus quoddam acquiritur Ecclesiæ vel pauperi ex illa promissione humana, ex qua vovens cogi potest actione justitiæ in foro externo.

Potest autem quilibet homo promissiones similes, quæ fiunt ad causas pias, acceptare, dummodo ad ipsum promissionis verba dirigantur.

IV. Si autem cum simplici voto, v. g. dandi eleëmosynam, nulla alia promissio vel obligatio concurrat, exurgit

obligatio ad Deum, sed Ecclesia, vel pauper nullum jus acquirunt ex illo voto simplici, neque datur actio in foro externo. Superior tamen tanquam pater, ne inferior peccet violando votum, potest eundem cogere ad voti impletionem.

Quanta est obligatio voti?

V. R. Regulariter loquendo, in materia gravi est gravis, in materia levi levis est.

Illa autem materia habetur gravis respectu voti, quæ censetur gravis respectu præcepti Superioris, & sicut materia legis, sic materia voti dupliciter dicitur esse gravis, scilicet vel in se, vel ex fine aut circumstantiis.

An vovens in materia gravi potest se obligare dumtaxat sub levi?

VI. R. Affirm. Ratio est, quòd tota obligatio voti dependeat à voluntate voventis. Excipe vota professionis Religiosæ vel similia, quibus Ecclesia annexuit obligationem gravem, & quæ fiunt etiam superiori acceptanti. Billuart, pag. 187.

VII. Obj. Juramentum in materia gravi semper obligat sub gravi, quamvis jurans vellet se tantùm obligare sub levi; ergo a pari, &c.

R. Disparitas est, quòd obligatio juramenti non ita originaliter dependeat à voluntate jurantis; nam obligat factum sinè voluntate se obligandi; attento, quòd primarius effectus ejus non sit obligare, sed confirmare veritatem divino testimonio.

Supponitur, quòd vovens expressè noluerit se obligare sub gravi, si enim circa obligationem nulla sit facta restrictio, judicabitur voluisse se obligare secundùm exigentiam materiæ gravis vel levis.

VIII. Practicè interea licebit concludere cum Suarez, & Billuart t. 4. p. 187. votum illud non obligare sub gravi, quia vel votum illud solùm obligabit sub levi, vel votum erit invalidum & nullum defectu voluntatis sufficientis se obligandi, juxta dicta num. 77.

An similiter vovens in materia levi potest se obligare sub gravi?

IX. Resp. Neg. quia materia levis non est capax gravis obligationis, nec Deus acceptat voluntatem talem irrationabilem. Idque notandum pro scrupulosis, qui sæpe in rebus exiguis videntur voluisse se obligare sub gravi.

Quomodo materia dicatur gravis à dignitate, quantitate, & ex fine, explicatur in Tractatu de Legibus.

X. An finis voti vel modus operis cadant sub obligatione

voti, resolvi debet sub distinctione simili, quâ resolvitur in Trac. de Legibus hæc quæstio: An finis vel modus operis præcepti cadant sub præcepto, id hic notandum, quòd sola voluntas voventis possit efficere, finem aliquem esse voto intrinsecum.

N. 94. DE OBLIGATIONE VOTI DUBII.

I. *Dubius de Voto obligat.* II. *Objectio.* III. *Quid aget dubius de suo Voto in materia dubiè illicita.* IV. *Casus aliqui.* V. *Casus.* VI. *Dubium circa accidentalia.*

AN dubitans de valore voti sui, tenetur illud observare?

R. Tenetur tam in dubio facti, quàm in dubio obligationis: dum observatio voti licita est, & dubium fundatum. Ratio est quòd dubitans, si non observat votum, exponat se periculo violationis voti. In hunc modum loquitur S. Thom. in 4. dist. 39. quæst. 1. a. 3. ad 6. "Si dubitet quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere ne se discrimini committat." Hanc responsionem defendit Sylvius in 2. 2. q. 88. a. 1. contra probabilistarum opinionem.

II. Probabilistarum opinio innititur præcipuè huic fundamento, quòd melior sit conditio possidentis: atqui dubius de facto voto manet in possessione suæ libertatis; ergo in dubio non obligatur voto, sed manet liber.

R. Neg. min. quia eo ipso, quo est dubius de valore voti, simul necessariò dubius est, an jam adhuc possideat libertatem à voto; nam axioma illud debet intelligi de possessore certo.

Deinde insulsè admodùm illud axioma adducitur in dubio voto, quasi possessio, consuetudo vel præscriptio valeret contra Deum & jus divinum.

III. Quid aget dubius de voto, quando ipsa adimpletio voti est dubiè illicita?

R. Non potest adimplere votum, nec illud transgredi: si autem necessitas alterutrum agendi urgeat, eligere oportet illud, in quo est minus periculum mali, donec obtineatur superioris interpretatio vel dispensatio.

IV. Præmissæ conclusiones agunt de voto dubio ex rationabili causâ, non ex scrupulo vel timiditate: si enim quispiam timoratæ conscientiæ proponens aliquid exequi, mox dubitatione anxiâ pulsetur, utrùm illud non voverit;

judicabitur non vovisse, quia si deliberatè vovisset, certus esset de voto.

V. Quispiam jam, antea nunquàm, incipit dubitare, utrùm à tribus annis non fecerit votum?

R. Est scrupulus.

Quispiam per tres annos aliquid observavit tanquam ex voto debitum, sed jam incipit dubitare?

R. Judicandum pro voto; id autem nonnunquam accidit in quæsulis, dum occasio Matrimonii favorabilis subvenit.

VI. Ubi certitudo est de voto, sed dubium de ejus accidentibus, qualiter vel quomodo votum sit præstandum, dicatur obligare votum secundùm communiter accidentia & conditiones materiæ: sic

Votum jejunandi uno die intelligitur secundùm formam jejunii Ecclesiastici; vovens dare calicem, debet dare saltem argenteum, quia talem requirit communis usus, &c. Billuart tom. 4. pag. 201.

N. 95. DE PECCATO VIOLATIONIS VOTI.

I. *Violatio Voti est peccatum contra Religionem.* II. *Violatio Voti est ex genere suo peccatum mortale.* III. *Ex levitate materiæ veniale.* IV. *Exemplum.* V. *An maj. peccatum est agere contra Votum an contra præceptum.* VI. *Casus.* VII. *Materiæ coalescunt.* VIII. *Votum de Orat. vel eleëmosyna quotidiana.* IX. *Votum Actuum non coalescentium.* X. *Objectio.* XI. *Materiæ Votorum disparatorum non coalescunt.* XII. *Casus.* XIII. *Renovat. Voti non inducit novam obligat.* XIV. *Opus voti requirit intentionem satisfaciendi Voto.*

QUALE peccatum est violatio sive transgressio, seu non adimpletio voti?

I. R. Est peccatum contra Religionem, continens infidelitatem & perfidiam in Deum. S. Thom. quod lib. 3. a 12. refert illud ad peccata contra primum Decalogi præceptum; Catechismus Romanus collocat inter peccata secundum præceptum Decalogi.

Violatio voti aliquando vocatur sacrilegium, quia ipsum votum, quod violatur, est quædam res sacra.

Nota: quantumvis inter Doctores aliqui (Billuart t. 4. p. 190, &c.) doceant transgressiones votorum in diversis materiis esse peccata ejusdem speciei, v. g. transgressio voti castitatis, & transgressio voti jejunii; unanimiter tamen

docent, differentiam illam materiæ voti in confessione esse exprimendam, ut cognoscantur peccatorum gravitas, circumstantiæ, &c.

Nemo interim potest sibi vovendo, aliam obligationem injicere, quantumcumque vellet, nisi Religionis directè: prout dictum est num. 93.

Quantum peccatum est violatio sive transgressio voti?

II. R. est ex genere suo peccatum mortale. Probatur ex Apostolo 1. ad Tim. 5. dicente de transgressoribus voti: "habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt."

III. Hinc regulariter loquendo, violatio voti in materia gravi est peccatum mortale, in materia levi est peccatum veniale, etiamsi illa foret materia voti totalis: dico "regulariter," quia secundùm supra dicta num. 93. posset vovens in materia gravi se obligare sub levi.

IV. Quispiam ex voto obligatur jejunare die aliquo, peccat mortaliter si plures refectiones sumat, venialiter si exiguum accipiat: conformiter sicuti peccatur in violatione jejunii Ecclesiastici, secundùm quam eandem formam censetur jejunium vovisse.

Utrùm sit peccatum majus, agere contra votum, an agere contra præceptum in eadem materia cæteris paribus?

V. R. Distinguendo: si actus præceptus sit dignioris virtutis, quam sit virtus Religionis, est majus peccatum agere contra præceptum; si actus præceptus sit inferioris virtutis, est majus peccatum agere contra votum; sic violans votum jejunandi, graviùs peccat quàm violans jejunium Ecclesiasticum, quia virtus Religionis dignior est virtute abstinentiæ.

VI. Quispiam vovit non bibere vinum adustum, ne inebrietur; bibit autem exiguum: quæritur, quantùm peccaverit?

R. Distinguendo: si biberit absque periculo inebriationis, peccavit venialiter; si verò voverit ne quidem exiguum bibere aut gustare, quia idipsum sibi periculosum esse solet, peccavit mortaliter, quia res in se levis efficitur gravis ratione finis.

VII. Observa, quòd in violatione voti plures leves materiæ possint coalescere, sicuti plura parva in furto vel in violatione jejunii coalescere possunt.

VIII. An igitur is, qui vovit recitare quotidie semel Orationem Dominicam, vel in dies largiri unum quadrantem pauperibus, peccat mortaliter, si omittat anno integro?

R. Distinguendo: si voverit illa tanquam materiam mo-

raliter unam, v. g. hoc modo, ut, quod uno die omittet obligetur implere diebus sequentibus, peccabit tandem moraliter, dum satis voluntariè pervenerit ad materiam gravem.

Solent autem vota realia hoc modo communiter intelligi.

IX. Si verè voverit prædictos actus quotidianos tanquam actus disparatos divisim ac singulatim præstandos, omittendo non peccabit mortaliter, sed solùm venialiter in singulos dies vel actus: sicut peccatur venialiter, omittendo in dies unam Orationem Dominicam in Horis Canonicis. Imò si quis proponat toto anno omittere sic unam quotidie Orationem Dominicam, illud malum propositum continebit solummodò reatum tot venialium, quot sunt dies.

X. Obj. Illud votum recitandi in dies orationem respicit materiam gravem; ergo obligat sub gravi.

R. Neg. ant. sed votum illud virtualiter multiplex habet plura objecta levia non coalescentia.

XI. Similiter materiæ votorum disparatorum non solent coalescere; ita materia orationis non coalescit cum materia voti jejunii vel eleëmosynæ; nisi fortè tanquam partes ad eundem finem referantur & voveantur, v. g. ad satisfactionem notabilem pro peccatis; hoc modo enim coalescere possunt in ratione satisfactionis Sacramentalis.

XII. Quid resolvendum de his casibus obviis: quispiam vovit persolvere novenam ad S. Antonium, vel etiam vovit hebdomadatim recitare integrum rosarium, ita ut singulis diebus partem persolvat?

R. Dicendum, quod partes omissæ coalescant, quia promissæ sunt tanquàm partes totalis novenæ vel rosarii per hebdomadam.

XIII. An iteratio, seu renovatio voti ejusdem, qualis à quibusdam præstari solet annuè in Epiphania Domini, addit novam obligationem?

R. Neg. solummodo enim intendunt eandem obligationem renovare & ratificare. Sylvius quidem existimat obligationem in eadem specie augeri, si intendat renovans; sed obstat, quòd vovens non possit obligationem facere ultra materiam voti, secundùm dicta num. 93.

An opus voto promissum fieri debet ex intentione satisfaciendi voto?

XIV. R. Requiritur talis intentio saltem virtualis vel implicita; nam absque tali intentione opus non erit forma-

liter opus voti, neque actus Religionis ex vi voti, qui modus tamen intrinsecus est obligationi.

Hinc à fortiori conclude, non satisfieri obligationi voti, ponendo opus cum positiva voluntate non satisfaciendi voto.

N. 96. DE OBLIGATIONE VOTI PŒNALIS.

I. *Votum pœnale triplex.* II. *Votum pœnale disjunct.* III. *Votum purè pœnale.*

I. TRIPLICITER votum dicitur esse pœnale, copulativè, disjunctivè, & purè pœnale.

Votum pœnale "copulativè" obligat absolutè ad rem promissam, & conditionatè ad pœnam. Et ita qui emisit votum audiendi diebus Sabbati Missam sub pœna dandi solidum pauperibus, tenetur in conscientia audire Missam, & si Missam omittat, peccat mortaliter, ac insuper tenetur elargiri solidum, alioquin superaddet secundum peccatum veniale; quia est votum pœnale "copulativè" obligans ad utramque partem.

II. Votum "disjunctive" pœnale obligat ad alterutrum; v. g. si quis voveat audire Missam vel dare solidum pauperibus, potest omittere Missam; sed tunc obligatur dare solidum, aliàs peccabit.

III. Votum "purè" pœnale obligat ad solam pœnam solvendam tum, dum vovens eam incurrerit: v. g. si quis voveat eleëmosynam quotiescumque se inebriaverit, secutâ ebrietate obligatur ad eleëmosynam promissam.

N. 97. AN EA QUÆ FIUNT CONTRA VOTUM, SINT VALIDA ET FIRMA.

I. *Quædam sunt valida contra Votum facta.* II. *Quædam invalida.*

I. RESP. distinguendo: aliquando sunt valida, quando actio, quæ fit contra votum, producit effectum alterius conditionis & valoris, & ita res, per votum simplex promissa Deo, validè donatur alteri, quia votum simplex non tollit nec transfert dominium rei, quod per donationem transfertur; simili modo validum est Matrimonium contractum contra votum simplex castitatis, vel non nubendi; non ta-

men post votum solemne castitatis, quia hoc continet traditionem.

II. Aliquando ea, quæ fiunt contra votum non sunt valida, quando actio contraria voto continet solummodo obligationem ejusdem conditionis de eadem re: sic promissio nubendi, sive sponsalia, post votum non nubendi, sunt invalida. S. Thom. 4. d. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1.

CASUS POSITIO.

I. *Obligatio Voti comparata ad oblig. Justitiæ.*

I. QUISPIAM obligatur ex voto dare mille florenos; sed ante traditionem suboritur obligatio restitutionis faciendæ, vel similis obligatio justitiæ commutativæ ex contractu, &c. ipse autem non est sufficiens utrique obligationi implendæ: quæritur, utri obligationi, an voti, an justitiæ, primò satisfieri debeat?

R. Primò fieri debet restitutio & solutio debitorum justitiæ; non ideo præcisè quasi obligatio justitiæ sit major obligatione voti: sed ob mutationem materiæ voti: nam eo ipso, quo summa illa pecuniæ debetur alteri ex justitia modo præfato, desinit esse materia legitima voti.

Si verò summa illa, post votum simplex, promitteretur dumtaxat, vel legaretur alteri absque traditione, priùs debet satisfieri voto; quia promissio posterior est invalida.

N. 98. QUINAM OBLIGANTUR VOTO?

I. *Votum personale obligat directè solum voventem.* II. *Ex voto reali & mixto potest alius obligari.* III. *Hæres tenetur Vota realia adimplere.* IV. *Testator fecerat Votum mixtum, tenetur hæres ad reale.* V. *Objectio.* VI. *Testator mandaverat hæredi adimplere Vota personalia.*

I. RESP. Ipse vovens solus directè obligatur voto; non alii, nisi alii tituli interveniant.

An igitur unus non potest obligari voto alterius?

R. Nullus obligatur voto personali alterius, neque voto mixto alterius, quatenùs personale est, quia eatenùs votum afficit actum solius personæ voventis.

II. Unus potest obligari ex voto alterius reali & mixto pro parte reali ad præstandam rem debitam, in quantùm res illa transit ad ipsum cum onere illo.

An obligatio voti transit ad hæredes?

R. Juxta dicta, obligatio personalis non transit ad hæredes.

III. Sed ex voto reali devolvitur quædam obligatio ad hæredes; nam hæreditas sive res transit cum onere suo, sicut onus cæterorum debitorum realium, etiam ex promissione sola testatoris, transit ad hæredes: est autem illa obligatio Religionis & justitiæ cujusdam in hærede ratione rei acceptæ cum tali onere; nam res obstricta erat ex voto, & concurrit etiam in hærede implicitum pactum eo ipso, quo adit hæreditatem habentem illud onus.

Imò ipse testator non potest ab illo onere liberare hæredem, sicut seipsum ab illo reali debita liberare non potest; proinde hæres non adimplens illud reale, peccabit contra Religionem & justitiam.

Hinc resolve casum sequentem: Testator voverat instituere peregrinationem ad S. Mariam Aspricollensem, ibidemque donare lampadem argenteam: quæritur ad quid teneatur hæres?

IV. R. Tenetur hæres dare lampadem, peregrinationem verò præstare non debet, ne quidem expensas itineris, quas testator fecisset; quia expensæ illæ sunt quid accessorium respectu voti personalis peregrinationis; cessante autem principali cessat purè accessorium.

V. Nec obstat Capitulum, "Quod super his," Quia Papa ibidem non interpretatur voti istius obligationem, sed illud commutat in onera realia.

VI. Quid si testator in lecto mortis mandaverit hæredibus, ut persolvant orationes & peregrinationes, quas debebat ex voto personali, an hæredes obligantur?

R. Si hæredes acceptaverint, obligantur evidenter ex fidelitate: & probatur ex cap. *licet* de voto.

Si non acceptaverint, non obligantur, nisi in quantùm moriens poterat eos mandato suo (etiam extra casum voti) obligare in materia illa post mortem. Item si testator sub ea conditione reliquerit hæreditatem voluntariam, non necessariam, hæres eam acceptans tenetur conditionem adimplere.

N. 99. VOTUM DE ACTU ALTERIUS.

I. *Votum de Actu alieno potest esse validum.* II. *Votum personale non potest impleri per alium.* III. *Votum communitatis obligat posteros.*

AN potest quis facere votum de actu præstando ab alio?

I. R. Responsio affirmativa admitti potest in certo sensu, in quantùm scilicet ille actus alterius est in potestate voventis tanquam mandantis, consulentis, &c. obligatur autem vi voti actum illum mandare, consulere, &c. Ita, qui vovit obsequium famuli sui in Ecclesia, debet illud mandare famulo.

An votum unius potest impleri per alium?

R. Votum quatenùs reale est, per alium impleri potest hoc sensu, quòd res materialis ex voto debita ab alio præstari possit & aliquando debeat juxta dicta num. 98.

II. Votum quatenùs personale est, non potest impleri per alium, quia eatenus respicit proprium actum voventis, nisi fortè disjunctivè vovisset similem actum persolvendum per se vel per alium; sed tum votum illud non est purè personale.

Quomodo votum olim à communitate emissum, v. g. de instituenda processione annua, obligat posteros?

R. Inter plures responsiones, quas refert Suarez, præferenda est hæc, quòd illud votum non obliget directè posteros, ita scilicet ut vi voti formaliter obligentur; nam posteri supponuntur non vovisse.

III. Obligantur tamen vi legis cujusdam, quam communitas vovendo assumpsit, & sic posteri obligantur quamdiu illa lex ad posteros prorogatur: requirit interim Suarez, ut authoritas Episcopi legem confirmantis concurrat; modò enim in Ecclesia cura ordinandi cultum divinum reservata est Prælatis Ecclesiæ.

Ex quo deducitur, quòd talis lex possit ab Episcopo abrogari, ita ut posteri, qui non voverunt, liberentur ab obligatione.

N. 100. DE TEMPORE OBLIGATIONIS VOTI.

I. *Vota obligant tempore determinato à vovente.* II. *Tempus potest adjici ad finiendam vel ad sollicitandam obligationem.* III. *Regula discernendi.* IV. *Dilatio impletionis Voti.* V. *Prævidens impedimentum Voti implendi debet prævenire.* VI. *Generalis. resolutio.*

PRO quo tempore obligat votum?

I. R. Cum S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3. quòd obliget pro tempore per intentionem voventis explicitè vel implicitè determinato.

Si tempus non fuerit determinatum, illud prudentum judicio statuendum est secundùm materiæ & circumstantiarum conditiones: & ita vota negativa absoluta statim censentur obligare, vota affirmativa pro prima opportunitate. Item dicuntur vota negativa obligare semper & ad semper; vota autem affirmativa obligare semper, sed non ad semper; qui termini explicantur in Tract. de Legibus.

An votum tempore præfixo non impletum desinit obligare?

II. R. Distinguendo: si tempus voto adjectum sit ad finiendam obligationem, elapso tempore desinit obligare.

Si tempus præfixum sit ad sollicitandam obligationem, non desinit obligare, sed perseverat obligatio ad præstandam rem promissam; sicuti perseverat debitum pecuniarum tempore præfixo non persolutum creditori.

Unde discerni poterit, utrùm tempus adjectum sit ad finiendam obligationem, an aliter?

III. R. Practicè id aliquo modo discerni potest ex intentione voventis: si enim principaliter intenderit qualitatem temporis, v. g. diei Festi, finitur obligatio & transit cum ipso die; si principaliter intenderit opus ipsum, perseverat obligatio elapso tempore præfixo; hoc ultimo modo interpretari solemus vota realia.

IV. Dilatio autem adimpletionis voti potest esse notabilis & mortalis, ipsumque peccatum dilatione continuò augetur: hinc Deus Deuter. 23. v. 21. enuntiat: "cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum."

V. An is, qui prævidet obventurum impedimentum, ob quod implere non poterit votum, teneatur prævenire tempus impedimenti, & implere votum antequam impedimentum obveniat?

R. Si prævie currat tempus, in quo votum adimpleri potest, tenetur; sicut prævidens impedimentum recitandi horas Canonicas vesperi obventurum, tenetur prævenire vesperam.

VI. Generaliter cum S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. dicendum, quòd "vovens debeat facere, quod in se est, & dare operam, quantùm potest, ut votum impleatur," amovendo impedimenta; id enim fidelitas expostulat; & dum vovit, intendit sincerè agere & sinè fraude, quantum in se erat; atqui votum obligat secundùm intentionem, quam habuit, quando vovebat; ergo, &c.

Proinde qui affectant vel procurant, vel sinè causa voluntariè admittunt impedimentum, violatores voti esse convincuntur.

N. 101. DE VOTO CONDITIONATO.

I. *Conditiones quædam communes omni Voto.* II. *Conditio de præsenti vel præterito.* III. *Conditio suspensiva.* IV. *Regulæ, secundùm quas obligat Votum conditionatum.* V. *Demonstratur in exemplo.* VI. *Malitiosa imped. ponendæ condit. non tollit obligat.* VII. *Licita impeditio conditionis pœnalis.*

I. PRÆNOTANDUM, 1°. quòd omne votum includat conditiones aliquas generales, putà has: si res fuerit possibilis, si non mutetur, salvo jure Superiorum, &c. verùm exinde votum non vocatur conditionatum, quia sunt conditiones intrinsecæ omni voto.

II. Nota 2°.; votum cum conditione de præterito vel præsenti resolvatur in absolutum; mox enim valet, aut non valet.

III. Votum igitur vocatur conditionatum, quod fit sub conditione suspensiva cum particula *si*, vel æquivalente; pro quo statui solent hæ Regulæ:

IV. 1. Votum cum conditione suspensiva emissum, ante conditionem impletam non obligat ad exequendum promissum.

2. Obligat tamen ab initio ad habendam intentionem & propositum adimplendi, si conditio impleatur.

3. Votum illud adimpletâ conditione statim incipit obligare absolutè.

4. Si vovens malitiosè impediat impletionem conditionis licitæ voti purè conditionati, non pœnalis, peccat contra

votum, secundùm dicta numero præcedenti; quia infideliter agit, & contra intentionem primam sinceram.

V. Exemplum sit: Petrus vovit dare Ecclesiæ 1000 florenos, si soror ejus non contradicat; sed postea voti pœnitens studiosè procurat & obtinet, ut ipsa contradicat: quæritur an Petrus peccavit, & an est liberatus ab obligatione voti?

VI. R. Peccavit contra votum; nam quando vovit, ejus intentio (juxta quam obligat votum) fuit agere sincerè & sine fraude. S. Th. q. 88. a. 3.

Ad secundum quæsitum, respondet Suarez, eum liberari; sed rectiùs dicitur cum Sanchez, eum obligari secundùm verisimilitudinem conditionis ponendæ, si studiosè non impedivisset: nam in promissionibus humanis sic judicandum est juxta Legem 85. libro 45. Paragrapho 7.

Indubitatè interim Petrus obligatur, ut fraudem tollat & votum restituat in statu priori, si possit; & tum eventum conditionis expectet.

Si soror moriatur antequam contradixerit, votum obligat absolutè.

VII. Quando votum emissum est sub conditione pœnali, licitum est directè impedire positionem conditionis; ita qui vovit dare eleëmosynam si peccet, licitè vitat peccatum, ad vitandam pœnam.

Casus plures vide Billuart t. 4. p. 223.

Vovit quis dare pataconem, si omittat die Festo audire Sacrum?

R. Si omittat sine culpa v. g. ob infirmitatem, non tenetur dare pataconem, quia illud votum censetur pœnale, nec datur pœna sine culpa.

Vovit dare assem singulis vicibus, quibus jurabit, & postea inadvertenter id facit?

R. Tenetur dare, quia iste censetur vovisse assem dare non merè in pœnam, sed in medicinam, ut sic eradicaret consuetudinem, qui finis manet. Billuart 227.

N. 102. DIVISIONES VOTI.

I. *Explicatio Voti personal. realis & mixti.*

DIVIDITUR votum:

1°. In votum simplex, & solemne, (addunt aliqui) & solemnisatum:

2°. In votum expressum, & tacitum seu implicitum.

3°. In externum, & internum.

4°. In absolutum, & conditionatum, de quo actum est num. 101.
5°. In pœnale, & non pœnale, seu purum. Vide dicta num. 96.
6°. In perpetuum, & temporale,
7°. In reservatum, & non reservatum,
8°. In personale, reale, & mixtum.
Quodnam votum dicitur personale?
I. R. Quo promittitur solùm actio ipsius voventis: tale est votum orandi, jejunandi, peregrinandi, &c.
Votum reale est, quo promittitur res externa vel actio per alium exercenda, ut votum largiendi eleëmosynam.
Votum mixtum dicitur, quo utrumque promittitur: v. g. votum peregrinationis ad divam Virginem Hanswicanam, simul & offerendi nummum aureum.

N. 103. DE VOTO SIMPLICI, ET SOLEMNI.

I. *Votum simplex & solemne.* II. *Opinio opposita.* III. *Votum solemne continet promissionem & traditionem.* IV. *Objectio.* V. *Solemnitas Votorum solemnium.* VI. *Antiquitus fuerunt Vota solemnia.* VII. *Observatio pro intellectu antiquitatis.* VIII. *Diversitas sententiæ.* IX. *Conclusio practica.* X. *Votum Solemnisatum.* XI. *Votum in Societate Jes.*

QUOD votum dicitur simplex?
I. R. Quod continet nudam promissionem. Votum solemne dicitur quod continet & promissionem & traditionem. Hâc occasione quæritur,
An votum simplex & votum solemne differant speciè sive essentialiter, an solùm accidentaliter?
R. Id controvertitur: S. Thom. Sylvius, Gonet, Daelman, Billuart, qui differentiam essentialem astruunt, eam constituunt in eo quòd votum simplex in sola promissione consistat; votum autem solemne contineat & promissionem & donationem sive traditionem acceptatam in perpetuum; ferè sicuti sponsalia consistunt in sola promissione, Matrimonium verò continet traditionem.
II. Suarez, Wiggers, Van Roy, &c. sustinent votum solemne & simplex esse ejusdem rationis & energiæ intrinsecæ, solùmque differre ratione extrinsecæ solemnitatis & constitutionis Ecclesiæ suâ lege annectentis voto virtutem quamdam; & contra priorem sententiam.

Objiciunt: omne votum essentialiter est promissio; ergo votum solemne est solùm promissio, non traditio,

III. R. Neg. conseq. Quia votum solemne continet utrumque & traditionem rei & promissionem usûs, quod demonstrat. S. Thom. in 4. disp. 38. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. dicens; sicuti si aliquis fructum agri promitteret, & promittendo agrum daret: sic qui solemniter vovet castitatem, tradit potestatem sui corporis in præsenti, & promittit usum pro futuro, quamvis enim tradiderit dominium sui corporis, retinet adhuc usum corporis.

IV. Objicitur 2°. cap. unic. "de Voto" in 6. Bonifacius VIII. dicit, quòd voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa.

R. Pontifex loquitur non de solemnitate intrinseca voti solemnis, sed de solemnitate cæremoniali necessariò requisitâ, nimirùm Ecclesia constituit ritum & modum, quo votum solemne debet emitti, & absque observatione istius ritûs votum solemne non potest emitti, ita ut, si quisquam vellet facere votum solemne, non servato isto ritu, nihil efficeret, & hâc ratione solemnitas voti dicitur esse ex sola constitutione Ecclesiæ; quo modo hodie rectè dicitur, quòd solemnitas Matrimonii, ut contrahatur coram Parocho & testibus, sit ex sola constitutione Ecclesiæ, ita ut sine illa matrimonium attentatum sit hìc invalidum.

V. Solemnitas autem requisita ad vota solemnia castitatis, paupertatis & obedientiæ consistit in his, ut illa voto fiant in Religione approbata, cum acceptatione Superioris in perpetuum, & non ante ætatem annorum sedecim completorum, & non nisi post integrum probationis annum; alioquin professio decernitur esse nulla per Concilium Trid. sess. 25. cap. 15.

VI. Antiquitùs priusquam emanata esset hæc constitutio, erat etiam aliquis modus solemniter vovendi ab Ecclesia approbatus, ait S. Th. dist. 38. q. 2. art. 2. q. 3. ad 3. etiam à tempore Apostolorum S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. in c.

VII. Simul observa, quòd illo tempore inter Monachos vel Virgines cohabitantes quidam haberent vota solemnia castitatis, quidam vota simplicia, alii solum propositum: hoc supposito facilè intelliguntur dicta SS. Patrum, dum quandoque Virginibus vel Monachis concedunt validum Matrimonium, quandoque eis negant. Vide hæc latiùs deducta à Wiggers Tract. de voto cap. 4. dub. 17.

VIII. Nota quòd Patroni prioris sententiæ cum S. Thom. doceant, votum solemne castitatis dirimere Matrimonium

contrahendum jure naturæ, quia quod validè donatum est Deo & Religioni, non potest validè dari alteri. Hanc sententiam pluribus argumentis confirmat Gonet de Matrim. disp. 9. a. 2. & Sylvius in 2. 2. q. 88. a. 7.

Oppositam sententiam satis nervosè defendit Wiggers.

IX. Practicè interea certum est, quòd circumstantia voti solemnis in confessione peccatorum contra illud commissorum, exprimenda sit, cùm peccata contra illud sint graviora, ait S. Th. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 1.

X. Votum castitatis, quod in susceptione Ordinis Sacri implicitè omittitur, est votum "simplex," quia tamen illi conjungitur constitutio Ecclesiæ irritans Matrimonium contrahendum, vocatur "solemnisatum."

XI. Similiter votum Scholarium in Societate Jesu, est essentialiter "simplex," cùm traditio illa non acceptetur in perpetuum, nam à Superiore possunt dimitti, quamvis dirimat Matrimonium ex constitutione Greg. XIII.

N. 104. DE PERSONIS QUÆ VOVERE POSSUNT.

I. *Homo pollens usu rationis potest vovere.* II. *Ecclesia potest ferre Leges irritantes Vota.* III. *Christus non vovit.*

I. OMNIS homo viator sufficienti pollens rationis usu validè potest vovere, nisi aliunde sit impeditus.

Pueri ante usum rationis & amentes jure naturæ sunt incapaces voti, quia ad votum requiritur proprius deliberatus consensus.

Ecclesia potest per leges suas reddere personas inhabiles ad vovendum, sive potest ferre leges antecedenter irritantes votum. Constat ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regul. An autem id possint Episcopi, non ita constat. Id Ecclesia potest ex potestate data Matth. 18. "Quodcumque solveritis."

An Christus Dominus & Apostoli emiserunt votum?

III. R. Respondet S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Christo non competebat secundùm se vovere; Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum.

N. 105. DE VOTIS SUBDITORUM.

S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 8 *&* 9.

I. *Subditi Votum validum non firmum.* II. *Votum validum et firmum.*

INQUIRITUR hìc, an & quomodo vota religiosorum, filiorum & uxoris sint valida sine consensu Superiorum, parentum vel mariti facta.

I. R. cum S. Thom. q. 88. a. 8. quòd eorum vota in materia legitima sint valida, non sint tamen semper firma; nisi sint de iis, in quibus non subjiciuntur Superioribus.

Explica terminos.

II. R. Illud votum dicitur validum non firmum, quod obligat quidem, sed irritari potest: illud verò votum dicitur validum & firmum, quod sic est validum ut irritari non possit. Hæc magis elucidabuntur per exempla infra producenda.

N. 106. DE MODIS QUIBUS CESSAT OBLIGATIO VOTI.

QUIBUS modis cessat obligatio voti?

R. His præcipuè modis:

1°. Irritatione.

2°. Dispensatione sive relaxatione.

3°. Commutatione.

4°. Materiæ mutatione vel subtractione.

5°. Cessatione finis.

6°. Ratione conditionis non adimpletæ.

7°. Præterea dicitur cessare votum non acceptatione istiùs, in cujus solius favorem votum obligat; item lapsu temporis affixi ad finiendam obligationem, & adimpletione voti: verùm similes modi subintelliguntur vel reducuntur ad priores.

N. 107. DE IRRITATIONE VOTI.

S. Thom. q. 88. *art.* 8 *&* 9.

I. *Definitio.* II. *Duplex modus irritandi.* III. *Quid potestas dominativa.* IV. *Irritatio Voti sine causa est valida aliquando.* V. *Differentiæ inter irritationem & dispensationem.*

I. Quid est irritatio voti?

R. Est annullatio voti validi, non firmi, facta ab eo, in cujus potestate est habere votum ratum.

Fundatur autem irritationis valor in conditione implicita hac aut simili: "nisi superior renitatur," quæ conditio inest per se omni voto irritabili.

II. Duplicem irritandi modum proponit Suarez, unum directum & propriè dictum, quo irritatur actus voti per potestatem dominativam, naturalem vel spiritualem; alterum indirectum ex parte materiæ subjectæ alteri, sed hic modus reduci potest ad modum, quo cessat votum ob mutationem materiæ, & competit etiam potestati jurisdictionis.

III. Potestas dominativa dicitur, cui vovens quoad voluntatem, tanquam non sui juris est subjectus, & ab ea dependens. Hujusmodi habet pater in prolem impuberem, Abbas in monachum, &c.

An irritatio voti sine justa causa est valida?

IV. R. Irritatio directa per potestatem dominativam est valida, quia irritans utitur jure suo; non est tamen semper licita. Irritatio voti, quæ procedit à sola potestate jurisdictionis, sine justa causa est invalida, quia hæc potestas exercetur solùm ministerialiter juxta rationabilem voluntatem principalis qui est Deus, qui non vult sine causa dispensari, sed fideliter.

Nota differentiam irritationem inter & dispensationem:

1. Irritatio directa fit per potestatem dominativam, dispensatio procedit à potestate jurisdictionis.

2. Irritatio voti directa est valida facta sine justa causa, dispensatio voti sine justa causa est invalida.

3. Irritatio respicit solummodò votum non firmum, dispensatio extenditur ad vota etiam firma.

N. 108. QUINAM IRRITARE POSSUNT VOTA ALIORUM?

I. *Pontifex irritat Vota Religiosorum.* II. *Item prælati Regularium.* III. *Irritant quæcumque Vota Relig.* IV. *Vota Novitiorum.*

I. RESP. Summus Pontifex irritare potest vota quorumcumque Religiosorum, & Episcopus vota Religiosorum sibi directè subjectorum: vota tamen aliorum Fidelium, Laïcorum vel Clericorum sibi subditorum directè irritare nequeunt; sed aliquando possunt id indirectè prohibendo vel mutando materiam voti.

II. Abbas sive Prior vel Guardianus & omnes Superiores in ordine altiores, v. g. Provinciales, &c. irritare possunt vota Religiosorum sibi subditorum.

Idem possunt Abbatissæ sive Priorissæ respectu Religiosarum sibi subjectarum, nam habent potestatem quasi dominativam, & imperant in virtute obedientiæ vi sui muneris.

Vicariis vel Coadjutoribus illa potestas non competit, nisi fortè in absentia aliorum.

An præfati Superiores possunt irritare quæcumque vota suorum Religiosorum, ea quoque, quæ non impediunt illorum Superiorum regimen v. g. votum servandi præcepta Ecclesiæ?

III. R. Van Roy dubitat: sed S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 8. ad 3. generaliter resolvit, nullum votum Religiosi esse "firmum," nisi fiat de consensu Prælati (excepto voto transeundi ad strictiorem ordinem;) ratio est, quòd Religiosus per votum solemne subdatur Superiori suo non solùm ratione materiæ voti, sed etiam ratione voluntatis & actionum personalium, ita ut Superior habeat potestatem dominativam in voluntatem Religiosi; & inde in omni ejus voto subintelligitur hæc conditio negativa: si Superior non renitatur.

IV. Superiores Regulares non possunt irritare vota Novitiorum, quia necdum subsunt eorum potestati dominativæ: sunt enim sui juris adhuc: quia tamen vi privilegiorum in favorabilibus reputantur Religiosi, potest Superior in eorum votis dispensare, vel potiùs ea suspendere, quatenùs gubernationi vel probationis exercitiis sunt impedimento, ita ut obligatio votorum reviviscat, si Novitius non profiteatur; sed in professione vota omnia personalia ipso facto permutantur in vota solemnia Religionis. Billuart 240.

N. 109. QUOMODO PATER, TUTOR, ET MARITUS IRRITARE POSSUNT VOTA PROLIUM, PUPILLORUM ET UXORIS?

I. *Irritant quæcumque Vota impuberum.* II. *Quandonam mater irritet Vota.* III. *Vota impuberum manent irritabilia.* IV. *Pater irritat Vota prolium puberum aliqua.* V. *Etiam post ætatem 25. annorum facta.* VI. *Maritus irritat Uxoris Vota aliqua.* VII. *Vota facta ante Matrim.* VIII. *Non omnia.* IX. *Votum non petendi debitum, est validum.* X. *Casus conjugis voventis.*

I. RESP. Pater, vel tutor irritare possunt quæcumque vota impuberum, quia impuberes sunt patri vel tutori subjecti etiam quoad voluntatem; idque non tam jure naturali, quàm ex jure positivo reddente illa vota irritabilia can. Puella causa 20. q. 2. can. Mulier causa 32. q. 2. ita pater & tutor irritant vota impuberum castitatis vel ingrediendi Religionem, quamvis post annos pubertatis implenda.

Nota, quòd dicantur impuberes puellæ usque ad annum ætatis duodecimum, masculus usque ad annum decimum quartum completum: malitia hìc non supplet ætatem.

An matri etiam competit præfata potestas irritandi vota prolium?

II. R. Vivente patre ea non competit matri; mortuo autem patre, mater jure ordinario habet tutelam prolium suarum, & eâ ratione potest irritare vota; secùs si alius tutor aut curator fuerit constitutus. In defectu illorum id potest avus, deindè avia.

An votum in ætate impubere emissum manet irritabile, dum vovens pervenit ad annos pubertatis?

III. R. Passim docetur, illud manere irritabile à patre, nisi fortè suo consensu confirmasset, vel vovens pubes factus illud ratificasset in materia tunc sibi libera. Idem asserit Layman de tutore, quamvis hoc neget Suarez.

An pater vota filiorum puberum irritare potest?

IV. R. Non omnia, sed solùm ea quæ sunt de actibus vel rebus, quæ pertinent ad domesticam gubernationem vel paternam potestatem; proinde si pubes voverit servare castitatem vel ingredi Religionem, illud votum pater irritare nequit, sed vota peregrinationis, humicubationis, &c. potest irrita reddere.

V. Irritat autem pater hæc vota, licèt filius excedat

ætatem 25. annorum, modò sit sub patria potestate, quia hæc irritatio non fundatur in defectu ætatis, sed in subjectione filii, unde eadem irritatio extenditur solùm ad tempus subjectionis, ita ut vota puberum, implenda postquam filii fuerint emancipati, pater non irritet, quia non derogant potestati patris.

Vota impuberum semel irritata nunquam reviviscunt.

Quæ vota uxoris maritus irritare potest?

VI. R. Illa, quæ sunt de rebus ad gubernationem vel administrationem familiæ pertinentibus v. g. vota peregrinationis eleëmosynarum extraordinariarum ex bonis communibus.

An maritus potest irritare ejusmodi vota, quæ uxor emisit ante matrimonium?

VII. R. Si contrahens matrimonium illa vota ignoraverit, & in illa postea nunquam consenserit, potest ea saltem suspendere pro tempori matrimonii sui; sed dissoluto matrimonio reviviscent, quia non sunt absolutè ab illo irritata, cum non sint emissa sub hac conditione: si maritus consentiat.

VIII. Vota, quæ non cedunt ullo modo in præjudicium mariti, videtur ipse non posse irritare. V. g. votum observandi præcepta Ecclesiæ, faciendi breves orationes, &c. quia in illis non subditur viro.

Uxori non competit propriè irritare vota viri sui.

IX. Votum sive mariti sive uxoris de non petendo debito conjugali, validum est & firmum, prout declararunt Pontifices.

X. Lib. 3. Decretal. cap. 3. "quidam" tit. 32. de "Convers. Conjug." legitur, quòd quidam intraverit Monasterium invitâ uxore: Pontifex autem consultus respondet, quòd iste debeat redire ad uxorem, & post mortem uxoris non teneatur reverti ad Monasterium, quia ejus Professio facta Superiori fuit irrita, quòd tamen non possit petere debitum conjugale, neque post mortem hujus ducere aliam, quia juris interpretatione censetur se Deo obligasse in iis, quæ erant in ejus libera potestate; item L. 3. Decretal. t. 32. cap. 12. "placet."

N. 110. DE IRRITATIONE VOTI CONFIRMATI.

I. *Vota absolutè confirmata non possunt ab eodem irritari.* II. *Conditionatè confirmata possunt irritari.* III. *Votum confirmatum ab altiori non irritatur ab inferiori, sed è contra.*

QUANDO Superior, Pater, vel Maritus semel consenserunt in votum subditi, sive postquam illud confirmarunt, an retinent potestatem irritandi illud votum ratificatum?

I. R. Negat Van Roy, affirmat Billuart 246. & alii: distinctione quæstio finietur dicendo: si pater vel maritus semel dederint consensum absolutè & simpliciter, votum illud sic confirmatum irritare nequeunt, quia accedente consensu positivo, (negativus non sufficit), votum fit firmum: vèrumtamen communis sententia dicit, quòd vota Religiosorum nunquam sic absolutè confirmentur propter continuam in omnibus omnino dependentiam à Superioribus suis, adeoque vota Religiosorum semper manere irritabilia ab eisdem Superioribus & Successoribus.

Jura præsumunt consensum Superioris, si sciens votum subditi intra annum non contradixerit. Cap. " Puella."

II. Si verò pater, maritus, vel superior non consenserint absolutè sed conditionatè, salvo scilicet jure irritandi postea, retinent potestatem irritandi.

III. Votum confirmatum ab aliquo Superiori potest irritari ab altiori Superiori in eodem Ordine; sed votum confirmatum ab altiori Superiori non potest irritari ab inferiori ejusdem Ordinis.

Vota ratificata solùm ex errore manent irritabilia.

N. 111. DE DISPENSATIONE ET COMMUTATIONE VOTI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88.

I. *Definitio.* II. *Fundamentum dispensationis.* III. *Dispensatio sine justa causa est invalida.* IV. *Potestas dispensandi data est Ecclesiæ.* V. *Objectio.* VI. *Divisio.*

QUID est dispensatio voti?

I. R. Est relaxatio voti facta à legitimo Superiore vice Dei ex causa justa.

II. Proinde valor dispensationis fundatur in remissione divina; nimirum Superior tanquam Vicarius sive Commissarius Dei, vice & nomine Dei remittit homini debitum promissionis factæ, sive condonat ei promissionem Deo factam.

In eadem Dei concessione fundatur potestas commutandi vota.

III. Hinc consequitur quòd dispensatio voti sine justa causa, quantumvis data à Summo Pontifice, sit invalida, quia Deus non vult remittere votum sine justa causa.

IV. Hanc potestatem dispensandi & commutandi vota à Deo datam esse Ecclesiæ probatur ex Praxi Ecclesiæ, & continetur in generali concessione potestatis Matth. 16. " quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis."

V. Obj. Nemo potest dispensare in jure naturæ, ergo nec in voto: probatur conseq.: quia obligatio voti est juris naturæ.

R. Nego conseq.: ad probationem dico, quòd obligatio voti sit juris naturæ, quamdiu votum & ejus acceptatio perseverant, non ultrà: jam autem per dispensationem cessat acceptatio Dei, quia vice Dei relaxatur: non est enim de jure naturæ quòd acceptio promissionis debeat semper perseverare & teneri.

Hinc patet, quòd hæc potestas ordinaria dispensandi, sit quædam potestas jurisdictionis spiritualis, adeòque competat solis Ecclesiasticis.

VI. Potestas præfata dividitur in ordinariam & delegatam.

N. 112. DE POTESTATE ORDINARIA DISPENSANDI.

I. *Summus Pontifex.* II. *Episcopus.* III. *Prælati.* IV. *Non Parochi nec Confessarii.* V. *Nec Religiosi.*

QUINAM habent potestatem ordinariam dispensandi in votis?

I. R. Cum S. Thom. 2. 2. quæst. 88. a. 12. ad 3. Summus Pontifex habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus votis dispensabilibus in universa Ecclesia, cæteri ab ipso potestatem participant vel jure ordinario vel per delegationem.

II. Episcopus in sua Diœcesi habet ordinariam potes-

tatem dispensandi in votis, Summo Pontifici non reservatis, suorum subditorum; non dispensat in votis peregrinorum, ita Suarez. III. Similiter dispensant Prælati habentes plenam jurisdictionem Episcopalem; item Provinciales & Abbates exempti; Abbates non exempti non dispensant, sed Episcopus eorum. Abbatissæ exemptæ non dispensant defectu jurisdictionis spiritualis Ecclesiæ.

IV. Parochis vel Confessariis non competit ordinaria potestas dispensandi in votis, quia est actus jurisdictionis majoris spectantis ad externum Ecclesiæ regimen.

Præfati habentes potestatem ordinariam dispensandi in votis, similiter habent potestatem ordinariam commutandi eadem vota, item dispensandi in juramentis soli Deo factis sive per se stantibus, vel confirmatoriis votorum; quia in jure æquiparantur votis. In juramentis circa materiam reservatam, dispensat Papa.

V. Billuart t. 4. de Rel. diss. 4. art. 8. p. 206. dicit sententiam illam non esse tutæ praxis, quæ tribuit Religiosis Confessariis ex privilegiis suis facultatem dispensandi in votis Sæcularium. Eam tamen pro commutatione votorum non reservatorum admittit cum La Croix, juxta Pauli III. *Dilecti Filii* 5. Junii 1546, bullam datam Jesuitis, quæ per communicationem privilegiorum extenditur ad alios Religiosos. La Croix lib. 3. pag. 1. num. 531.

Episcopus non dispensat in votis exemptorum, quia non sunt subditi ipsius, Suarez n. 7. p. 682. Vicario Episcopi non competit potestas ordinaria dispensandi; verumtamen competit, sede vacante, Capitulo sive ejus Vicario. Sylv. quæst. 88. a. 12.

N. 113. DE POTESTATE DELEGATA DISPENSANDI VEL COMMUTANDI VOTA.

I. *Potestas delegata.* II. *Generaliter data non extenditur ad reservata.* III. *Item non extenditur ad obligationes humanas.* IV. *Casus.* V. *Votum pœnale potest commutari.* VI. *Potestas dispensandi potest commutare.* VII. *Potestas delegata circa Vota Jurata.*

I. POTESTAS hæc delegata conceditur ab habente Ordinariam; datur autem speciali concessione, quo modo in Jubilæo omnibus Confessariis approbatis datur potestas delegata commutandi vota quædam.

II. Potestas delegata dispensandi vel commutandi vota

generaliter concessa non extenditur ad vota reservata, juxta regulam Juris 81. in 6. & extrav. 2. "Etsi Dominici."

Nec ad vota facta in favorem tertii & acceptata ab eodem: III. proinde observa, quòd hæc potestas dispensandi vel commutandi vota non extendatur ad promissiones vel obligationes humanas; hinc si quispiam promissionem acceptatam dandi Ecclesiæ vel filiæ dotem, voto valido confirmet, non potest per præfatam potestatem illa humana obligatio commutari vel tolli, quia est obligatio distincta à voto: imò nec illud votum adjunctum est dispensabile per potestatem delegatam, quia cederet in præjudicium tertii: quod notari potest à Confessariis tempore Jubilæi, quando homines simpliciores petunt exonerari à promissis humanis, debitis, obligatione restitutionis, &c.

IV. An ergo votum dandi eleëmosynam pauperibus vel Ecclesiæ commutari non potest tempore Jubilæi?

R. Distinguendo: si votum illud sit factum soli Deo absque ulla promissione ad hominem aliquem directa & ab eodem acceptata, votum commutari potest, quia nulli jus est acquisitum ex tali voto nisi soli Deo: secus si promissio humana acceptata concurrat. Billuart 275.

V. Eodem modo in votis pœnalibus commutari poterit pœna, etiamsi jam contracta; & ita si quis debeat dare pauperibus 10 solidos ob violatum votum de non jurando, poterit illa pœna mutari in aliud opus æquale, quia est debita solùm ex simplici obligatione voti.

VI. Qui habet potestatem delegatam dispensandi, habet potestatem commutandi votum, non è contrario. Suarez n. 9. 685. quia commutare minus est. Sylvius quæst. 88. art. 12. concl. 4. Confessarius habens facultatem absolvendi ab omnibus reservatis peccatis, non pollet ideò potestate dispensandi vel mutandi vota aut juramenta.

VII. An potestas delegata dispensandi vel commutandi vota, extenditur ad juramenta eorumdem confirmatoria, item ad juramenta soli Deo facta in eadem materia?

R. Negant Wiggers tr. 8. dub. 20, & Bonac. d. 4. p. 17. n. 12, affirmat Suarez t. 2. lib. 6. c. 14. qui ibidem prolixè de eo disputat, & adjungit, quod Gregor. XIII. pro PP. Societatis Jesu facultatem commutandi (non dispensandi) vota extenderit ad vota similia jurata, sine præjudicio tertii.

N. 114. DE CAUSA DISPENSATIONIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12.

I. *Dispensatio Voti sine justa causa est invalida.* II. *Justæ causæ dispensandi.* III. *Proportio causæ ad Votum.*

AN dispensatio voti data sine justa causa est valida?

I. R. Negativè, etiamsi à Summo Pontifice data sit: ratio est quòd dispensans in voto dispenset, non in jure proprio, sed in jure divino, in quo est constitutus, non Dominus, sed fidelis dispensator.

Quænam causæ existimantur justæ ad dispensandum?

II. R. Illæ sunt multiformes; honor Dei, necessitas aut utilitas Ecclesiæ, bonum spirituale majus voventis, &c. Item inter justas causas connumeratur, si materia voti sit facta difficilior, si observatio voti per accidens impediat obligationes Officii, si dispensatio cedat in bonum commune: deinde conceditur dispensatio ob fragilitatem voventis vel periculum peccati.

III. Attendi quoque debet in dispensatione proportio causæ ad præstantiam voti, ita ut pro dispensatione in voto majori, major causa requiratur: propterea si adsit quidem causa levis, sed insufficiens ad dispensandum, quamvis fortè sufficiens ad votum commutandum, dispensatio debet censeri invalida defectu justæ causæ; quamobrem ipse Pontifex vix dispensare solet, quin commutationem quamdam vel compensationem adhibeat: igitur

Nota, quòd, quandocumque dispensatio ob defectum causæ sufficientis est illicita, sit simul invalida.

N. 115. DE COMMUTATIONE VOTI.

I. *Definitio.* II. *Tripliciter fit commutatio.* III. *Pro commutatione justa causa adesse debet.* IV. *Privatâ authoritate.* V. *Votum mutari nequit, licèt in melius.* VI. *Objectio.* VII. *Reliqua vota commutantur in Profess. Rel.*

QUID est commutatio voti?

I. R. Est translatio obligationis voti de una materia in aliam.

Comprehendimus voti redemptionem, quæ est translatio obligationis voti personalis ad quodpiam reale.

II. Potest hæc commutatio fieri tripliciter, vel in majus bonum, vel in minus, vel in æquale.

Quando autem cuipiam tribuitur potestas delegata simpliciter ad commutandum vota, prout Confessariis conceditur in Jubilæis, ea intelligitur commutatio, quæ fit in æquale moraliter, vel in majus bonum, non ea, quæ fit in minus bonum, quia proprietas verbi servari debet: possunt interim vota personalia commutari in realia, temporalia in perpetua & è contra; expedit tamen perpetua commutari in perpetua.

An pro commutatione voti requiritur etiam aliqua justa causa?

III. R. Pro commutatione in minus certò requiritur justa causa, quia ea continet partialem dispensationem in quantùm fit in minus.

Pro commutatione voti in æquale aliqua etiam justa causa, licèt minoris ponderis, adesse debet; quia commutatio fieri debet non leviter, sed ex rationabili fine, & pro causa sufficere potest major voventis affectus & promptitudo, ait Wiggers.

Quando commutatio fit in majus bonum, non requiritur alia causa extrinseca, sed ipse excessus bonitatis præbet causam sufficientem commutandi.

IV. An hæc commutatio voti, quæ fit in opus evidenter melius, fieri potest privatâ voventis authoritate?

V. R. Verosimilior sententia negat, & dicit requiri authoritatem habentis facultatem commutandi vota. Hanc sententiam docent Wiggers, Daelman conformiter S. Thom. 2. 2. sensus q. 88. a. 12. ratio est, quòd requiratur authoritas & consensus Dei pro tali commutatione, cùm per votum res illa & non alia Deo promissa sit.

VI. Obj. Deus consentit in commutationem eo ipso, quo opus est melius.

N. Nego ass. nam Deus Levit. 27. v. 10. id prohibuit.

Idem significatur cap. 1. " de voto & voti redempt."

Inde conclude, quòd is, qui vovit eleëmosynam, non possit eam propria authoritate mutare in jejunia vel orationes meliores.

Si autem opus votivum includatur in opere meliori, satisfit voto faciendo opus illud melius; ita audiens Missam solemnem implet votum audiendi Missam non solemnem; dans calicem aureum satisfacit voto dandi calicem argenteum.

VII. Denique omnia vota personalia commutari possunt in professionem solemnem in Religione approbata, ita ut in professione cesset aliorum votorum obligatio, quia moritur priori vitæ, ait S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. verùm id magis ex jure positivo Ecclesiæ ipsa vota commutantis provenire videtur, juxta cap. 4. Scripturæ lib. 3. t. 34. de voto.

N. 116. DE REGRESSU AD MATERIAM VOTI COMMUTATI.

I. *Factâ commutatione absolutè, non licet redire ad priorem materiam.* II. *Secùs si facta sit disjunctivè vel condit.* III. *Idem accidit, si materia substituta fiat impossibilis.*

AN post factam voti commutationem licitum est voventi redire ad priorem voti materiam, & omittere illud, in quod commutatio voti facta est?

I. R. Distinguendo: si commutatio facta sit absolutè, nullo modo conditionatè, non licet ipsi redire ad priorem voti materiam, quia obligatio simpliciter ablata est à priori materia, adeoque non est ampliùs materia voti jam obligantis.

II. Si verò voti commutatio conditionatè solùm aut disjunctivè facta sit, prout solet, quando commutatio conceditur in favorem voventis, vel quando facta est in bonum minus priori, impletur votum observando alterutrum, sicuti accidit in votis disjunctivis.

Quid si commutato voto materia substituta fiat impossibilis, illicita, &c.: an manet obligatio redeundi ad priorem materiam, ut in ea votum impleatur?

III. R. Iterum distinguendo: si commutatio voti facta sit absolutè juxta primum modum, non manet obligatio implendi votum in priori materia; si autem commutatio facta sit solùm disjunctivè, manet obligatio: quia obligatio voti non est simpliciter ablata à priori materia, quandoquidem maneat materia voti.

N. 117. DE VOTIS RESERVATIS.

QUÆ vota sunt reservata Summo Pontifici?

R. Votum Professionis Religiosæ emissum extra Societatem JESU, in Religione approbata certò reservatum est; quinimo acriter disputatur.

UTRUM PONTIFEX IN VOTO SOLEMNI DISPENSARE POSSIT.

I. *Fundam. utriusque sentent. propon.*

I. AD quam quæstionem Sylvius, Boudart, & Daelman, Billuart t. 4. p. 279. respondent negativè, & pro fundamento potissimum allegant authoritatem S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. & Capitulum "cùm ad Monasterium" de Statu Monach. ubi Innoc. III. dicit, quòd abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo annexa sit regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere.

Responsionem affirmativam defendunt Suarez, Wiggers, Van Roy aliique, et probant ex factis Pontificum, qui dispensarunt (sed alii illa facta negant, vide Bar. cit. à Bill. t. 4. p. 288.) item quia rationes, quæ probant datam Pontifici potestatem dispensandi in voto simplici, probant eidem collatam esse facultatem relaxandi nomine Dei votum solemne, cùm nec ex ratione nec aliunde ostendatur excipi votum solemne. Hanc controversiam latiùs deductam reperies apud Scholasticos.

Observat S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4. quòd Religiosus promotus ad Episcopatum non absolvatur à voto paupertatis, quia non fit Dominus proventuum Episcopatûs, sed dispensator solùm, neque à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur Superioribus Religionis, quia in ea Superiorem non habet: imò indiget speciali licentiâ Summi Pontificis ad mutandum sui Ordinis habitum, & ad condendum testamentum.

N. 118. DE VOTIS SIMPLICIBUS RESERVATIS SUMMO PONTIFICI.

I. 5 *Vota simplicia reservata Pontifici.* II. *Quinque* III. *Vota non reservata.* IV. *Continentiæ Votum reservatur.* V. *Votum virginitatis.* VI. *Votum centum annorum.* VII. *Votum castitatis conjugis.* VIII. *Vota Begginarum.*

I. QUOT & quæ vota simplicia sunt reservata Summo Pontifici?

R. Hæc quinque recensita in extrav. com. "etsi Dominici" lib. 5. tit. 9. cap. 5. quem numerum modernus Curiæ Romanæ stylus observat, ita ut Episcopi

non possint in eis dispensare nec ea commutare potestate ordinariâ.

II. 1. Votum Religionis approbatæ ingrediendæ;

2. Votum perpetuæ castitatis sive continentiæ;

3. Votum Peregrinationis Romanæ, sive visitandi Limina Apostolorum;

4. Votum Peregrinationis ad S. Jacobum Compostellam;

5. Votum Peregrinationis Jerosolymitanæ, sive ad Terram Sanctam.

Reservatum etiam fuit votum Jerosolymitanum pro expeditione belli ad recuperandam Terram Sanctam cap. 9. ex multa lib. 3. tit. 34.

Episcopis nulla vota ex jure communi specialiter reservata sunt; quando autem Episcopi concedunt potestatem delegatam dispensandi, possunt sibi quædam vota reservare.

Cùm reservatio sit strictæ interpretationis, hinc deducitur, III. non esse reservatum votum simplex suscipiendi Ordines Sacros, nec votum non nubendi, neque votum non petendi debitum conjugale, quia essentialiter & propriè non sunt vota castitatis.

IV. Verumtamen per votum non nubendi voventes passim intendunt se obligare ad castitatem, proùt notat Wiggers, & ita emissum reservatur.

Similiter juxta S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 2.

V. Votum servandi perpetuò virginitatem, ex intentione voventium complecitur votum castitatis perpetuæ, adeoque haberi debet tanquam reservatum.

VI. Votum servandi castitatem centum annis censetur esse perpetuum, adeoque reservatum:

Non sic votum servandi castitatem decem annis.

In voto sub hac forma expresso, "Voveo castitatem," significatur castitas perpetua.

VII. Votum castitatis perpetuæ factum à conjuge in causa divortii perpetui vel ex consensu irrevocabili compartis, est reservatum, secus si absque tali consensu vel divortio sit emissum: semper quoad petitionem debiti dispensari potest per Episcopum.

VIII. Vota Begginarum nostræ Patriæ, quæ publicè profitentur, sunt temporalia, scilicet obligant pro tempore, quo in illo statu perseverant; quo relicto cessant vota.

N. 119. DE VOTIS CONDITIONATIS ET PŒNALIBUS RESERVATIS.

I. *Votum conditionatum, impletâ condit. est reser.* II. *Ante conditionem impletam est dub.* III. *Vota reservata.* IV. *Votum disjunctivum de una part. non reservata non est reservatum.* V. *Votum commutatum ad materiam non reservatam.*

AN votum conditionatum vel pœnale de materia votorum reservatorum est reservatum?

I. R. Post conditionem impletam, vel post pœnam contractam votum est reservatum, quia resolvitur votum in absolutum, v. g. si quis voveat ingredi Religionem, si unquam se inebriet, post ebrietatem commissam votum illud est reservatum.

II. Ante conditionem adimpletam, vel ante pœnam contractam, Suarez aliique in dubium vocant, utrùm reservetur, eò quòd votum non sit consummatum & perfectum, atque ita reservatio, utpote restringenda, non videatur extendenda ad hujusmodi votum; sed cùm integrum illud votum supponatur versari circa materiam reservatam, & vota reserventur ratione materiæ, meritò alii rem illam habent valde dubiam, & votum sustinent esse reservatum.

III. Suarez interim & omnes docent esse reservatum hoc votum: "Voveo ingredi Religionem, si vel quando pater meus obierit," quia, aiunt, hoc votum non est propriè conditionatum, sed absolutum cum dilatione executionis.

Similiter illud votum; "Voveo castitatem, nisi frater sine filio decedat," dicunt aliqui esse votum reservatum, ita ut particula *si* non accipiatur conditionaliter, sed per modum adverbii temporis. Negat Suarez, sustinens hoc non esse perpetuum.

IV. Votum disjunctivum sive alternativum, cujus una pars solummodo est de materia reservata, non est reservatum, quia votum potest impleri in materia non reservata: imò responsio constat, quamvis pars non reservata fieret impossibilis, quia id se habet per accidens ad votum & intentionem voventis.

Si autem utraque pars voti sit in materia reservata, ipsum votum etiam reservatum est.

V. Votum reservatum, legitime commutatum & translatum ad materiam non reservatam, censetur non ampliùs reservatum, quia reservatio consideratur ratione materiæ tantùm. Ita Sanchez lib. 8. n. 20. Billuart 259.

N. 120. DE COMMUTATIONE VOTI TEMPORE JUBILÆI.

I. *Aliquando est inval. propter omiss. opus.* II. *Aliquando valida.* III. *Non dat. potestas dispens.* IV. *Commutatio post. Jubil.* V. *Non ab alio Confessario.*

AN commutatio voti vi Jubilæi generalis à Confessario facta permaneat valida, si ille, cui concessa est commutatio, non lucretur Jubilæum, eò quòd opera requisita sive conditiones Jubilæi non perfecerit?

I. R. 1. Si ille non intenderit lucrari Jubilæum, quando voti commutatio facta est, commutatio est nulla, quia Pontifex illa privilegia non concedit nisi in ordine ad Jubilæum.

R. 2°. Si ille omittat confessionem Sacramentalem, simpliciter commutatio caret effectu, quia in Bulla expressè additur confessionibus diligenter auditis.

Nota proinde, quòd commutatio ante confessionem & absolutionem præscripta non subsistat, nisi post Sacramentalem absolutionem confirmetur.

II. R. 3°. Si iste, factâ confessione & receptâ absolutione, commutationem obtinuerit cum intentione persolvendi requisita & conditiones Jubilæi, sed deinde opus aliquod v. g. jejunium die sabbathi, licèt ex negligentia, non persolvat, videtur dicendum cum Suarez & Layman, quòd commutatio valida persistat, quia simpliciter, absolutè & legitimè commutatio ista facta est, adeoque habuit plenum suum effectum; nam effectus non mansit suspensus ab eventu; ferè sicuti in simili casu absolutio à casibus reservatis firma manet.

III. Observa, quòd in Jubilæis non detur Confessariis potestas dispensandi, sed solùm commutandi vota quædam, non omnia; propterea Tenor Bullæ sollicitè inspiciendus & sequendus est: deinde nota, quòd ea commutatio fieri debeat in bonum circiter æquale.

An illa commutatio voti potest fieri post tempus Jubilæi elapsum?

IV. R. Si Confessarius ex causa distulerit mutationem

petitam, potest, quia id permittitur in Bulla Jubilæi; alias non.

An tempore Jubilæi quis possit petere absolutionem peccatorum ab uno Confessario, & mutationem voti ab altero.

V. Id dubium est, quia Bullæ exprimunt Confessarium in numero singulari. Billuart 279.

N. 121. DE POTESTATE EPISCOPI CIRCA VOTA RESERVATA.

I. *Episcopi dispensant in Voto dubio.* II. *Item quando necessitas urget.*

AN Episcopi aliquando dispensant vel commutant vota Summo Pontifici reservata?

I. R. Aliquando, ac primò id eis attribuitur in casu voti dubii sive juris sive facti, putà si dubitetur de sufficienti deliberatione; item si votum sit factum ex gravi metu injustè incusso ad extorquendum votum.

Hæc conclusio non ex jure scripto desumitur, sed ex interpretatione Doctorum. Suarez, Wiggers, Layman, Boudart, La Croix, &c.

II. Secundò & generaliter, si urgeat necessitas dispensandi vel instet grave periculum transgressionis voti, & simul urgens causa non concedat tempus recurrendi ad Pontificem: in his casibus per quamdam Epykiam Episcopus dispensat vel commutat, sed tamen non nisi in quantùm necessitas exigit vel pro parte tantùm vel tempore aliquo: ita Episcopus post Matrimonium contractum & consummatum cum voto castitatis, dispensabit in eo voto solummodò pro parte, ut scilicet peti possit debitum, idque pro tempore vitæ hujus conjugis tantùm. Hæc latiùs deducta reperies apud Wiggers cap. 4. dub. 28.

Sanchez, Boudart, Huygens, Billuart, eandem facultatem attribuunt Episcopo etiam ante contractum Matrimonium in urgente necessitate, v. g. ut legitimetur proles cujusdam, qui periculosè infirmatur, &c.

Nota, quòd in prædictis casibus nihil possint illi, qui solùm habent potestatem delegatam v. g. vi Jubilæi vel Privilegii, quia potestas delegata non extenditur extra casus concessos, quantumvis necessitas maxima concurreret. Billuart.

Capitulo tamen seu ejus Vicario, Sede vacante, id competit, quia succedit in Jurisdictionem Episcopalem.

N. 122. DE SUBREPTIONE ET OBREPTIONE IN DISPENSATIONE ET COMMUTATIONE VOTI.

I. *Sub vel obreptio malitiosa reddit dispensationem invalidam.* II. *Sub vel obreptio non malitiosa non semper invalidat.* III. *Exemplum.* IV. *Error circa substantiam Voti irritat dispensationem.* V. *Duæ causæ sufficientes expositæ quarum una est falsa.*

QUOMODO "subreptio" vel "obreptio" invalidam reddit dispensationem vel commutationem votorum?

R. Id colligitur ex cap. 20. "super Litteris" tit. 3. de rescriptis lib. 1. Decretalium; nimirum distinguendo:

I. Si "subreptio" vel "obreptio" ex malitia vel fraude intercesserit circa causam finalem, etiam solùm circa causam impulsivam, dispensatio Romana nulla est, idque in perversitatis pœnam, sic disponente lege positivâ, quamvis fortè dispensatio illa non fuisset irrita spectando solam legem naturalem.

Nec obstat, quòd illud cap. agat de causa judiciali & beneficiali, quia illa dispositio ibidem proponitur per modum regulæ, cui meritò nos conformamus quamdiu alia non præscribitur, ut quàm minimè recedamus à jure scripto.

II. Si verò "subreptio" vel "obreptio" commissa sit ex simplicitate vel ex ignorantia, subdistinguendum est: si enim sit circa causam finalem, sine qua nulla prorsus dispensatio data fuisset, dispensatio est irrita.

Si autem illa sub vel obreptio concernat causam tantùm impulsivam, vel eam solam causam, sine qua nihilominus dispensatio, licèt difficiliùs, absolutè concessa fuisset, erit valida dispensatio: unde cap. "quod super his," quod objici posset, debet moderari juxta sensum capituli præfati "super Litteris."

III. Conclude, quòd, si pro obtinenda dispensatione super voto castitatis, inter alias rationes veras exposita sit malitiosè causa fragilitatis falsa, dispensatio haberi debeat invalida.

Similiter si postuletur dispensatio super voto peregrinationis ob infirmitatem veram, & ob paupertatem falsam secuta dispensatio erit invalida; quia non fuisset data absolutè dispensatio, sed facta fuisset commutatio aliqua.

IV. Denique si subreptio vel obreptio afficiat ipsam voti substantiam, dispensatio est invalida, quia continet errorem

circa substantiam; secus si sit solùm circa accidens impertinens.

Hinc invalida est dispensatio, quæ petitur super voto non nubendi, cum sit votum castitatis; similiter si detur super voto peregrinationis Jerosolymitanæ, dum est votum eundi ad Limina Apostolorum, quamvis hoc sit levius illo: item invalida est dispensatio postulata super voto dubio, cum sit votum certum.

V. Error nominis judicatur impertinens juxta Sanchez, Neesen. La Croix, quamvis contradicat Pyrrhus Corr.

An dispensatio est valida, quæ impetrata est ob duas causas finales, quarum unaquæque est sufficiens, sed una falsa?

R. Distinguendo: si malitiosè id acciderit, est invalida. Si absque malitia, dubitant Layman, Steyaert, quia nescitur ex qua causa motus Superior dispensaverit; sed Suarez, Sylvius aliique communiter affirmant, quia Superior censetur ex cognitione & juxta valorem causæ rationabiliter dispensasse; nam ob solam causam veram dispensatio absolutè data fuisset.

Reliqua explicantur in Tractatu de Legibus.

Nota, quòd in postulatione dispensationis super voto, nihil, præter quod continetur in præfato Capitulo "super Litteris," inveniatur necessariò exponendum ex jure vel stylo curiæ (secùs in dispensatione super quibusdam impedimentis Matrimonii) adeoque sufficiat servare generalia juris.

N. 123. DE MUTATIONE MATERIÆ.

I. *Cessat Votum si materia desinat esse possibilis, honesta, &c.* II. *Cessat pro tempore mutationis.* III. *Quamvis materia mutata sit per culpam.* IV. *Item si circumstantiæ notabilis mutatio obveniat.* V. *Votum aliquando cessat ob periculum amittendi vitam, bona, &c.* VI. *Aliquando non cessat ob tale periculum.*

QUANDONAM cessat obligatio voti ob materiæ mutationem?

I. R. Quando materia voti fit impossibilis, illicita, inhonesta, prohibita, &c. et quando materia non est ampliùs respectu ipsius de bono meliori nec absoluto nec respectivo, v. g. fragilis in materia continentiæ vovit matrimonium; cessat fragilitas, simul cessat votum, utpote respectu ipsius neutro modo amplius de meliori bono: cessat etiam ra-

tione causæ finalis. Applica hic, quæ dicta sunt numeris 84. 90 & 91.

II. Nota, quòd obligatio voti cesset in casibus prædictis solùm pro tempore, quo impossibilitas vel mutatio materiæ perseverat, quia votum non omnino extinguitur, sed obligatio suspenditur & impeditur ob materiæ subtractionem.

Similiter si illa mutatio solummodò unam voti partem afficiat, non semper cessabit obligatio voti circa partem alteram. Vide hæc explicata n. 85.

III. Conclusio procedit, quamvis fortè per culpam illa materiæ mutatio accidisset, non quasi culpa liberet à voto, sed quia titulus mutationis materiæ excusat. Vide S. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 3. q. 1, ad 1.

IV. Ad mutationem materiæ reducitur mutatio circumstantiarum notabilium; in quantùm nempe intentio voventis non videtur similes casus comprehendisse; v. g. si peregrinatio fiat post votum notabiliter difficilior vel periculosior.

Verumtamen ob incertitudinem convenit omnino, ut in hujusmodi casibus requiratur Superioris interpretatio, &, in quantùm opus, dispensatio.

Exigua quædam mutatio non debet viri constantis mutare decretum, adeoque non facit cessare votum, quamvis fortè votum non fecisset, si eam mutationem ab initio prævidisset. Respice dicta num. 80. in fine.

An votum obligat cum periculo amittendi vitam, famam aut bona temporalia?

V. R. Si periculum sit grave non prævisum, sive in voto non comprehensum, ordinariè cessabit votum stante periculo; & ita votum audiendi Missam ratione talis periculi cessat, seu potiùs non obligat, quia intentio voventis prudenter similes casus non comprehendit, sicuti lex positiva in hujusmodi casibus ordinariè non obligaret: hinc dicit S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 2. ad 3. "Si ex observatione voti magnum & manifestum gravamen sentiret, & non esset facultus recurrendi ad Superiorem, non deberet homo tale votum servare."

VI. E contrà votum curandi quoscumque pauperes in Hospitali, obligat Medicum cum periculo vitæ, quia tale periculum prævisum comprehensum fuit in voto.

Similiter Carthusianos obligat votum (si tale emittant) non edendi carnes, quantumvis morbus, mortem alioquin illaturus, id exigeret; nam bonum observantiæ Religionis præferendum est vitæ corporali.

N. 124. AN CESSET VOTUM CESSANTE CAUSA SEU FINE VOTI?

I. *Cessante causâ finali, cessat Votum.* II. *Non cessat Votum cessante causâ solùm impulsivâ.*

I. RESP. Cessante causâ finali totali, cessat votum; sic votum instituendi peregrinationem pro impetranda sanitate Petri, cessat, si Petrus moriatur.

Similiter votum non ingrediendi domum quampiam, ut evitet occasionem peccati, cessat, si occasio illa peccandi omnino sublata sit.

Quid si quispiam intendens matrimonium voveat quotidie recitare Litanias B. M. V. ut obtineat pacificam uxorem, sed postea mutans intentionem voveat castitatem?

R. Cessat obligatio voti recitandi Litanias.

Dicitur autem cessare causa finalis voti, quando observantia voti in ordine ad illum finem redderetur vana & inutilis.

II. Cessante causâ solùm impulsiva voti, non ideo cessat votum. De hac causa intelligi debet cap. 7. Multæ de voto.

Quæ causa dicitur finalis?

R. Ea, quæ est finis actûs vovendi & actûs promissi: impulsiva verò dicitur, quæ habet rationem motivi vel finis cujusdam secundarii vovendi.

N. 125. DE STATU RELIGIOSO.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *ad* 189.

I. *Quid sit Status Religiosus.* II. *Quatuor Religionum Regulæ.* III. *Obligatio.* IV. *Quæ Clericis prohibeantur.*

QUID est status Religiosus?

I. R. Est quædam disciplina authoritate Ecclesiæ approbata, tendens per observantiam votorum paupertatis, continentiæ & obedientiæ ad perfectionem.

Observa cum S. Thom. quòd status religiosus vocetur status perfectionis, à fine ad quem tendit, non quòd sin-

guli eum profitentes debeant esse perfecti, sed quia debent tendere ad perfectionem.

Status religiosus tamen non requirit vota solemnia, ut patet in Jesuitis. Interim status in generali indicat quamdam immobilitatem in certa conditione vitæ. S. Thom. quæst. 183. art. 1.

Religiosi in Canonibus vocari solent Regulares; Religiosæ fœminæ noncupantur Sanctimoniales, vel per aphæresim Moniales.

S. Thom. quæst. 188. art. 5. demonstrat, Religiosis convenire studium, scilicet sacrum; idque ex triplici causa, nimirum pro vita contemplativa, pro vita activa, & pro observatione trium votorum suorum.

Curiosus super hac quæstione legat Tractatus P. D. Joan. Mabillon adversùs Abbatem Monasterii Trappæ.

Approbatio Religionum reservata est Summo Pontifici in Concilio Lat. sub Innoc. III. cap. ult. "Ne nimiâ."

II. Quatuor numerantur Regulæ approbatæ, præter Carthusianorum & Jesuitarum, videlicet sancti Basilii, S. Augustini, S. Benedicti & S. Francisci; ad aliquam ex illis reducuntur reliquæ Religiones, quamvis inter se per proprias constitutiones multùm discrepent, quomodo Augustiniani & Dominicani collocantur sub eadem Regula S. Augustini; Cistercienses sub Regula sancti Benedicti.

III. Tria vota præfata obligant sub gravi. Utrùm verò alia, quæ in regula vel in constitutionibus continentur, obligent sub peccato vel sub gravi, colligi debet ex communibus principiis quæ traduntur in Tractatu de Legibus: in Ordine Prædicatorum ne quidem obligant ex suo genere ad culpam, ait S. Th. 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. particularem scilicet Religiosum, verùm cum eo consistit quòd ea obligent communitatem, ut in communi observentur, proindè Superior peccaret, si ea abrogaret, vel eorum negligeret curam, quo minùs observentur in communitate; obligatur enim communitas vivere secundùm regulam & constitutiones.

IV. Clericis specialiter per Canones prohibentur sequentia:

Negotiatio. cap. ne Clerici S. Th. 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3.

Venatio clamosa, scilicet, quæ agitur armis vel canibus. cap. 1. de Clerico. Venat. Conc. Lat. 4.

Ludi alearum, chartarum, tesserarum, &c. qui solâ fortunâ reguntur. Conc. Lat. 4. c. 16.

Choreæ, comœdiæ, publicæ saltationes. Conc. Lat. popinarum ingressus. Conc. Lat. cap. 16.

Quas prohibitiones innovavit Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Ref. & sess. 24. c. 12. de Ref.

N. 126. QUÆSTIUNCULÆ.

1. AN genuflectere coram Crucifixo, est actus Religionis? an elicitus, an imperatus?

2. Da actum à virtute Religionis elicitum non imperatum, & è contra.

3. An oratio facta cum distractione mentis, est vera oratio?

4. An duo Sacerdotes, quorum unus est Beneficiatus, non alter, æqualiter peccent omittendo Horas Canonicas?

6. Beneficiatus per voluntariam ebrietatem intulit sibi morbum, per quem est impotens recitare Horas Canonicas; quæritur quomodo peccaverit? & an excusetur à restitutione?

6. Assigna quempiam, qui utrumlibet duorum contradictoriorum validè voveret.

7. Quispiam vovit ingredi Monasterium; adhibuit conatum omnem, ut admitteretur apud RR. PP. Carmelitas, sed frustra; an tenetur tentare & intrare Ordinem Augustinianorum?

8. An valet votum sublevandi pauperem ob vanam gloriam?

9. Da votum illicitum & validum.

10. Quispiam vovit fieri Religiosus in certo determinato Monasterio; sed tempore Novitiatûs ita se gerit, ut à Superioribus dimittatur: an talis est liber à voto?

11. Utrùm quis votum suum dandi donum Ecclesiæ S. Petri, propriâ authoritate possit mutare, & illud dare Ecclesiæ S. Joannis?

12. Aliquis videns se negligentem in elargiendis eleëmosynis majoribus, vovit dare singulis diebus duos asses; negligit autem illud tribus mensibus: quomodo peccavit, & ad quid tenetur?

RESPONSIONES.

AD 1. Est actus virtutis Religionis; quia adoratio dirigitur ad Christum Crucifixum: est autem actus moraliter elicitus à Religione, quia primam speciem bonitatis sumit à Religione. Vide dicta num. 6.

Ad 2. Talis est primus actus devotionis; è contra actus imperatus est eleëmosyna data pauperi ex voto. Vide num. 6 & 7.

Ad 3. Distinguendo: si distractio circa Deum vel verba, sit plenè voluntaria, non est vera oratio vocalis; si sit involuntaria, poterit ratio veræ orationis perdurare; quia intentio & attentio possunt virtualiter perdurare. Vide dicta n. 47 & 48.

Ad 4. Cæteris paribus Beneficiatus graviùs peccat, quia ultra peccatum quod facit contra Religionem, delinquit ulteriùs contra Justitiam probabiliùs. Vide num. 40.

Ad 5. Distinguendo: si non potuerit nec debuerit prævidere morbum, solùm peccavit contra temperantiam & liberatur a restitutione.

Si autem facilè potuerit & debuerit prævidere illam impotentiam ex morbo secuturam, ultra peccatum ebrietatis peccavit nocendo suæ sanitati; deinde peccavit contra Religionem juxta considerationem Horarum Canonicarum, quas potuit & debuit prævidere se omissurum ex morbo illo; sed multi eum eximunt à restitutione fructuum. Vide dicta num. 39.

Ad 6. Est ille, cui ob fragilitatem melius est matrimonio copulari; nam matrimonium est bonum respectivè melius illi; castitas est bonum melius in se.

Ad 7. Respondet S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. si voverit monasterium aliquod intrare, ita ut fuerit intentio sua se obligare ad ingressum Religionis principaliter, & ex consequenti elegerit Ordinem Carmelitarum, tenetur, si non possit ibi recipi, aliam Religionem intrare: si autem principaliter intenderit se obligare ad hanc Religionem Carmelitarum, non tenetur aliam intrare, si eum illi recipere nolint.

Ad 8. Distinguendo: quando vana gloria est finis solius voventis, non operis promissi, votum valet; quia opus promissum manet bonum: quando autem vana gloria intenditur ut finis operis promissi, votum eatenùs est invalidum quia est de opere malo; nam opus promissum eatenùs est malum: verumtamen posset hoc casu opus habere duos fines disparatos, & tunc votum poterit esse validum, inquantùm in eleëmosyna intenditur finis bonus vovendo. Consule dicta n. 88.

Ad 9. Votum castitatis imprudenter emissum ab eo, qui non habet donum castitatis, vel qui non intendit observare votum.

Ad 10. Distinguendo: si ex fraude vel intentione, ut

dimittatur, se ita gerit, non liberatur; sed debet navare operam, ut readmittatur; si autem sine ulla fraude, putà ex fragilitate, quædam egerit, & propterea dimissus sit, posset excusari. Vide dicta num. 101. ita Wiggers de voto, c. 4. dub. 33.

Ad 11. Si promissio sit directa ad quempiam, & acceptata nomine Ecclesiæ S. Petri, non potest mutare propriâ authoritate: si votum sit factum soli Deo, oportet distinguere juxta formam ex S. Thom.

Ad 12. Peccavit mortaliter à tempore, quo facilè advertere potuit & debuit se defecisse in re gravi voti adimplendi; quia illæ materiæ parvæ coalescunt: idque colligitur ex intentione voventis, secundùm quam plures illæ eleëmosynæ minores debent supplere vices eleëmosynæ majoris; adeoque tanto tempore perseveravit in statu actualis vel virtualis peccati. Vide num. 95.

Ulteriùs consequitur, quòd eleëmosynas neglectas debeat erogare, cùm tempus diei non sit adjectum ad finiendam obligationem voti, sed ad satisfaciendum obligationi eleëmosynæ majoris. Vide num. 100.

TRACTATUS

DE

JURAMENTO.

IN HOC TRACTATU PROGREDIEMUR HOC ORDINE:

N. 127. DE DEFINITIONE ET DIVISIONE JURAMENTI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 89.

I. *Definitio Juram.* II. *Divisiones Juram.*

I. QUID est juramentum?

R. Est invocatio divini testimonii ad fidem faciendam vel promissionem firmandam: sive, est invocare Deum in testem.

Juramentum itidem appellatur Jusjurandum, vel Sacramentum.

Dicitur "invocatio," non orationis, sed contestationis, ut Deus manifestet quodcumque ei placuerit, veritatem testando, puniendo, &c.

Quomodo dividitur juramentum?

II. R. 1. In assertorium & promissorium: ad hoc reducitur juramentum comminatorium.

2. In simplex contestatorium, & in execratorium.
3. In juramentum per Deum, & per creaturas.
4. In explicitum & implicitum.
5. Juramentum dicitur fieri aliud in actu signato, aliud in actu exercito.
6. Juramentum promissorium aliud dicitur accessorium, aliud per se stans.
7. Jurisconsulti adjungunt alias juramenti divisiones in solemne & non solemne; in judiciale & extra judiciale; in juramentum calumniæ, & in litem, &c. quarum discussionem hic prætermittimus tanquam scitu minùs necessariam Theelogis.

N. 128. DE JURAMENTO ASSERTORIO, ET PROMISSORIO.

S. Thom. q. 89. *art.* 1.

I. *Quid sit Juram. assert.* II. *Quid promissorium.* III. *Comminatorium.*

HÆC divisionis membra continentur in præfata juramenti definitione, nempe assertorium significatur in his verbis; "ad fidem faciendam;" promissorium in istis; "vel promissionem firmandam."

I. Fit autem hæc divisio ratione materiæ præteritæ, præsentis, vel futuræ; vel enim, ait S. Thom. divinum testimonium invocatur ad asserendum præterita vel præsentia, & hoc dictiur juramentum assertorium, cujusmodi sunt hæc: "Juro me fecisse eleëmosynam; me tenere Fidem Catholicam."

II. Vel divinum testimonium inducitur ad confirmandum futurum actum, & vocatur promissorium juramentum; v. g. juro me daturum eleëmosynam.

Quid est juramentum comminatorium?

III. R. Quo alteri pœnas minamur, v. g. si pater filio delinquenti dicat: "Testor Deum, quòd dignas delicto pœnas lues." Hoc juramentum comminatorium reduci potest ad promissorium, sed communiter fit soli Deo.

N: 129. DE JURAMENTO CONTESTATORIO, ET EXECRATORIO.

I. *Simplex contestatorium.* II. *Execratorium.* III. *Juram. Saülis.*

I. QUID est juramentum simplex contestatorium?

R. Id, quod fit per simplicem contestationem, sive, in quo Deus invocatur solummodò, ut testis, v. g. "juro per Deum." Potest autem hoc juramentum esse vel promissorium, vel assertorium tantùm.

Quid est juramentum execratorium?

II. R. Illud, per quod invocamus Deum in testem simul & vindicem in nos vel aliquid ad nos pertinens: hujusmodi juramentum fecit S. Paulus 2. ad Cor. 1. v. 23. "Testem Deum invoco in animam meam:" Potest autem & hoc esse promissorium, vel solùm assertorium.

III. Quale fuit Juramentum Saülis 1. Reg. 14. v. 44. "hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha?"

R. Fuit comminatorium & simul execratorium.

N. 130. DE JURAMENTO PER DEUM ET PER CREATURAS.

I. *Juram. per Deum.* II. *Juram. per creaturas contestatoriè.* III. *Propriè fit per Deum.* IV. *Sine respectu ad Deum, est blasphemia.* V. *Juram. per creaturas execratoriè.*

QUOD juramentum dicitur fieri per Deum?

I. R. Illud, in quo immediatè Deus vel aliquod attributum divinum adducitur in testimonium; utì dum dicitur, "juro per Deum."

Juramentum per creaturas fieri potest dupliciter, videlicet solùm contestatoriè & execratoriè,

Quod juramentum dicitur fieri per creaturas solùm contestatoriè?

II. R. Illud, in quo directè assumitur vel exprimitur aliqua creatura, quatenùs illa habet ordinem ad Deum: tale fuit juramentum Moysis Deuter. 30. v. 19. "Testes invoco Cœlum & Terram:" id est, testem invoco Creatorem, Rectorem & Dominum Cœli & Terræ.

III. Nota, quòd juramentum hoc per creaturas, propriè fiat per Deum, & quòd Deus ipse vocetur in testem; quia creatura assumitur, non quatenùs in se consideratur, sed quatenùs habet ordinem ad Deum, & quatenùs veritas Dei in creaturis elucet, ait S. Th. a. 6. q. 89. ita ut exprimatur effectus pro causa: sic docet Christus Matth. 23. v. 22. "qui jurat in Cœlo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum."

IV. Si quis autem vellet facere juramentum proprii nominis per creaturam sicuti per Deum, grave peccatum blasphemiæ aut idololatriæ committeret; quia id quod est Deo proprium, scilicet omnis veritatis suprema attestatio attribueretur creaturæ.

Quod juramentum dicitur fieri per creaturas execratoriè?

V. R. illud in quo creatura consideratur ut conjuncta juranti; et Deus invocatur non solùm ut testis, sed & ut vindex in eam; de quo actum numero præcedenti: ita execratoriè juratur per animam, per salutem propriam, parentum, filiorum, amicorum, regis, &c.

An autem perjurium execratorium, præter peccatum contra virtutem Religionis, contineat speciem malitiæ specialem contra charitatem suî vel proximi, non ita liquet; Suarez respondet negativè; quia non ex animo imprecantur sibi pœnas, & periculum est remotum, & quia perjurio purè contestatorio debetur eadem pœna, quam Deus etiam aliquando visibiliter infligit: verùm ex eo solùm sequitur, quòd in utroque perjurio peccetur contra charitatem suî.

N. 131. DE JURAMENTO EXPLICITO, ET IMPLICITO, ACCESSORIO, ET PER SE STANTE.

I. *Juram. explicit.* II. *Implicit.* III. *Juram. in actu signato.* IV. *In actu exercito.* V. *Juram. accessor.* VI. *Juramentum per se stans.* VII. *Juram. calumniæ.* VIII. *Juram. solemne.*

QUOD juramentum dicitur explicitum sive expressum?

I. R. Illud in quo divinum testimonium exprimitur: quale est hoc: "Testem Deum invoco."

II. Dum verò testimonium Dei non ita expressè & directè significatur, dicitur implicitum: cujusmodi est juramentum per creaturas, vel quod per signa verbis æquivalentia præstatur.

III. Quod juramentum dicitur fieri in actu signato?

R. Illud, in quo actus jurantis exprimitur, v. g. "Juro per Deum."

IV. In actu autem exercito habetur juramentum, quando actus jurantis non exprimitur in verbis, sed tamen consignificatur: v. g. dum dicitur; "per Deum, per animam "meam ita est;" subintelligitur enim verbum "juro."

Quodnam juramentum dicitur accessorium?

V. R. Quod præstatur ad obligationem promissionis, aliamve velut præsuppositam solummodò confirmandam; ita ut materia juramenti accessorii propriè sit impletio obligationis ex pacto, aut aliundè contractæ vel contrahendæ; sic juramentum implendi sponsalia contracta, est accessorium respectu sponsalium; si juramentum sit confirmatorium promissionis Deo factæ, dicitur votum juratum.

VI. Juramentum per se stans est illud, quo promittitur aliquid sub obligatione juramenti, sepositâ etiam quâvis aliâ obligatione. Nonnunquàm difficile est illud dijudicare; propterea recurrendum est sæpe ad intentionem jurantis & petentis juramentum, ad finem & circumstantias: sic latro petens ex injusto metu à viatore pecuniam postea dandam, censetur petere juramentum per se stans; quia juramentum accessorium cessaret cessante promissione, non ita juramentum per se stans.

Quod juramentum vocatur calumniæ?

VII. R. Illud, quo pars litigans jurat, quòd bonâ fide, & non intentione calumniandi aut divexandi procedat in contestatione & prosecutione litis. Violant hoc juramentum, qui falsa allegant, vel vera ad causam litis pertinentia negant; qui fraudulentam dilationem, vel appellationem interponunt, &c.

VIII. Obiter nota, quod juramentum solemne soleat præstari manu admotâ Libro Evangelii, vel Crucifixo, aut etiam elevatis duobus prioribus digitis; Sacerdotes etiam jurant manu pectori appositâ. Ita Zypeus.

Mennonistæ, judicantes omne juramentum esse illicitum, deponunt sub verbo "est, est."

Judæi jurant manu admotâ Legi Moysis; sed ipsis fidendum non est; quia facilè in juramentis eorum dispensatur à Rabbinis eorum.

N. 132. DE VARIIS JURANDI FORMULIS.

I. *Juram. sunt:* Deum testem invoco. II. Coram Deo loquor. III. Testis est mihi Deus. IV. Deus scit, *cum distinctione respond.*

I. SUNT quædam formulæ, quæ sine ambiguitate continent juramentum v. g. "Juro per Deum: Deum testem invoco; Testor Deum, &c."

De quibusdam aliis non ita evidens est; hinc quæritur:

II. An sit juramentum asserere aliquid sub hac formula: "coràm Deo loquor?"

R. S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. ad 3. Affirmativè; hoc modo juravit S. Paulus ad Gal. 1. v. 20. "ecce coram Deo, quia non mentior."

III. Idem affirmat S. Thom. ibidem de hac formula, "Testis est mihi Deus."

An jurat ille, qui asserit aliquid in hunc modum: "Deus scit me verum dicere?"

IV. R. Resp. Sylvius cum Suarez distinguendo: si ille hoc dicat solùm "enuntiativè" seu simpliciter affirmativè, solummodò commemorans, quòd Deus sciat omnia, absque juramento hoc dicit: si autem id dicat "invocativè" contestans Deum omnia scientem, verè jurat. Navarrus dicit hunc sermonem, "Deus scit an verum dicam," non continere juramentum.

N. 133. NOTA.

I. *Attendi debent intentio & circumstant.* II. *Usus communis intelligendi.* III. *Voveo Deum.* IV. *Vivit Dominus.* V. *Me Hercule.* VI. By de B.

I. NOTA pro hìc dicendis: quandò verba sunt ambigua, ut quis ea proferens judicetur jurasse, attendi 1°. debet intentio loquentis & petentis; secundò attendi debent circumstantiæ personarum, loci, temporis, necessitatis, &c.

II. Tertiò attendi debet usus loquendi, sive communis intelligentia verborum in patria ista vel loco illo; si enim communis sensus habeat, illa verba continere juramentum, is, qui eàdem ibi profert, censetur ea dicere in sensu juratorio, prout ibidem intelliguntur ab hominibus:

III. Ita in Hispania continent juramenrum valdè grave

hæc verba, " voveo Deum," ut notant Suarez & Covarruvias. IV. Prophetæ jurabant " vivit Dominus." V. " Me Hercule" erat juramentum gentilium teste Tertull.

VI. Apud Flandros hæc enuntiatio: " het is by de B. " waer," ex usu & intellectu communi æquivalet huic juramento: " het is by Godt waer."

N. 134. DE ALIIS FORMULIS JURANDI DUBIIS.

I. *Non sunt Juram.* in Fide Sacerdotali, in conscientia, in veritate. II. Op myn woord, par ma foi, certissimè, veraciter, &c. III. *Sunt Juramenta;* per fidem cathol., in veritate Dei. IV. Per Evangelia, per templum, per Sanctos, *&c.*

I. AN juramentum indicant hæ affirmandi formulæ: in fide, in fide Sacerdotis, in conscientia, in veritate, &c.

R. Juristæ plures affirmant; unde etiam in tribunalibus loco juramenti acceptabitur testimonium Sacerdotis sub formula " in fide" sive " in verbo Sacerdotali;" utì etiam viri nobilis, " sub verbo nobilitatis," sive " honoris."

Theologi communiter resolvunt in prædictis formulis non indicari juramentum, sed exaggerationem quamdam. Bill. 310.

II. Ratio est, quòd testificatio hic non resolvatur in Deum, sed in ipsum loquentem: solùm enim significat se loqui in fide, id est, fidelitate humanâ, quam decet habere virum probum vel Sacerdotem; vel se loqui ex conscientiæ dictamine, vel veritatis cognitione: propterea apud Flandros non habetur pro juramento dicere: " op myn trouw, op myn woord, in conscientie, par ma foi."

Sicut neque hæ affirmationes: " Certò, certissimè, profectò, veraciter, waeragtig, sincerè, in veritate, &c."

III. Si tamen adjiciantur quædam verba denotantia respectum ad Deum, annumerabuntur Juramentis; v. g. si dicatur: " in fide Christi, per fidem Catholicam, per Sacerdotium, in veritate Dei:" sic putatur jurasse S. Paulus ad Rom. 9, v. 1. " Veritatem dico in Christo."

IV. Similer si quis quidpiam affirmet per " Sacra Evangelia," per " sanctam Crucem," per " Sacramenta," per " Templum," per " Sanctos," aut " reliquias" SS. verè jurat per Deum, quia principalis appellatio in rebus sacris intelligitur semper cum ordine ad Deum.

N. 135. DE ALIIS FORMULIS JURANDI IMPLICITE.

I. *Verbum* Juro, *sufficit ad jurand.* II. *Nisi adsit particula alienans:* Juro per barbam Magni Turcæ. III. Par Dieu, by Godt *sunt Juramenta simplicit. contestat.* IV. Super animam, *est Juram. implicit. execrat.* V. *Datur sensus istius Juramenti.* VI. *Objectio.*

AN solum verbum "juro" sufficit ad jurandum?

I. R. Per se id sufficere, maximè si intentio & circumstantiæ consignificent v. g. si simul digiti attollantur, vel manus pectori admoveatur.

II. Si verò addatur particula distrahens vel alienans, non accipietur pro juramento: ut si quis dicat: "Juro per barbam magni Turcæ, ik sweere by den spinrok van myn vrouw."

III. An & quale juramentum est, asserere aliquid dicendo "per Deum," Gallicè "par Dieu," Flandrice "by Godt" sive "Begodt," non addendo verbum "juro?"

Respondet S. Thom. q. 89. art. 1. ad 3. esse juramentum simpliciter contestatorium, subintelligitur enim verbum "juro."

IV. An & quale est juramentum, dum quis aliquid affirmat aut negat dicendo "in animam meam," Flandricè "op myn ziel, myn ziele Gods, men ziel het is waer?"

V. R. Est juramentum execratorium, & subintelligitur verbum "juro," idemque valet ac si diceretur: "invoco Deum testem & simul vindicem in animam meam," ut, si vera non loquar, id testificetur animam meam puniendo, perdendo, & statim pœnis infernalibus addicendo: idem est sensus hujus formulæ "op myn Zaligheyd."

VI. Obj. Homines hoc dicentes non intendunt sic jurare, sed solùm significare volunt, id, quod affirmant, esse tam verum, quàm habent animam.

R. Nego assumptum: nam proprius verborum illorum, "op myn ziel," sensus est juratorius. Idem probat communis populi apprehensio & intellectus: vulgus enim constanter dicit, iste super illa veritate juravit "in animam suam." Denique hæc est doctrina communis Scholasticorum & Casuistarum etiam laxiorum, Gobat, Busenbaum, La Croix, &c. Vide dicta num. 133.

N. 136. DE ALIIS FORMULIS JURANDI EXECRATORIE.

I. *Juram. execrat.* sic me Deus adjuvet. II. Hæc faciat mihi Deus. III. Per salut. Pharaönis. IV. Diabolus me auferat, Fulmen percutiat, &c. V. Verdoemt blixem, donder, *&c.* VI. Duyvels peerd, *&c.* VII. *Non sunt juramenta,* Hekx, gy donder, *&c.* VIII. Expono caput, amputa aures, *&c.* sim nequam, volo esse fur. IX. Tam verum quàm hìc sto, quàm Sol lucet. X. Tam verum quàm Deus est in Cœlo; zoo waer als Godt: *est juramentum & blasphemia.* XI. Quàm Christus est in Eucharistia.

I. QUALE est juramentum, quod passim exigitur in tribunalibus sub hac verborum formula: "sic me Deus adjuvet & omnes sancti ejus?"

R. Est execratorium; sensus est enim per antiphrasim: si falsum juro, Deus id testetur me non adjuvando, sed derelinquendo & perdendo secundùm animam, corpus & temporalia bona. Propterea sensus similium formularum hominibus minùs eruditis explicari debet, antequam admittantur ad juramentum.

II. Similiter juramentum execratorium est illud Ruth. 1. v. 17. "hæc faciat mihi Deus, & hæc addat."

III. Quale juramentum fecit Joseph. Gen. 42. v. 15. "per salutem Pharaonis non egrediemini?"

Respondet S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 6. potest intelligi esse execratorium, vel etiam contestatorium per creaturas. Vide hæc explicata num. 130.

IV. An juramentum continent hæ expressiones: "Diabolus me auferat, fulmen me percutiat, dispeream malè, me terra dehiscat, moriar statim, disrumpar, nunquam è loco discedam, fiam mox cæcus," Anglice "God damme, &c."

R. Distinguendo: si assumantur ad aliquid affirmandum, vel negandum, continent juramentum execratorium: implicitè enim invocatur Deus, ut testetur veritatem aut falsitatem ejusmodi mala permittendo vel immittendo: si autem non accipiantur in confirmationem veritatis alicujus, habebunt proprium sensum imprecatorium sine juramento. Vide num. 137. Billuart t. 4. p. 307.

V. An designant juramentum hæ expressiones: "male-

dictum, damnatum, verdoemt, duyvel, donder, blixem, &c."

R. Si rursum assumantur ad aliquid confirmandum vel negandum, designant juramentum execratorium, v. g. si dicat quis: "by den blixem 't is waer," sensus est, "ik sweere by den blixem;" fulmen autem solet esse instrumentum punitionis divinæ: similiter si dicat, "verdoemt ten si niet waer," sensus est, "dat ik verdoemt ben, is 't waer," seu, Deus condemnando me id testificetur.

VI. Si verò non dicantur ad confirmationem alicujus, ordinariè erunt expressiones iræ, impatientiæ, vel fortè imprecationis, non juramenta v. g. "Duyvels peert, vermaledyden boom, pestige prye, dondersche vlug, de duyvel wat is dat? Wat donder gaet dan aen?" consule dicenda numero sequenti.

VIII. Magis absunt à juramento hæc verba ad homines vel animalia directa: "Hecx, Tooveresse, gy duvel, gy "donder, gy blixem, &c."

An continent juramentum hi affirmandi modi: "expono caput meum, amputa mihi aures, &c. si non sit verum?"

VIII. R. Negativè: quia dicuntur purè per modum sponsionis humanæ.

Similiter juramentum non denotant enuntiationes istæ: "sim mendax, sim nequam, volo esse fur," si non sit verum: solùm enim spondet per famam suam, dicens se pro tali velle haberi, si non sit verum.

IX. An hi affirmandi modi significant juramentum: "est tam verum quàm hìc sto, quàm vivo: est tam verum quàm sol lucet, &c."

R. Si solùm, prout communiter, "enuntiative" proferantur, non juratur: si "invocative" ad Deum dicantur, juramentum continent: quod colligi poterit ex intentione vel circumstantiis; putà si dicatur: "zoo waer, als ik hier van Godt wegen staen;" quia fit directè relatio ad Deum tanquam Gubernatorem hominum; & est juramentum execratorium.

X. Quid judicandum de his formulis asserendi: "tam verum est quàm Deus est, quàm Deus est in Cœlo, zoo waer als God?"

R. Doctores communiter admittunt illas formulas de se esse juratorias.

Imò Suarez, Gobat, Damen, Covarruvias existimant eas insuper continere blasphemiam: quia eas eloquens affectat

sibi præstari fidem, quanta veritati divinæ debetur. Busenbaum tamen vult cum Bill. 308 excusare eos qui in iis intendunt non comparationem æqualitatis, sed similitudinis tantùm: nam etiam secundùm Philosophos, omnes propositiones veræ sunt æque veræ; sed tamen idcirco non sunt æquè certæ, nec æquè dignæ, ac venerandæ.

XI. Idem judica de hac expressione: "est tam verum quam Christus est in Eucharistia, in Missa, &c." nam sunt veritates sanctæ fidei.

N. 137. NOTANDA CIRCA FORMULAS JURATORIAS.

I. Non sunt juramenta, si non dicantur ad affirmandam vel negandam. II. *Peccatur tamen.*

I. DUM in præcedentibus resolvimus, formulas quasdam continere juramentum, semper addimus: quando illæ formulæ assumuntur ad aliquid affirmandum, confirmandum vel negandum: si enim dicantur sine ullo respectu ad fidem faciendam vel promissionem firmandam, sed inaniter & per modum interjectionis, non efficient propriè juramentum; quia deest objectum juramenti: et ita non significatur verum juramentum in his sermonibus: "Par Dieu" voyez, "Begodt wat is dat? "men ziel" laet dat eens zien, &c. Ita La Croix lib. 3. p. 1. n. 281.

II. Verumtamen similia dicens peccat, primò, quia verba juratoria in vanum assumit; secundò quia sæpe dat scandalum; tertiò quia consuetudo jurandi contrahitur, quæ consuetudo voluntaria semper mortaliter mala est, ut dicetur infra num. 167 & 170.

NOTA 2°.

I. *Simplices imprecationes,* loopt voor den duyvel, *&c.* II. *Quomodo peccetur.*

I. A Juramento execratorio multùm differre simplices imprecationes, quibus nobis vel aliis optamus aut volumus mala absque invocatione testimonii divini, quas vulgus solet comprehendere & exprimere sub nomine "vloeken en zweeren:" ita v. g. si quis sibi ex impatientia mortem exoptet, vel alteri ex ira aut invidia imprecetur morbos vel

damna, dicendo: "le diable t'emporte, loopt voor den duyvel, dat u den blixem sleat, 'k wil dat gy den hals breekt, &c." II. non jurat, quia non vocat Deum in testem; sed peccat alio peccato secundùm objectum mali optati, & secundùm intentionem seu voluntatem imprecantis; quæ voluntatis intentio præcipuè attendenda, an scilicet verè & ex corde voluerit proximo illud malum; si enim illud malum nullo modo voluerit alteri, illæ expressiones habebunt solùm malitiam iræ vel impatientiæ ex qua procedunt.

N, 138. DE FORMULIS JURANDI BLASPHEMIS.

I. Mort Dieu, sacre Dieu, *&c.* II. *Sunt blasphemiæ.* III. *Quamvis mors Christi accipiatur.* IV. *Triplicit. committitur blasphemia.* V. Sacramentum. VI. Tausend Sacrament. VII. Sacramenchen hond. VIII. *Non excusantur licèt non intendant blasphemare.* IX. *Nec risus aut jocus excusat.* X. *Inducens stultum ad blasphemias.* XI Jesus, Maria, Godt, *&c.*

I. QUID continent hæc verba Gallica: "Mort Dieu, Tetê Dieu, Ventre Dieu, Sacre Dieu, je renie Dieu, seu jerni Dieu," &c.

R. Primò continent aliquando juramentum, dum ad affirmandum vel negandum aliquid adducuntur; quia affirmationis relatio fit ad aliquid, quod Deo attribuunt, vide dicta numero præcedenti, ita ut taliter falsum jurans perjurium committat.

II. Secundò continent semper "blasphemiam horrendam," directissimè Deum in evibratam, quia contumeliosè attribuitur Deo aliquid, quod ipsi non convenit: Flandricè "Gods lastering:" vulgariter comprehenditur sub terminis: "vloeken en sweeren."

III. Quid si quispiam proferens "Mort Dieu" intelligat mortem Christi, an blasphemiam committit?

R. Affirmativè (quamvis iste non sit obvius verborum impiorum sensus) quia contumeliosè assumitur mors Christi, quæ cum reverentia semper est nominanda; unde in Jure causa 22. q. 1. Can. 10. absolutè decernitur, esse blasphemiam jurare per "Dei caput, capillum," & consequenter per qualecumque membrum: v. g. "ventre Dieu."

Aliqui explicant "mort Dieu," &c. dici imprecatoriè: verùm & in hoc sensu continet malevolam blasphemiam.

IV. Notandum enim, quod tripliciter blasphemia committatur in Deum: primò attribuendo aliquid Deo, quod Deo non convenit; vel negando aliquid de Deo, quod ei convenit; secundò attribuendo aliquid creaturæ, quod soli Deo convenit; & tertiò quamvis attribuatur Deo, quod ipsi convenit, vel negetur, quod ei non convenit, si tamen convicioso vel contumelioso modo id fiat, patratur blasphemia: quia modus est blasphemus.

"Sacre Dieu," per antiphrasim habet hunc sensum obvium, "non sit sanctus Deus."

V. Quid jidicandum de prolatione vocis, "Sacramentum," sine addito?

R. Si in communi sermone, maximè si ex ira proferatur, modus certò est indecens contra reverentiam Sacramentorum, adeoque si non contineat blasphemiam, certè juxta Layman & omnes continet malitiam sacrilegii & scandali, ac periculi, sæpe mortalem.

"Godt Sacrament, Gods Bloed," plus habent de blasphemia.

VI. Si autem Germani adjiciant: "Tausend Sacrament, Hondert tausend Sacrament" certa est blasphemia ob falsitatem & vilipendium numeri Sacramentorum; consentientibus Gobat, Layman, Tann, &c.

VII. Hæ enuntiationes, "Sacramenshen hond, Sacramenschen schelm," &c. significant blasphemiam sine juramento.

Obj. Homines plerique præfatas formulas eloquentes non volunt, nec intendunt jurare vel blasphemare; ergo illi excusantur.

VIII. R. Negatur ant. Saltem dum eæ proferuntur coram aliis hominibus: quia vis significationis inest verbis non juxta voluntatem privati hominis, sed juxta communem intellectum, apprehensionem & usum patriæ: jam autem hoc modo præfatæ formulæ habent sensum juratorium ant blasphemum. Deinde id non tollit scandalum.

IX. Neque etiam excusantur à blasphemia, quantumvis iis utantur tantùm ad jocum vel risum, quia nimis altus & sanctus est Deus, quàm ut nostris jocis & risibus subjici possit.

Si quis mere narrativè illas formulas referat, non peccat; sicut Scriptura refert: Ps. 17. "dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Q. La Croix lib. 3. p. 1. n. 255. docet quòd inducens ebrium, stultum, vel puerum ad blasphemandum, sit reus blasphemiæ: imò & qui psittacum docet blasphemias.

XI. Quid judicandum de illo modo, mulieribus usitato, dicendi leviter: "Jesus, Maria, Heer, Heere Godt, bone Deus, &c."

R. Hi termini possunt significare juramentum, si speciali intentione quis testificationem Dei invocet ad firmandum veritatem: blasphemia non significatur, nisi ex circumstantiis contemptibiliter assumantur & contumeliosè.

Dum interim proferuntur ex levitate, ex causa admirationis, aut simili alio modo, committitur irreverentia quædam Sacrorum Nominum, saltem venialis contra secundum Decalogi præceptum: "non assumes Nomen Domini Dei in vanum."

N. 139. DE FORMULIS JURANDI CORRUPTIS.

I. Salement, Mordien, men ziel, *non sunt juramenta.* II. *Ratio dignoscendi practicè.* III. *Pro Confessariis.* IV. *Peccatur venialit.* V. *Aliquando mortaliter.* VI. *Objectio.*

I. An jurat vel peccat, qui supra relatas formulas] profert corruptè, mutando litteras aliquas, v. g. qui dicit *Belot,* vel *begudt* loco *Begodt? men zien* loco *myn ziel? Mordien, morbleu* loco *mordieu? salement, saldermenten* loco *Sacrament.*

R. Distinguo: si ille istam vocum corruptionem faciat (prout ordinariè fit) ea intentione, ut mutet significationem vocum, sive eo animo, ut non dicat verba jurationis vel blasphemiæ, revera non jurat nec blasphemat, quia nec intentio, neque verba continent ejusmodi sensum, nec ex communi usu sic intelliguntur; sed sunt verba nihil significantia: idque practicè dignoscitur ex eo: nempe talis, si accusetur jurasse aut blasphemasse, instanter negabit & reponet, se solummodo dixisse *Belot,* non *Begodt; Mordien* non *Mordieu.*

III. Hoc modo experimentum capiet Confessarius circa pœnitentem, qui confitetur se dixisse "Belot, Begudt, Mardi, par Dien, Mardien," &c. an non peccaverit fortè ex conscientia erronea: petet enim Confessarius: an dixisti *Mordieu?* si pœnitens respondeat: non dixi *Mordieu?* nam id continet detestabilem blasphemiam, solùm dixi *Mordien;* signum est quòd ex intentione vitandi illam blasphemiam, mutaverit litteram, & proinde non

peccaverit contra conscientiam; si autem ille hos terminos "Mordien & Mordieu" habeat tanquam æquivalentes in turpitudine, signum est, quòd etiam æquè peccaverit.

IV. Iste prior interim, licèt excusetur à peccato blasphemiæ, facilè peccaverit venialiter; quia sunt verba malè sonantia, & vicina seu appropinquantia ad juramenta & blasphemias, V. aliquando etiam mortaliter peccare poterit ratione circumstantiarum præcipuè scandali, dum alii illam subtilem litteræ mutationem non ita percipiunt, putà juniores, qui dum a parentibus audiunt "mordien, belodt," ædificantur ut similia verba dicant non corruptè, sed prout in plateis audiunt "Mordieu, Begodt."

VI. Obj. Supra dictum est, quòd hæ formulæ Flandricæ "op men ziel, begodt," contineant juramentum, atqui in his mutatur littera nempe *y* in *e*, deberet enim dici Flandricè "myn ziel, by Godt," ergo mutatio litteræ nihil facit.

R. Quod mutatio litteræ objecta non mutet significationem illarum vocum, est enim dialectus vel solæcismus usitatus Flandricus, manente eâdem significatione: idem enim Flandricè valet *Begodt*, quod *by Godt;* idem *men ziel*, quod *myn ziel;* sicut apud Flandros *men handen* significat idem, quod *myn handen.*

OBSERVA CIRCA FORMULAS PRÆFATAS.

I. *Peccatur quandoq. ex conscientia erronea.*

I. QUOD nonnunquam interveniat conscientia erronea vel ignorantia, unde accidit, quòd aliqui jurent interne saltem, dum erroneè putant formulas, quas proferunt significare juramentum vel blasphemiam; & è converso aliqui excusentur, licèt verba jurationis dicant, eò quòd penitus id ignorent, sed simul

OBSERVA 2°.

I. *Sufficit cognitio enormitatis in generali.* II. *Confessarius.*

I. SUFFICERE quòd, ut illi verè peccent, noverint in generali, illa verba quæ proferunt, esse verba jurationis, vel enormia contra Deum, vel saltem audiverint aliquando, quòd ii, qui ejusmodi verba eloqui solent, vocentur "ju-

ratores;" quamvis illi in particulari sensum & qualitatem istorum verborum juratoriorum nequeant explicare, neque intelligant, nec apprehendant fortè illa verba habere vim juramenti, vulgò "Eed; quod patet ex reprehensione Judæorum Matth. 5. v. 34. & seq. qui Judæi existimabant se non verè jurare per creaturas, & tamen arguuntur à Christo peccasse jurando.

II. Qualiter Confessarius illos, qui confitentur se jurasse, vulgò "gevloekt en gesworen," interrogare debeat eosque examinare, fusè explicant Schemata practica, quæ reperies infra.

Pœnas temerè jurantium & blasphemantium, legito infra n. 175.

N. 140. UTRUM LICITUM SIT JURARE?

S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *a.* 2.

I. ***Probatur juramentum esse licitum.*** II. ***Est actus Religionis elicitus.*** III. ***Objectio.*** IV. ***Duplex explicatio Textûs:*** non jurare omnino. Matth. 5. V. ***Quomodo Juram. dicatur esse à malo.*** VI. ***Juram. non est expetendum.*** VII. ***Deus juravit.*** VIII. ***An Christus juraverit incertum est.*** IX. ***Quid Clericis liceat coram Judice Laïco.***

I. RESPONSIO affirmativa fide est certa, dum juramentum stipatum est suis comitibus, & probatur primò ex Deuter. cap. 6. ubi dicitur "Dominum Deum tuum timebis, "& per Nomen illius jurabis."

Probatur 2° ex usu & praxi Ecclesiæ & exemplis S. Pauli & aliorum Sanctorum.

Cujus virtutis actus est juramentum?

II. R. Cum S. Th. a. 4. est actus Religionis sive latriæ elicitus: quia in eo profitemur in Deo summam veracitatem & omniscientiam occultorum.

III. Objic. Prohibet Christus omne jurementum Matth. 5. v. 34. "Non jurare omnino," quod explicans Jac. cap. 5. v. 12. addit: "neque per Cœlum, neque per terram, "neque aliud quodcumque juramentum." Ergo nullum juramentum est licitum.

R. Prænotandum cum Suarez & Wiggers, Judæos, quos Christus corrigit, habuisse errores duos, unum, quod juramentum per creaturas non esset verum juramentum obli-

gatorium, paucis exceptis; alter error fuit, juramentum per Deum, modò verum affirmarent, semper esse licitum & frequentandum: igitur

IV. Responsio prima est S. Aug. quòd in locis Sacræ Scripturæ objectis, solùm prohibeatur effectus & frequentia jurandi, ita ut sensus sit: quantùm in vobis est nolite jurare, nisi necessitas aut utilitas exigat. Hæc responsio confirmatur ex verbis S. Jacobi, qui illud præceptum exprimit hoc modo, "nolite jurare," id est, ne velitis sive ametis jurare.

Resp. secunda est, quòd Christus solummodo prohibeat jurare in communi sermone & promiscuo colloquio. Quæ responsio satis verosimilis apparet ex iis, quæ Christus adjungit: "sit sermo vester, est, est; non, non:" Ergo Christus loquitur de communi sermone & colloquio, non de specialibus casibus necessitatis.

Instabis: Christus ibidem v. 37. de juramento subjungit. "quod his abundantius est, à malo est;" ergo juramentum est malum.

V. R. S. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in Monte cap. 17. advertit, Christum non dixisse: juramentum malum est, sed "à malo est," scilicet occasionaliter à defectu veracitatis loquentium, & ab incredulitate hominum audientium, ita ut per malum ibidem intelligitur defectus vel imperfectio, aut etiam culpa hominum, non juramenti.

Objectiones ex SS. PP. petitæ solvi possunt conformiter ad sensum verborum Christi: Etiam alibi SS. Patres agunt de perjurio vel de juramento idololatrico.

VI. Ex dictis patet juramentum non esse per se appetendum, quia assumitur ad subveniendum defectui; sicuti medicina, licet bona, non est appetenda, sed in necessitate accipienda. Ita S. Thom. q. 89. art. 5.

An Deus juravit unquam?

VII. R. Affirm. scilicet ad confirmandos homines: hinc dicit Paulus ad Hebr. 6. v. 13. "Deus juravit per semetipsum." Item v. 17.

VIII. An Christus juraverit, incertum est, quandoquidem dissuaserit aliis; quidam tamen existimant eum jurasse Joan. 8. v. 58. "Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum."

Quinam possunt jurare?

R. Omnes, qui pollent usu rationis sufficienti; sed pueri ante annos pubertatis cogi non possunt ad jurandum. Causa 22. q. 5. c. 15.

IX. Clerico non licet jurare vel testimonium dicere co-

ram judice Laïco, nisi cum licentia prælati sui. Synod. Diœc. Mechl. tit. 17. c. 5. c. Inhærentes tit 7. lib. 2. S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 10. Clericis non prohibetur jurare coram Ecclesiastico. B. Z. Van Espen temerè dicit id à Clericis hodie non observari, & ita falso testimonio, cui Laïci Judices fidem adhibent, abrogat S. Canones & totam legem, quæ adhuc est in observatione: scio enim ego, usque in hæc tempora timoratos Sacerdotes petere licentiam ab Episcopo, dum necessitas ab eis requirit dicere testimonium coram Judice Laïco: nec obstat concordatum Episcopi Camer. cum Senatu Hannoniæ anno 1541, quia illud non tollit necessitatem postulandæ licentiæ.

N. 141. DE FINE ET EFFECTU JURAMENTI.

I. *Finis Juramenti.* II. *Effectus Juramenti.* III. *Alter effectus.*

QUIS est juramenti finis?

I. R. Est veritatis confirmatio, & controversiæ terminatio seu finis, juxta illud Apost. ad Heb. 6. v. 16. "Omnis controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum."

II. Effectus juramenti itidem dicitur esse veritatis confirmatio & controversiæ terminatio, sub diversa tamen ratione, quatenùs scilicet juramentum considerari potest secundùm ordinem executionis, & secundùm ordinem intentionis.

III. Alter effectus juramenti est obligatio juramenti promissorii implendi, qui tamen comprehendi posset sub veritatis confirmatione.

N. 142. DE COMITIBUS JURAMENTI.

S. Thom. qaæst. 89. *art.* 3.

I. *Tres Comites Juramenti.* II. *Non plures.* III. *In omni juramento tres Comites adesse debent.* IV. *Etiam in assertorio.*

I. QUI & quot sunt comites juramenti?

R. Hi tres: veritas, justitia & judicium; juxta illud Jerem. 4. "jurabis in veritate, & in judicio & in justitia."

II. An dantur plures juramenti comites præter tres assignatos?

R. Negativè: nam cæteræ conditiones requisitæ ad debitum jurandi modum, uti fides, devotio, prudentia, &c. reduci possunt ad comites præfatos.

III. An illi tres comites requiruntur in omni juramento tam assertorio quàm promissorio?

R. Affirm: nam illi tres sine exceptione requiruntur Jerem. 4. & ita docent Suarez, Wiggers, aliique: Cajetanus tamen putat comitem justitiæ non habere locum in juramento assertorio, &

Objicit: licitè juramento asseritur res turpis, v. g. adulterium ab aliquo commissum; ergo comes justitiæ non debet adesse in juramento assertorio.

IV. R. Distinguo antecedens: licitè juramento asseritur res turpis quando ipsa assertio est licita, v. g. quando à Judice legitimè petitur, concedo antecedens: verùm tunc adest comes justitiæ in eo scilicet, quòd materia proxima, scilicet assertio veritatis sit licita & honesta, quamvis res remota asserta sit inhonesta: licitè juramento asseritur res turpis quandò ipsa assertio non est licita & honesta; nego antecedens; & ita illud adulterium occultum sine justa causa illicitè revelaretur vel assereretur juramento, & iste jurans peccabit non solùm peccato detractionis injustæ, sed etiam peccabit contra Religionem ex defectu comitis justitiæ, quia ipsa assertio non est licita & honesta.

N. 143. DE COMITE VERITATIS.

I. *Duplex veritas juram.* II. *Materialis seu veritas rei.* III. *Veritas formalis seu locutionis.*

QUID est comes veritatis?

I. R. Hic comes comprehendit duo, sive veritas juramenti duplex est: scilicet, veritas formalis & veritas materialis.

II. Quid est veritas materialis?

R. Est veritas rei, seu facti, de qua est controversia.

III. Veritas formalis est veritas locutionis, sive scientia jurantis, aut ejus prudens & firma persuasio, rem se sic habere sicut jurat: v. g. si quis jurat à Joanne occisum Petrum, veritas materialis est occisio verè facta à Joanne; veritas formalis est jurantis firma persuasio aut cognitio homicidii facti, quam habet ex visu vel ex aliis causis seu argumentis sufficientibus.

Utraque veritas cadit sub juramento; veritas formalis directè & proximè, veritas materialis cadit sub juramento consecutivè, ita ut jurans directè juret suam persuasionem, & consecutivè veritatem rei.

N. 144. DE COMITIBUS JUSTITIÆ ET JUDICII.

I. *Comes justitiæ, quòd sit licitum & honestum.* II. *Justitia generaliter accipitur.* III. *Judicium notat justam causam jurandi.*

QUID significatur per justitiam juramenti comitem?

I. R. Significatur, quòd debeat esse licitum & honestum illud, quod juratur.

Obj. Licitè aliquando confirmo juramento homicidium commissum: atqui illud non est licitum, ergo comes justitiæ non requirit ut juretur licitum.

R. Nego conseq.: nam in casu ipsa assertio seu declaratio veritatis homicidii est licita, & ipsa juratur tanquam materia proxima, & ita juratur licitum.

II. Nota, quòd per justitiam comitem juramenti intelligatur non solùm justitia virtus specialis, sed justitia generaliter accepta notans honestatem omnium virtutum: ita in juramento de perpetranda fornicatione, deest comes justitiæ; similiter in juramento committendi mendacium jocosum, deest comes justitiæ.

Obj. Mendacium jocosum non est contra virtutem justitiæ; ergo in juramento committendi mendacium jocosum, non deest comes justitiæ.

R. Nego cons. quia sufficit, quòd sit contra honestatem alicujus cujuscumque virtutis secundùm dicta.

Quid intelligitur per comitem judicii?

III. R. Intelligitur judicium discretionis justum, ut scilicet adsit justa sive sufficiens causa seu ratio jurandi: justa autem causa est necessitas vel notabilis utilitas; justa causa potest esse, si Superiores petant juramentum,

N. 145. DE MATERIA JURAMENTI.

I. *Materia juramenti promissorii.* II. *Actio alterius non est materiâ juramenti promissorii.* III. *Nisi in quantùm jurans potest mandare, &c.*

QUÆ est materia juramenti?

R. Materia juramenti assertorii potest esse quæcumque veritas licitè & honestè confirmanda.

I. Materia juramenti promissorii, est res vel actio licita, honesta & possibilis respectu jurantis: si verò illud juramentum fiat soli Deo, debet esse de meliori bono, sicuti votum: debet autem materia juramenti esse saltem honesta, quia aliàs non esset materia capax obligationis virtutis Religionis.

An juramentum promissorium potest esse de actione alterius?

II. R. cum S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. in. c. quòd materia juramenti promissorii non sint ea, quæ fiunt per alias causas: inquantùm tamen opus alterius potest esse in potestate & voluntate jurantis, eatenùs poterit esse materia juramenti promissorii respectu prioris, quia eatenùs illud opus censetur esse jurantis, tanquam mandantis, aut cooperantis: v. g.

III. Herus jurat, quòd famulus suus cras sit laboraturus pro Petro: hoc juramentum est promissorium, & obligat Herum, ut mandet famulo laborare pro Petro, & ita labor famuli reputatur factum Heri.

Imò Canonistæ juramentum de facto alterius ita interpretantur, ut jurans censeatur promittere suam operam & diligentiam: nam juramentum habet hanc prærogativam, ut semper valeat quantùm valere potest; inde etiam contingere potest, ut juramentum valeat pro parte una, non pro altera: quia utile hìc non vitiatur per inutile.

N. 146. DE MATERIA INCAPACI OBLIGATIONIS JURAMENTI PROMISSORII.

I. *Res impossibilis juranti.* II. *Peccatum quodcumque.* III. *Objectio.* IV. *Juramentum de actu indifferenti non obligat.* V. *Objectio.* VI. *Opus indifferens relatum ad finem honestum.* VII. *Juramentum de omissione operis indifferentis.* VIII. *Juramentum de omissione operis consilii non obligat.* IX. *Juramentum de bono minori factum soli Deo, non oblig.* X. *Obligat verò quando homini juratur.* XI. *Quod per accidens impedit bonum melius non tollit obligat. Juram.* XII. *Object. solvitur.*

I. QUIDNAM dicitur esse materia incapax juramenti promissorii?

R. Primò, omne id, quod juranti omnino est impossibile, vel quod nulla ratione est in potestate jurantis, quia non datur obligatio ad impossibile, proinde juramentum de re impossibili non obligat: igitur nec actus aliorum, qui nullo modo sunt in potestate nostra, sunt materia juramenti nostri promissorii. Consule dicta n. præcedenti.

II. 2°. Peccatum quodcumque, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, ut leges loquuntur cap. "Quanto" de jurejur. Hinc si quis juraverit sumere vindictam, vel nunquam alloqui parentes, vel nunquam salutare amicos, &c. non debet nec potest observari juramentum.

Proinde Herodes ex juramento non tenebatur occidere Joannem Baptistam, Marci 6. v. 26.

III. Obj. cap. "cum quidam" dicuntur absolvendi ab observantia juramenti illiciti, de non loquendo fratri. Ergo obligat.

R. Intelligitur absolutio, non dissolutiva, sed declaratoria, vel absolutio ad cautelam, quod est commune Romanis.

IV. 3°. Juramentum promissorium de opere indifferenti, quatenùs opus est indifferens, non obligat; ratio est, quòd opus indifferens, ut tale, non possit dici honestum, cùm nullius virtutis ratio supponatur concurrere: jam autem juramentum debet esse de re honesta, prout dictum est num. præcedenti, ut possit esse materia obligationis Religionis. Ita studiosus jurans ludere totâ die, cui lusus non est utilis ad levamen corporis, vel ad alium finem honestum, non obligatur implere illud: similiter dicendum, si quis juret nunquàm laborare manibus, nunquam scribere, &c. quia similes omissiones ut tales, non includunt honestatem ullius

virtutis, & similia jurando peccatur, prout dicetur infra n. 164.

V. Obj. Omissio illorum licita est; ergo licitè juratur & obligatoriè.

R. Nego conseq. nam pro juramento ulteriùs requiritur, ut sit etiam omissio honesta ex aliqua virtute: illa autem omissio negativa non habet honestatem virtutis, cùm supponatur indifferens, adeoque potiùs est otiosa & mala; si autem ex aliquo fine honesto fiat omissio, tunc poterit esse materia juramenti: quapropter

VI. Nota, quòd actio de se indifferens vel ejus omissio, relata ad aliquem finem honestum, v. g. ad utilitatem proximi, possit esse materia juramenti promissorii; quia tunc ex illa relatione induit honestatem alicujus virtutis liberalitatis, fidelitatis, &c. & propterea, dum supra dictum est, quòd opus indifferens non sit materia juramenti obligatorii, semper additum est: quatenùs tale, seu quatenùs est indifferens.

An juramentum omittendi actum indifferentem obligat?

VII. Respondet Daelman affirmativè quia est de omittendo peccato veniali; sed tunc supponi debet quòd omissio sit honesta ex aliquo fine: si enim ipsa omissio sit etiam secundùm se indifferens, juramentum non obligat: & ita supra dictum est, juramenta nunquam scribendi, &c. non esse obligatoria.

Obligat juramentum non ludendi chartis pictis vel alcâ, imò juramentum nunquam ludendi; verumtamen inspiciendus est finis vel causa, ob quam juratur, quia secundùm eam sæpe restringitur juramentum.

VIII. 4°. Juramentum non faciendi opus supererogationis vel consilii, ut tale est, obligationem non inducit juxta S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art 7. ad 2. ejusmodi est juramentum non ingrediendi Religionem, non dandi mutuum, non largiendi eleëmosynam, &c. Ratio est quòd talis omissio per se nullam honestatem afferat; propterea iste meliùs facit non servando juramentum illicitum, ait S. Th. ibidem; & quidem si ex vi Religionis juramenti velit observare talia juramenta irrita, superstitionem committit.

Si tamen iterùm aliæ justæ causæ vel honesti fines interveniant, poterit eatenùs omissio honestari & jurari in aliquo casu.

An obligat juramentum promissorium de minori bono, ut dici solet, prout scilicet opponitur meliori bono?

IX. R. Distinguendo: juramentum tale factum soli Deo, sine relatione ad homines, non obligat, quia sequitur

conditiones voti, cùm fiat directè in honorem Dei, & solet votum conjungi; adeòque debet esse de meliori bono, prout illa latiùs explicantur in Tractatu de voto, n. 90. Hic est casus, in quo juramentum de actu virtuoso non obligat.

X. Juramentum tale de minori bono factum in commodum vel in bonum alicujus hominis, obligat, si honestè & virtuosè impleri possit, quia veritas juramenti id exigit: ita qui juravit donare alicui centum florenos, obligatur, & non potest eos convertere in eleëmosynas, licèt eleëmosyna sit opus melius. Similiter qui Officiali juravit assumere militiam, est obligatus, quantumvis non militare sit melius; aliqui tamen excipiunt statum religiosum à simili juramento; volunt enim in tali juramento intelligi hanc conditionem: nisi statum perfectionis elegero.

XI. Nota interim, quod juramentum promissorium, quod per accidens & indirectè solum est impeditivum melioris boni, non desinat idcirco esse obligatorium: v. g. si quis juraverit dare cupiam mille florenos, tenetur, quamvis ex eo impediretur ab ingressu Religionis defectu dotis.

Quare votum potiùs debet esse de meliori bono, quàm juramentum?

XII. R. Quia directus finis voti est major cultus & honor Dei; sed proximus finis juramenti est confirmatio veritatis, quæ haberi potest etiam in minori bono.

N. 147. DE OBLIGATIONE JURAMENTI.

S. Thom. quæst. 89.

I. *Juram. obligatio est Relig.* II. *Est grav.* III. *Juram. per se stans bet unàm oblig. Relig.* IV. *In Juramento accessorio concurr. plures obligat.* V. *Exempla.* VI. *Ex Juramento per se stante non datur actio in foro externo,*

QUALIS est obligatio juramenti?

I. R. Est obligatio virtutis Religionis; oritur enim ex reverentia Deo debita: sed in juramento merè assertorio obligatio non est respectu rei, sed respectu actûs juarntis, ut juret verum. S. Thom. q. 89. art. 7. sed in juramento promissorio obligatio etiam cadit super rem sive veritatem futuram. S. Thom. ibidem.

Quanta est obligatio juramenti?

II. Est gravis in materia illius capaci, ita ut nunquam possit fieri levis ex parvitate materiæ, ut probabitur infra num. 162.

III. Nota, quòd ex juramento promissorio per se stante, quo scilicet simplex de futuro assertio sive veritas confirmatur, sine ullo alio pacto vel obligatione, oriatur sola obligatio virtutis Religionis respectu Dei, non propriè respectu hominis.

IV. Si autem juramentum sit accessorium, quo scilicet confirmatur aliud validum pactum, contractus vel obligatio, tunc præter obligationem Religionis concurrit alia obligatio justitiæ vel fidelitatis respectu hominis.

V. g. juramentum per se stans dandi eleëmosynam liberalem inducit unam obligationem Religionis, & omittens facit unum peccatum, scilicet contra Religionis virtutem.

V. Si verò quis promittat eleëmosynam Petro acceptanti, & promissionem firmet juramento, iste habet duas obligationes, & omittendo peccat dupliciter; primò ratione juramenti violati contra Religionem, & ratione promissionis validæ non observatæ contra justitiam vel fidelitatem.

An major sit obligatio juramenti, quàm voti, controvertitur, super quo curiosus accedat Scholasticos.

VI. Nota: cùm juramentum per se stans habeat solam obligationem Religionis respectu Dei, hinc est, quòd ex eo solo non detur actio in foro externo contra jurantem, nisi fortè Superior agat tanquam Pater, qui potest cogere subditos, ut impleant obligationes in conscientia solùm obligantes.

N. 148. DE OBLIGATIONE EX JURAMENTO ALTERIUS.

I. *Unus propriè non obligatur Juramento alterius.* II. *Sic Hæredes non obligantur, nisi alia accedat oblig.* III. *Quando Procurator jurat, principalis oblig.* IV. *Capitul. potest jurare.* V. *Juram. Civitatis.* VI. *Qui jurat Episcopo obedient. obligatur successori.*

I. UNUS propriè non obligatur juramento alterius; quia sicut juramentum est actio personalis, ita et obligatio est personalis.

Hinc deducit S. Th. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4. quòd ille,

qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur quasi (id est quatenùs) juramento ad servanda ea, quæ civitas juravit; teneatur tamen ex quadam fidelitate ob communicationem in bonis & oneribus civitatis.

II. An successores obligantur juramento prædecessorum?

R. Similiter quòd propriè non obligentur eorum personali juramento: si tamen accedat alia obligatio ex promissione, lege, pacto vel debito reali, eatenùs obligari possunt, prout accidit in juramento accessorio contractûs; item ex juramento per modum voti realis, exurgit quædam in hæredibus obligatio. Secundùm quod dictum est de voto num. 98.

III. Uter obligatur juramento, quando Procurator sive Mandatarius jurat ex commissione sui Principalis?

R. Principalis mandans: quia ipse censetur jurare per alium. Ita accidit v. g. dum unus nomine alterius introducitur in possessionem Beneficii, Procurator non obligatur.

In quibusdam casibus juramentum per alium non admittitur: v. g. in casu juramenti judicialis assertorii.

IV. Capitulum potest jurare per suos deputatos, & obligantur omnes Capitulares, etiam ii, qui suffragium adversum dederunt: quia consensus majoris partis est consensus & obligatio totius, juxta leges & statuta Capituli; & ita juramentum illud est de actibus singulorum.

V. Dum Magistratus civitatis tanquam Superiores civitatis aliquid jurant, non semper ideo singuli cives obligantur juramento singulariter & divisim, nisi ex quadam fidelitate vel obedientia: quia juramentum illud supponitur non esse de actibus singulorum divisim, sed sæpe tantum de actu Superiorum vel de actu communitatis in communi sive collegialiter: & ita si civis quispiam militiam assumat sub alio Principe, non habetur propterea perjurus, quantumvis Magistratus juraverit fidelitatem suo Principi.

VI. Qui jurat Episcopo loci quatenùs Episcopo istius loci obedientiam, obligatur ex eodem juramento successori Episcopo ad eandem obedientiam: quia obligatur Dignitati seu Sedi Episcopali, quæ perseverat in Successore: similiter si Episcopus iste desinat esse Episcopus istius loci, desinit obligatio juramenti ad ipsum.

N. 149. DE OBLIGATIONE JURAMENTI CONDITIONATI.

I. *Juram. conditionatum quomodo mox obl.* II. *Quomodo condit. impletâ.* III. *Condit. implicitæ general.* IV. *Aliæ condit. implicit.* V. *Controversia.* VI. *Objectio.* VII. *Resp. Prima.* VIII. *Resp. secunda.* IX. *Condit. implicitæ Juram. comminatorii.* X. *Juram. parent.* XI. *Resolutio Lessii rejicitur.*

QUOMODO obligat juramentum conditionatum?

I. R. Juramentum promissorium sub conditione suspensiva cum particula *si* aut æquivalente, quod solum propriè vocatur juramentum conditionatum, non obligat ad mox implendum juramentum, sed tamen obligat mox ad habendam intentionem implendi, dum conditio adimplebitur.

II. Secundò juramentum illud, adimpletâ conditione, mox incipit obligare absolutè.

Quomodo malitiosa impeditio ponendæ conditionis licitæ juramenti purè conditionati non pœnalis non tollat obligationem, collige ex dictis de voto num. 101.

III. Observa, quòd omne juramentum involvat quasdam conditiones implicitas ex conditione materiæ subjectæ ex jure, vel ex consuetudine, à quibus etiam obligatio dependet, v. g. si potero, si potero honestè, si alter acceptet, si non remittat, si materia non mutetur, salvo jure Superioris, &c. sed ab iis juramentum non vocatur conditionatum, cùm per se subintelligantur in omni juramento. Bill. 361.

IV. Similiter aliæ sunt implicitæ conditiones particulares, quæ, licèt non exprimantur, subintelliguntur, secundùm subjectam materiam & circumstantias: ita ordinariè juramentum interpretandum est juxta conditiones actûs, cui conjungitur, nisi aliud probetur,

Hinc sponsalia jurata desinunt obligare, in casibus in quibus sponsalia simplicia ordinariè desinunt obligare, v. g. ob fornicationem alterius partis, &c.

Beneficiatus jurans residentiam, potest abesse in casibus à jure concessis.

V. Verumtamen controvertitur, utrùm is, qui juravit filiæ matrimonium, si postea velit ingredi Religionem, obligetur vi juramenti prius contrahere matrimonium, si filia nolit consentire aut renuntiare.

Quidam id docent, eò quòd iste possit licitè & honestè

servare juramentum, & contrahere matrimonium, ac postea intra bimestre ingredi Religionem.

Alii docent hoc casu illud juramentum non obligare, quia subintellecta fuit implicita hæc conditio secundùm subjectam materiam: "nisi statum Religionis assumpsero."

VI. Objicitur cap. "Commissum de Sponsalibus," Alex. III. ubi dicit, tutius esse Religione juramenti servatâ, priùs contrahere matrimonium. Ergo, &c.

VII. R. Inde nihil deduci potest, nisi quòd consilium Pontificis fuerit propter probabilitatem fortè utriusque opinionis, eligere omnino tutius: & hæc resolutio certè sequenda, quando concurrunt aliæ rationes, v. g. legitimandi prolem, evitandi infamiam, damnum, &c.

VIII. R. 2°. quòd agatur de casu, quo iste non statuerat ingredi Religionem, sed deliberabat, & jam tempus biennii, intra quod contrahere promiserat, expirabat: igitur ut posset adhuc lucrari bimestre ad resolvendum, & ut simul satisfaceret juramento, Pontifex ita resolvit. Id innuitur in Textu, ubi additur: postea, "si elegerit" ad Religionem migrare. Billuart 352.

IX. Similiter juramentum comminatorium fieri censetur sub conditionibus, quæ subintelliguntur implicitè in comminationibus; nimirum, nisi humilitate vel aliter animum meum placaveris, nisi meritus fueris remissionem, aut aliter satisfeceris; item si castigatio perseveret esse utilis & honesta, &c. vel de meliori bono, quia tale juramentum censetur esse per se stans obligatorium respectu solius Dei. Bill. 350. 353.

X. His modis parentes comminantes quandoque proli suæ verbera imprudenter cum juramento, possunt excusari quandoque à perjurio, si non perficiant.

XI. Lessius lib. 2. c. 42. d. 4. resolvit de variis juramentis v. g. non egrediendi domo hodie, non ambulandi, &c. quòd jurans possit ea sibi remittere ex hac ratione: quia ea fecit in favorem suî, non alterius, cui favori potest cedere, & quia, ait, subintellecta censetur hæc conditio: nisi mutavero voluntatem: sed huic laxitati non subscribit Bill. sic enim ait Suarez 348. inanis virtutis esset juramentum, quod tamen in casibus, si materia sit capax, validè factum esse supponitur ad firmandam voluntatem & libertatem illam mutandi sibi subtrahendam, adeòque cessio juris sui exclusa est.

Idem dic de juramento non vendendi minoris, vel non emendi pluris.

Juramenta Mercatorum falsò jurantium, merces sibi tanti vel pluris constare, sunt plana perjuria. Billuart 355.

N. 150. JURAMENTUM PROMISSORIUM DE ACTU CONTRA LEGEM, MANDATUM, VOTUM, &c.

I. *Juram. quod lege irritatur non oblig.* II. *Juram. de actu formalit. contra Legem, non oblig.* III. *Juram. actibus contra leges aliquas, est validum.* IV. *Exempla.* V. *Juram. prodigi quomodo valeat.* VI. *Juram. prodigi per se stans est invalidum.* VII. *Juram. contra mandatum Superioris.* VIII. *Juram. illicitum & validum.* IX. *Juram. Herodis.* X. *Axiomata.*

AN juramentum promissorium de actu lege prohibito est obligatorium?

I. R. Si ipsa lex irritet tale juramentum, hoc certò non obligat; ita Conc. Trid. sess. 24. cap. 16. de Regular. irritam reddit omnem dispositionem Novitii etiam juratam.

II. Deinde si actus juratus iu executione maneat formaliter contra legem obligantem, juramentum itidem non obligat, quia non obligat ad actum malum: ita juramentum non solvendi sua debita justa, vel non observandi præcepta Ecclesiæ, non obligat.

Similiter juramentum contra præcedentis juramenti, voti, promissionis, contractûs vel mandati obligationem est eatenùs illicitum & invalidum; cap. "rursus," qui Clerici. Hinc sponsalia jurata contra votum non nubendi præcedens sunt illicita & invalida.

III. R. Secundò, Authores omnes admittunt, juramentum promissorium de actibus contra leges aliquas licèt irritantes, aliquando esse validum & obligatorium, præcipuè quando illæ leges latæ sunt merè in favorem particularium, cui renuntiare possint per juramentum; & quamvis difficile sit in particulari discernere, & designare leges illas, in exemplum interim adducuntur casus sequentes ex jure scripto.

IV. Sic juramentum mulieris consentientis in alienationem rerum dotalium est validum juxta cap. "cum contingat."

Similiter juramentum minorennium super quibusdam pactis est validum juxta authenticam "Sacramenta puberum."

Similiter juramentum de solvendis usuris validum est, cap. "quamvis" de pactis in 6. quæ tamen, solutione

factâ, statim repeti possunt. Juxta cap. "debitores" de jurejurando.

Item juramentum filiæ dotatæ de renuntiatione hæreditatis.

Item juramentum servandi pactum legis commissoriæ, item juramentum solvendi lucrata in ludo pecuniæ creditæ.

Juramenta prædicta sunt valida & obligatoria, quia sunt de materia capaci juramenti; & per leges non irritantur illa juramenta, licèt promissiones aut pacta simplicia super eisdem rebus secundùm leges sint irrita.

A fortiori validum esse potest juramentum de quibusdam nudis pactis, quæ per jus non irritantur, sed de quibus solummodò negatur actio in foro externo civili.

Pariformiter juramentum non revocandi testamentum est validum, verosimiliùs & obligatorium; licèt validè revocetur, ut dicetur infra num 151.

An valet juramentum prodigi super alienatione rerum suarum?

V. R. Distinguendo: si legitimè privatus sit administratione bonorum suorum, juramentum non erit validum aut obligatorium, sicut aliæ dispositiones ejus non sunt validæ.

Si ei non sit interdicta admnistratio bonorum, hoc casu sicuti validè de iis rebùs disponit per contractus, ita validè per juramentum talis alienatio confirmatur, quia honesta est in ratione justitiæ, quamvis prodiga respectu personæ.

VI. Billuart t. 4. 350. generaliter resolvit juramentum prodigum esse invalidum; idque credidero, quando est juramentum per se stans, sed non quando est accessorium validi contractûs; quia supposito valore contractûs, ejus executio non est ampliùs mala. Alii prætendunt juramentum valere pro parte, quâ v. g. promissio non est prodiga.

An juramentum promissorium obligat contra mandatum Superioris?

VII. R. Distinguendo: si mandatum præcedat, juramentum sequens secundùm mox dicta, est illicitum & non obligans.

Si autem juramentum præcesserit mandatum, etiam obediendum est Superiori legitimè præcipienti, juxta cap. venientes de jurejur. obligare tamen potest ante mandatum Superioris.

Si verò Superior consenserit in juramentum, vel sit in materia, in qua jurans ei non est subjectus, poterit juramentum esse obligatorium.

Quispiam juravit non revelare secretum: postea à judice legitimè vocatur ad dandum testimonium veritatis?

R. Tenetur aperire veritatem. La Croix t. 1. lib. 3. num. 330.

An juramentum promissorium illicitum potest obligare?

VIII. R. Distinguendo: si illud juramentum dicatur illicitum ex parte materiæ indebitæ, eò quòd v. g. actus, qui juratur præstandus, sit illicitus, juramentum certò non obligat.

R. Si juramentum dicatur illicitum ex alia causa, putà ex parte solùm jurantis, potest obligare, v. g, si quis absque comite judicii juret laborare pro alio, obligatur ex juramento.

IX. An juramentum Herodis Matth. 14. v. 7. fuit licitum?

R. S. Thom. 2. 2. quæst. 89. a. 7. ad 2. poterat esse licitum, intellectâ debitâ conditione, scilicet si peteret, quod dare deceret; sed impletio juramenti in occasione Joan. Baptistæ fuit illicita.

X. In hac materia admitti solent hæc axiomata:

Juramentum, quod vergit in deteriorem exitum, non obligat. S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2.

Juramentum, quod servatum vergit in interitum, aut dispendium salutis æternæ, non obligat ad suî executionem: cap. "si verò," de jurejurando.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. Reg. 58. juris in 6.

N. 151. DE VALORE EORUM QUÆ FIUNT CONTRA OBLIGATIONEM JURAMENTI PROMISSORII.

I. *Respondetur distinguendo; Juramentum est invalidum quod fit contra prius Juramentum.* II. *Matrim. contractum contra juramentum, est validum.* III. *Validè revocatur testamentum contra Jurament. non revocandi.*

An actus est validus, qui fit contra obligationem juramenti præcedentis?

I. R. Si actus de se producat effectum solummodo ejusdem ordinis cum obligatione juramenti, non erit validus aut obligatorius contra juramentum: ita juramentum pos-

terius contrarium omnino juramento priori, v. g. donandi rem aliquam, est illicitum & invalidum.

Similiter votum simplex directè contra obligationem juramenti non est validum aut obligatorium. Hæc assertio habetur ex cap. "Sicut" de Sponsalibus.

R. Si actus ille contineat effectum alterius ordinis, potest esse validus & obligatorius, quia obligatio Religionis juramenti non opponitur cuicumque obligationi irritatoriè; & ideò non semper aufert potestatem faciendi validè oppositum, quamvis illicitè fiat.

II. Ita, si quis juraverit non nubere, validè nubet quantumvis illicitè.

Similiter quispiam validè contra juramentum suum donat, vendit, aut alio contractu transfert dominium rei suæ in alium, quia res jurata manet materia alterius contractûs, donationis, &c.

Sic etiam quis validè, quamvis fortè illicitè, revocat & mutat testamentum juramento confirmatum; nec ipse neque hæredes ob testamentum revocatum obligantur ad restitutionem; quia erat obligatio solius Religionis juramenti, quæ non inducit obligationem restitutionis; ita Suarez.

Lessius tamen existimat deberi priori hæredi æquivalens, non tanquam hæredi, quia prius testamentum valide revocatum est; sed tanquam creditori, titulo injuriosæ revocationis promissionis acceptatæ, & juramenti, &

Objicit: si Joannes promiserit Petro equum cum juramento, quem Joannes postea donat aut vendit alteri, Joannes vel ejus hæredes tenentur æquivalens dare Petro ad compensandam injuriosam infractionem juratæ promissionis; ergo et ille qui revocat testamentum contra juramentum.

R. Disparitas est, quòd Petrus ex promissione humanâ validâ acquisierit jus; non sic accidit in casu altero, quia promissio humana non revocandi testamentum est jure irrita, & ex solo juramento non acquirit homo jus justitiæ, secundùm dicta n. 147.

N. 152. QUID FACIAT JURAMENTUM CIRCA CONTRACTUS.

I. *Juram. confirmat contract. legitimos.* II. *Irritos non facit esse validos.* III. *Quibusdam tribuit actionem in foro externo.*

I. QUID facit juramentum circa contractus?

R. Legitimos confirmat, & adjicit obligationem Religionis, secundùm dicta n. 147.

An juramentum confirmat etiam contractus secundùm leges irritos?

R Certum est, quod juramentum de materia ejusmodi contractum sit aliquando validum, prout probant exempla minorennium, mulierum, &c. adducta n. 150.

II. Sed acriter disputatur utrùm illud juramentum tunc sit per se stans, an verò confirmet contractus; sive an faciat illos irritos contractus tunc esse validos: et dicendum videtur, quòd propriè & formaliter contractus irritos non efficiat validos, quia juxta regulam juris in sexto; "non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit:" & quia juramentum per se non parit obligationem justitiæ respectu hominum, ergo non potest eam dare contractui irrito.

III. Dici tamen potest, quòd consecutivè eos confirmet quoad effectus aliquos, idque potissimùm ex juris positivi dispositione, & ita tunc datur actio in foro externo.

Similiter juramentum adjectum aliquibus nudis pactis præstat actionem in foro externo, super quibus aliàs non datur actio fori civilis.

N. 158. DE JURAMENTO EX METU.

S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7.

I. *Juram. ex metu factum obligat.* II. *Sed est ratio petendi dispensationem.* III. *Est Jnramentum per se stans.* IV. *Disparitas à voto.* V. *Juram. redeundi ad carcerem obligat cum periculo vitæ.*

I. AN juramentum promissorium metu extortum est obligatorium?

R. Est simpliciter validum & obligatorium quantumvis metu injusto extortum, si adsint cæteræ conditiones; quia

licitè & honestè impleri potest. Ita docet S. Thom. loco citato ad 3. item cap. " si verò" de jurejurando.

II. Metus injustus interim facit ut dispensatio justè impetretur: proinde qui juravit latroni dare centum florenos, tenetur eos dare, sed datos statim repetere potest; si verò juraverit eos non repetere, datur equidem recursus ad dispensationem; si juraverit non petere dispensationem, juramentum est invalidum, ut dicetur Numero sequenti.

III. Obj. Promissio talis ex metu injusto est irrita vel irritabilis ex parte metum passi; ergo & juramentum accedens.

R. Nego conseq. quia juramentum illud non est accessorium, sed per se stans; & propterea reverentia Nominis Divini præferenda est temporali damno. S. Th. loco citato.

IV. Obj. votum ex tali metu factum non obligat, ergo nec juramentum.

R. Negando antecedens, secundùm dicta de voto n. 79

R. 2º. Nego conseq. Disparitas est, quòd tale votum à Deo non acceptetur, sed juramentum in favorem latronis supponitur acceptatum ab eodem.

Proxiliùs hæc discutit Bill. t. 4. 343.

An juramentum redeundi ad carcerem cum periculo vitæ obligat?

V. R. Si juraverit redire ad carcerem justum, certò obligatur juramento; idem videtur contra Covar. dicendum, quamvis carcer foret injustus, quia Religio juramenti anteponenda est vitæ, eritque reditus simul actus veracitatis & fortitudinis, utilis bono communi: legito S. Aug. Epist. 224. Suarez & Daelman tamen excipiunt casum, in quo jurans non prævidisset periculum vitæ imminere ex reditu; quia, aiunt, tunc mutatur materia saltem in intentione jurantis.

N. 154. DE JURAMENTO QUOD VERGIT IN DETERIOREM EXITUM.

S. Thom. 2. 2. q. 89. a 7. ad 3

I. *Hujusmodi Juramentum non oblig.* II. *Objectio.* III. *Juram. non denuntiandi peccatum Superiori.* IV. *Quo modo obliget Juram. non revelandi artem vel Medicinam.*

I. HUJUSMODI juramentum est, de quo Numero præcedenti, quod est extortum metu injusto, non petendi justam dispensationem super juramento: docet S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. quòd illud juramentum vergens in dete-

riorem exitum non obliget, quia ejusmodi obligatio est contra justitiam publicam, & contra bonum commune, quia latrones sine remedio nocerent, atque ita non est materia debita juramenti.

II. Obj. Licitum est spoliato illi, non petere dispensationem; ergo illud juramentum de re licita obligat.

R. Nego conseq. Quia aliud est non petere dispensationem, aliud obligari ad non petendum dispensationem; jam autem obligatio ad non petendum dispensationem, quæ per juramentum illud, si esset validum, injiceretur, est contra bonum commune.

III. An obligat juramentum non denuntiandi peccatum alterius suo Superiori?

R. Distinguendo: si agatur de peccato committendo, quod per Superiorem impediri posset, non obligat juramentum; quia vergeret in deteriorem exitum; præberetur enim libera facultas peccandi. Vide c. 25. *quemadmodum de Jurejur.* Ita invalida sæpe esse solent juramenta condiscipulorum vel latronum non prodendi invicem.

Si agatur de peccato commisso non manifestando Superiori, potest obligare, nisi aliunde urgeat obligatio denuntiandi; putà quia ordo correptionis fraternæ postulat denuntiationem, vel quia juridicè interrogatur à Superiore.

IV. Joannes sciens medium vel artem sanandi infirmitates quasdam, scientiam illam communicavit Petro, sed sub jurejurando non revelandi scientiam istam ulli alteri; an juramentum illud obligat?

R. Distinguo: si per eos non possit satis provideri necessitati Reipublicæ & bono cummuni, ut nempe omnes infirmi commodè per eos sanari possint; vel si ars illa cum eis emoreretur, non obligat juramentum: quia læderet bonum commune & charitatem proximi: sèmotis iis incommodis posset aliquando obligare juramentum. Vide La Croix lib. 3. parte 1. n. 329. Billuart 355.

N. 155. DE JURAMENTO FACTO EX IGNORANTIA, DOLO, VEL ERRORE.

I. *Circa substantiam.* II. *Circa accidens.* III. *De Juramento præstito Gabaonitis Controversia exponitur.*

An obligat juramentum factum ex ignorantia, dolo vel errore?

I. R. Si ignorantia, dolus vel error sint circa substantiam

vel circa accidens redundans in substantiam, juramentum eatenùs est nullum, idque sive ignorantia aut error sit antecedens sive concomitans, invincibilis aut etiam vincibilis, quia attestatio juramenti est actus intellectûs requirens scientiam.

II. Si sint solùm circa accidens, non tollunt obligationem juramenti circa substantiam, modo cæteræ conditiones adsint.

An juramentum Israëlitarum Josuë 9. factum Gabaönitis fuerit validum seu obligatorium.

III. R. Abulensis & Sylvius sustinent illud non fuisse validum sive obligatorium, eò quòd juramentum illud sit factum cum errore ex dolo Gabaönitarum, & quia videtur fuisse contra præceptum Dei Deuter. 7. "non inibis cum eis (gentibus) fœdus."

Suarez, Wiggers & plures Theologi cum sancto Ambrosio docent fuisse obligatorium, & dicunt errorem & dolum tantummodò fuisse circa accidens sive distantiam loci.

Respondent ad objectionem ex Deuter. 7. illud præceptum esse intelligendum secundùm moderationem expressam Deuter. 20. v. 11. nisi Gentes aperuerint portas, & se subjecerint, quod Gabaönitæ præstiterunt: imò S. Aug. existimat eosdem suscepisse veram Dei fidem.

N. 156. DE OBLIGATIONE JURAMENTI FACTI SINE INTENTIONE.

I. *Triplex intentio.* II. *Juram. sine intentione implendi obligat.* III. *Juram. sine intentione se obligandi, obligat.*

AN obligat juramentum factum sine intentione?

I. R. Triplex intentio intelligi potest;

1ª. Intentio non jurandi;

2ª. Intentio non obligandi se;

3ª. Intentio non adimplendi juramentum.

II. Certum est, quòd obliget juramentum, cui deest sola intentio adimplendi juramentum: quia juramentum & obligatio ejus possunt subsistere sine effectu impletionis: verumtamen tum taliter jurans mortaliter peccat peccato perjurii propriè dicti, quia deest comes veritatis.

III. Similiter juramentum sine intentione aut voluntate interiori se obligandi præstitum homini & acceptatum, est obligatorium; quia obligatio sequitur naturali necessitate ex juramento in materia illius capaci, quo modo ex furto se-

quitur obligatio restitutionis: illa autem intentio sive voluntas non se obligandi est inefficax. Insuper tale juramentum fieri non solet sine gravi peccato, ut docent Suarez & Lessius: quia natura juramenti invertitur, & videtur abesse voluntas implendi: in hac re damnatà est anno 1700 à Clero Gallicano hæc prop.: "Qui jurat cùm intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti." Bill. 340

Restat quæstio de juramento sine intentione jurandi, de quo sit numerus sequens.

N. 157. DE JURAMENTO SIMULATO.

I. *Opinio Suarez.* II. *Opinio Steyaert.* III. *Probatur Juram. simulatum obligare.* IV. *Disparitas a Voto ficto.* V. *Juram. simulatum est peccatnm mortale.* VI. *Propositio damnata.*

AN juramentum simulatum factum per verba exteriùs seriò prolata, sed cum intentione interiori non jurandi, est verum juramentum & obligatorium?

I. R. Suarez, Wiggers, aliique respondent negativè, eò quòd juramentum invocet testimonium Dei, qui internam intentionem aspicit, & ita sine intentione jurandi nunquam juratur.

II. Steyaert & Daelman responsionem affirmativam probabiliter defendunt, dum illud juramentum simulatum fit homini: quamvis enim non adsit intentio expressa, adest tamen intentio interna implicita & voluntas efficax jurandi, eo ipso, quo vult efficaciter & seriò proferre verba, quæ continent sensum juratorium, & ita intentio non jurandi redditur inefficax per intentionem implicitam efficacem jurandi.

III. Probatur hæc conclusio iisdem argumentis, quibus, in Tractatu de contractibus probatur, validos esse contractus inter homines, dum omnia externa contractûs seriò ponuntur, quantumvis absque intentione interna contrahendi. Et ita judicabitur in foro externo.

IV. Obj. Votum sine intentione interna vovendi non est validum, ergo nec hujusmodi juramentum.

R. Concedo ant. nego conseq. ratio disparitatis est, quòd Deus, qui interna æquè ac externa intuetur non acceptet tale votum; sed juramentum illud fictum homini factum supponitur acceptari ab homine.

Instabis, Deus etiam non acceptat tale juramentum fictum. Ergo, &c.

R. Acceptatio Dei non est necessaria, quia nihil promittitur Deo sed homini: si autem agatur de juramento oblato soli Deo instar voti, tunc illud juramentum, sicuti votum, not erit validum absque intentione præfata interna.

V. Benè notandum, quòd etiam ipsi Suarez & Wiggers doceant, hujusmodi juramentum simulatum esse ex genere suo peccatum mortale contra religionem, (nisi fortè, aiunt, dum privatim vel ex injusta coactione verum & licitum sic juratur): quia Nomen Dei ad decipiendum assumitur, & evertitur finis juramenti, & bonum societatis humanæ; & dum sic asseritur falsum, juxta sensum audientium, substituitur testimonium divinum falsitati, & Deus adducitur exteriùs testis falsi. Billuart 341.

Deinde peccatur inquantùm proximus per tale juramentum simulatum dolosè decipitur vel damnificatur, ex quo oritur obligatio restitutionis.

VI. Huc spectat propositio 25. inter damnatas ab Innoc. XII. " cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis."

Ex dictis conclude consuetudinem sic fictè jurandi esse mortaliter malam, quia habet objectum mortaliter malum ex genere suo, scilicet fictum & perversum usum testimonii divini.

N. 158. DE JURAMENTO CUM RESTRICTIONE MENTALI.

I. *Est perjurium strictè dictum.* II. *Propositiones damnatæ.* III. *Quidàm Scriptores cautè legendi.*

I. AN juramentum cum restrictione purè mentali est validum aut licitum?

R. Quandoquidem enuntiatio cum restrictione purè mentali contineat purum mendacium, prout docetur in 2_a. $2_{æ}$. hinc dicendum, quòd tale juramentum sit peccatum mortale, utpote perjurium cui deest veritas; & quòd obliget in sensu illo, quem verba habent, juxta principia tradita n. præcedenti. Legatur etiam Wiggers Tract. 5. dubio 13. de Religione.

II. Confirmatur ex propositionibus sequentibus ab Innoc. XI. damnatis.

" Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus sive propriâ sponte, sive recreationis causâ sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit,

intelligendo aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus. Est 26.

" Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. Est 28."

Ejusdem farinæ est propositio 27ª. ex qua colligitur, non dari justam causam ad sic jurandum.

III. Observa hic, caute legendos esse Lessium, Suaresium, aliosque, qui scripserunt ante condemnationem prædictarum propositionum: imò aliqui recentiores cavendi, qui à doctrina damnata recedunt, quantùm præcise adiguntur per literam sive per casum expressum; retinentes interea eadem principia: verùm à Summis Pontificibus meliùs edocti deberent sapere, & intelligere in casibus damnatis simul reprobari & ipsa principia.

N. 159. DE JURAMENTO CUM AMPHIBOLOGIA REALI.

I. *Status quæstionis exponitur.* II. *Responsio.* III. *Ratio.* IV. *S. Isidori.* V. *S. Aug.* VI. *Probatur ab inconvenienti.* VII. *Object.* 1. VIII. *Object.* 2. IX. *Object.* 3. X. *Object.* 4. XI. *Nunquam licet jurare amphibologicè.* XII. *Casus aliqui.*

AN licet in juramento uti amphibologiâ sive restrictione reali?

I. Status quæstionis est hic: supponitur propositio aliqua habere duplicem, æquivocum, vel ambiguum sensum, qualis est hæc: "vidi statuam auream hastam habentem:" supponitur deinde, quòd tu illam propositionem juramento affirmes in uno sensu, sed quòd alter, cui juras, illam intelligat in altero sensu, idque tibi juranti sit notum; v. g. alter à te petit, an videris statuam auream, quæ habebat hastam? tu autem non vidisti statuam auream; & ita respondens juras, vidi "statuam auream hastam habentem," sed intelligis statuam ligneam, quæ habebat auream hastam; quem sensum præfata jurata propositio, sine commate interjecto prolata, etiam patitur, sed qui sensus distinctus est à sensu petentis, super quo tamen interrogabaris: his suppositis,

II. R. Tale juramentum esse illicitum, & habere malitiam perjurii contra comitem veritatis.

III. Ratio est quòd agatur contra finem juramenti, qui est " omnis controversiæ finis," juxta Apost. ad Hebr. 6. & quòd testimonium Dei introducatur ad decipiendum, contra illud Ps. 14. " qui jurat proximo suo & non decipit."

IV. Hæc est doctrina S. Isidori dicentis: " quâcumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut iste, cui juratur, intelligit." Per artem verborum aptè intelligitur usus verborum continentium sensum ambiguum vel æquivocum.

V. Idem docet S. Aug. Epist. 244. ad Alypium: " Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt, &c. non enim tibi juras, sed proximo juras," ait idem S. Aug. Serm. 30. de verbis Apost.

VI. Denique probatur ab inconvenienti: quia aliàs nulla eris securitas & confidentia in humana societate; nam astuti adinvenient in omni materia verba ambigua sine fine, & nullum superest medium illa vitandi.

VII. Objicitur: jurans cum amphibologia jurat verum; ergo non est perjurus.

R. Distinguo ant. jurat verum secundùm unum sensum, de quo non est controversia, conc. ant. jurat verum secundùm sensum controversiæ & mentem petentis juramentum, nego ant.

VIII. Obj. Licitum est aliquando loqui cum amphibologia; ergo licitum est aliquando sic jurare.

R. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quòd ad veritatem locutionis sufficiat, locutionem esse conformem menti loquentis; sed ad veritatem juramenti insuper requiritur, ut juramentum sit conforme menti petentis illud, quia juramentum debet esse finis omnis controversiæ: jam autem controversia per tale juramentum non finiretur sed maneret, nam veritas controversa non confirmaretur juramento, sed alia impertinens.

IX. Instabis: qui amphibologicè locutus est, potest dicere & jurare, se dixisse veritatem; ergo, &c.

R. Non potest dicere nec jurare, se dixisse veritatem, per quam finiatur controversia; quod tamen requiritur: nam hodiedum à Judicibus non solet aliter peti, nisi ut jures, te veritatem dixisse vel dicturum; adeoque hodiedum illuderetur omnibus Judicibus per hanc artem.

X. Obj. Cap. " humanæ aures," causa 22. q. 5. cap. 11, desumptum ex S. Gregorio.

R. Respondet S. Th. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. hoc intelligi de casu quando jurans dolum non adhibet; dum nempè putat suam mentem sive intentionem esse eandem cum intentione petentis juramentum; & in hoc casu verum est, quòd obligatio juramenti non extendatur ultra intentionem jurantis; quamvis nec in juramento amphibologico ultra extendatur, quia dicimus, eum habere intentionem implicitam jurandi in sensu petentis sibi cognito.

An ergo oportet semper jurare juxta mentem petentis juramentum?

XI. R. Videtur respondendum affirmativè ob rationes prædictas.

Plures autem Authores graves existimant aliquando licitum esse cum amphibologia reali jurare, dum nempe justa causa concurrit v. g. metus injustus; sed Boudart & Daelman insistunt generali resolutioni.

XII. Ex dictis deducitur, quod Jacob Gen. 27. illicitè jurasset: "Ego sum Primogenitus tuus:" sicut nec Abraham licitè jurasset Gen. 12 & 20. quòd Sara esset soror sua.

Potuisset tamen licitè jurare Samuel 1. Reg. 16. v. 5. "ad immolandum Domino veni:" sicut & Confessarius jurare potest, se ignorare aliquid, quamvis id sciat ex confessione sacramentali; quia nulla intervenit æquivocatio.

N. 160. DE PERJURIO.

S. Thom. 2. 2. *q.* 98.

I. *Definitio.* II. *Divisiones Perjurii.* III. *Perjurium strictè dictum.* IV. *Latè dictum.* V. *Perjur. formale & materiale.* VI. *Casus, ubi jurans verum, est perjurus.* VII. *Ubi jurans falsum non est perjurus.* VIII. *Ubi jurans est perjurus licèt putet esse verum.* IX. *An jurans causam dubiam, perjurus sit.*

QUID est perjurium generatim acceptum?

I. Resp. Est juramentum vitiosum. Proinde est peccatum contra virtutem Religionis; contingit autem illud vitium ex defectu alicujus comitis, de quibus supra num. 142.

II. Dividitur perjurium in perjurium strictè dictum & in perjurium latè dictum; item in perjurium formale & materiale; in perjurium assertorium & promissorium, &c. secundùm omnes divisiones juramenti adductas num. 127.

Quid est perjurium strictè dictum ?

III. R. Est juramentum, cui deest veritas : illa autem veritas est duplex secundùm dicta num. 143.

IV. Perjurium latè dictum, est juramentum, cui deest comes justitiæ, vel judicii, aut aliqua conditio eatenùs requisita.

V. Perjurium formale dicitur, quandò defectus alicujus comitis sive conditionis in juramento est voluntarius & culpabilis : perjurium vocabitur materiale, si iste defectus sit inculpabilis.

VI. Aliquis jurat verum, putans illud esse falsum, an committit perjurium ?

R. Committit perjurium formale, quia deest veritas formalis, etiamsi materialiter verum sit.

Aliquis è converso jurat falsum judicans prudenter & bonâ fide illud esse verum ; an est perjurus ?

VII. R. Non est perjurus formaliter, sed solùm materialiter, quia defectus non est voluntarius ipsi.

VIII. Aliquis jurat falsum, putans illud esse verum ex ignorantia vincibili, sive ex negligentia investigandi veritatem ; an reus est perjurii ?

R. Incurrit culpam perjurii gravem vel levem, secundùm quòd negligentia fuerit gravis vel levis respectivè ad juramentum : ratio est, quòd talis se exponat periculo perjurii : & ideo peccasset pro ratione negligentiæ, quamvis jurasset verum ; quia periculum peccati est ejusdem speciei cum ipso peccato : vocatur autem juramentum incautum.

An est perjurus, qui, diligenti inquisitione factâ, jurat causam sibi dubiam vel probabilem solummodo ?

IX. R. Distinguendo : si eam jurat tanquam simpliciter veram vel certam, est formaliter perjurus, quia deest veritas formalis, cùm non habeat persuasionem certam, quam tamen jurat : si rem dubiam juret tanquam dubiam, in veritate jurat ; jurat enim de veritate se dubitare, & id est verum.

Dum aliquid simpliciter juratur, intelligitur id jurari tanquam certum.

N. 161. DE PECCATO PERJURII, CUI DEEST VERITAS.

I. *Peccatum ex genere suo mortale.* II. *Pejerans non semper blasphemat.* III. *An perjurans execratoriè dupliciter peccet.*

QUANTUM peccatum est perjurium strictè dictum, sive juramentum, cui deest comes veritatis?

I. R. Ex suî ratione, sive ex genere suo, est peccatum mortale, minus quàm idololatria & blasphemia, & peccatis directè oppositis virtutibus Theologicis; majus tamen quàm furtum vel simonia, & quàm homicidium. S. Th. quod lib. 1. art. 18.

Malitia illa perjurii præcipuè petitur ex eo, quòd Deus adducatur ut testis & confirmator falsitatis.

II. An ergo omnis falsum jurans blasphemiam committit?

R. S. Th. 2. 2. quæst. 13. art 3. ad 2. conatur eum excusare; quia perjurans non dicit nec sentit falsum de Deo, sed sperat Deum semper hoc non testificaturum.

III. Henno existimat perjurium execratorium habere duplicem malitiam, unam contra Religionem, alteram contra charitatem suî; quia malum sibi imprecatur: sed Sylvius & Suarez putant hanc malitiam saltem non esse mortalem, quia non ex animo imprecatur sibi malum, & quia illud malum non est imminens, non plus quàm ex alio perjurio simpliciter contestatorio; quod meretur eandem pœnam coram Deo.

N. 162. DE PARVITATE MATERIÆ IN PERJURIO.

I. *Non datur parvitas materiæ in perjurio assertorio ex defectu veritatis.* II. *Nec in perjurio promissorio quoad veritatem formalem.* III. *Quæstio controversa.* IV. *Divisio opinionum.* V. *Sent. S. Thom. veritas futura cadit sub Juram.* VI. *Probatur à ratione.* VII. *Objectio.* VIII. *Objectio.* IX. *Objectio.* X. *Disparit. à Voto.* XI. *Objectio ex S. Thoma.* XII. *Conclusio Practica.*

AN perjurium, cui deest veritas, possit fieri veniale peccatum ex parvitate materiæ?

I. R. 1°. Perjurium tale assertorium de veritate præterita vel præsenti, non potest esse veniale peccatum ex parvitate materiæ; quia Deum facere testem falsi semper est grave. hinc dicit sanctus Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. "qui jocosè perjurat non excusatur à mortali."

"Hæc responsio certa esse debet post condemnationem hujus 24. propositionis per Innoc. XI. vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem."

II. R. 2°. Similiter certum est, quòd perjurium promissorium ob defectum veritatis formalis, sive in quo jurans non habet intentionem implendi quod jurat, licèt res sit parva, sit peccatum mortale: quia ejusmodi jurans mentitur, & ita mendacium juramento confirmat; ergo incidit in casum propositionis condemnatæ.

R. 3°. Communis sententia admittit, perjurium promissorium circa rem gravem etiam esse peccatum mortale contra Religionem.

III. Restat quæstio, utrùm perjurium promissorium possit esse veniale peccatum ob parvitatem materiæ non adimpletæ, v. g. si quispiam cum intentione adimplendi, juraverit alteri acceptanti dare rem exiguam valentem uno solido, sed postea sine causa renuat dare.

IV. R. Sylvius, Suarez, Daelman aliique admittunt veniale ex parvitate materiæ, sed in explicatione difficultatum diversas ingrediuntur vias, ut fatetur Suarez easdem rejiciens, revera indicium, eas non esse rectas vel totas.

Wiggers Tr. 8. n. 155. Lessius c. 42. dub. 5. Bonac. in Decal. disp. 4. p. 14. Van Roy t. 2. c. 5. q. 2. Boudart t. 4. Tr. 5. §. 48. Pauw. t. 4. aliique unanimi ratione sustinent in tali perjurio non dari veniale ex parvitate materiæ, cui sententiæ subscribimus.

V. Et hæc est doctrina S. Thomæ, 2. 2. q. 98. a. 3. ad I. "si aliquis non impleat, quod coactus juravit, perjurium incurrit & mortaliter peccat": item q. 89. a. 7. in c. & ad I. propter reverentiam divini testimonii obligatur homo, ut faciat esse verum id, quod juravit.

VI. Probatur 1°. a ratione: in tali perjurio constituitur Deus testis falsi; nam supponitur juramentum adhuc obligare manere validum, adeoque Deus perseverat esse testis donec impleatur: si autem non impleatur, Deus fit in actu exercito testis falsi, ergo peccatur mortaliter.

Secundò in juramento assertorio non datur parvitas materiæ, ergo nec in promissorio, quia sunt juramenta ejusdem rationis.

VII. Objicit Daelman, quòd Deus non constituatur testis falsi; quia Deus non invocatur testis veritatis futuræ.

R. Negando assumptum utrumque; nam S. Th. q. 89. a. 7. studiosè docet, quòd veritas futura sive executio cadat sub obligatione juramenti.

Denique illa responsio Daelman repugnat directè capitulo 10. "Querelam" Tit. 24. lib. 2. Decretal. ubi negligens adimplere juramentum promissorium dicitur "crimine perjurii irretitus."

Ultimò: si Deus non invocetur testis veritatis futuræ, prout vult Daelman, sequitur, quòd juramenta promissoria negligens implere, nunquam posset dici perjurus, etsi res sit gravis, quia nihil fieret contra reverentiam testimonii divini.

VIII. Instabis: homo, qui est testis in contractu quopiam, non est testis veritatis futuræ, ergo nec Deus in juramento promissorio.

R. Primò: transeat antecedens: quia homo adhibetur testis contractûs solummodo pro solemnitate externa contractûs; sed petens juramentum petit ut etiam veritas futura sive effectus ex testimonio divino invocato assecuretur, quod evidens est in latrone vi exigente juramentum.

R. 2°. Quòd homo posset etiam adhiberi testis futuræ veritatis, si iste per authoritatem posset promovere effectum.

IX. Obj. Datur parvitas materiæ in violatione voti; ergo & in perjurio promissorio.

X. R. Nego cons. Ratio disparitatis est, quòd objectum immediatum voti sit res quatenùs conducit ad cultum Dei; potest autem parum conducere ad illum finem, & sic ex omni parte objectum illud esse leve: sed objectum immediatum juramenti est ipsa veritas, quæ nunquam est parva, sicut & nulla falsitas est parva sub attestatione divina; & sic perjurium illud semper habet objectum grave.

XI. Obj. S. Thom. q. 89. a. 8. dicit, quòd votum sit magis obligatorium quàm juramentum: atqui in violatione voti datur parvitas materiæ; ergo & in perjurio.

R. Id esse impertinens: quia pro veritate dicti S. Thomæ sufficit, quòd obligatio voti in genere sive obligatio summi voti sit major quàm obligatio juramenti; quamvis in violatione voti in genere detur parvitas materiæ, non in perjurio ex defectu veritatis; sicuti obligatio virtutis charitatis major est quàm castitatis, quamvis detur parvitas ma-

teriæ in læsione charitatis, non tamen in fornicatione aut libidine extramatrimoniali contra castitatem.

Alii respondent, quòd S. Thomas id dicat solùm secundùm quid, quatenus consideratur obligatio & respectu Dei & respectu hominis, eò quòd arg. "sed contra" dicat: "magis obligatur homo Deo quam homini." Boyd. t. 4. 134.

Obj. qui juravit dare mille florenos, non peccat mortaliter si illos det minùs uno asse.

R. Similes casus resolvemus Numero sequenti.

XII. Ex dictis generalis hæc conclusio practica formatur, quòd perjurium qualecumque satis deliberatum, cui deest ex libera voluntate, veritas vel formalis vel materialis, semper supponi debeat esse mortale peccatum: vel saltem si res sit levis, mortale peccatum dubium, adeoque in confessione exprimendum: tanti enim valere debet doctrina S. Thomæ.

N. 163. CASUS PRACTICI CONCERNENTES QUÆSTIONEM PRÆCEDENTEM.

I. *Casus Summæ solutæ excepto uno asse.* II. *Casus juram. de re exigua.* III. *Juram. Urbanit.* IV. *Juram. Parent.* V. *Superior convocans sub Juramento.*

AN igitur peccat mortaliter, qui juravit solvere 100 florenos, si solvat totam summam excepto uno asse?

I. R. Negativè: verùm id non provenit ex parvitate materiæ, sed ex alia conditione, quia scilicet intentio jurantis solùm fuit dare circiter seu moraliter 100 florenos, & hic est sensus ordinarius; item quia alter, cui juravit, non exigit illum assem sub obligatione juramenti.

II. Similiter omnes penè Authores conantur excusare à perjurio mortali promissiones juratas rerum exiguarum non adimpletas, idque vel quia adimpletio non exigitur vi juramenti, vel quia fit inutilis, vel quia subjecta materia similem conditionem tolerat, &c. Vide modos, quibus cessare potest juramentum, latiùs explicatos infra Num. 176.

III Ita juramenta urbanitatis non præcedendi, non accipiendi latus dextrum, habent hanc conditionem; si alter acceptet vel permittat, vel si Superior permittat, & ideo altero recusante cessant. Bill. 353.

IV Ita etiam excusari possunt parentes, qui jurant dare filiis munuscula vel præmia quædam, & non implent; quia scilicet filii non exigunt ex rigore juramenti, & quia parentes sunt domini bonorum & voluntatis puerorum.

Qualiter itidem parentes excusari quandoque possint à perjurio, dum comminantur pueris verbera cum juramento, quod non implent, explicatum est supra Num. 149. quia scilicet subintelligantur conditiones comminationum.

Ita David 1. Reg. 25. juraverat in caput Nabal, sed placatus precibus Abigail, non perfecit, immunis à perjurio.

V. Notat Sylvius hic q. 89. art. 7. q. 4. quòd Superiores convocantes capitulum vel communitatem sub juramento, non intendant obligare sub pœna perjurii, sed solùm formam communem servare circa communitatem, quæ juramento subest, nisi Superior id specialiùs declaret in negotio magni momenti.

Juramentum servandi secreta capituli intelligitur secundùm subjectam materiam in rebus majoris momenti expostulantis silentium. Sylv. Bill.

N. 164. DE PERJURIO EX DEFECTU COMITIS JUSTITIÆ.

I. *Quandonam Comes Justitiæ desit.* II. *Juram. de peccato mortali committendo semper est mort.* III. *Item Juramentum committen. veniale peccatum.* IV. *Jurans facere peccatum duplicit. peccat.* V. *Juram. de actu indiffer. vel de re non mala probabiliter potest esse veniale ex parvitate materiæ.* VI. *Conclusio.*

QUANDONAM censetur juramento deese comes justitiæ?

I. R. Quando id, quod juratur, non habet honestatem virtutis.

Igitur juramentum promissorium de peccato sive mortali sive veniali caret comite justitiæ.

Item juramentum promissorium de actu indifferenti ut tali, vel de omissione operis consilii, prout latiùs explicatum est Num. 146, caret eodem comite justitiæ: item juramentum de minori bono oblatum soli Deo: vide dicta Num. 146. & hujusmodi juramenta non obligant secundùm dicta ibidem.

Quantum peccatum est perjurium ex defectu comitis justitiæ?

II. R. Est peccatum mortale ex genere suo:

Et quidem si sit juramentum de peccato committendo, semper peccatur mortaliter contra Religionem ex defectu comitis justitiæ; quia iste juramentum facit vinculum n iquitatis, & inducit Deum tanquam confirmatorem volun-

tatis suæ iniquæ; & quia in tali juramento consecutivè includitur defectus comitis veritatis, cùm nunquam impleri possit licitè.

III. An juramentum de committendo veniali peccato etiam contineat peccatum mortale contra Religionem ex defectu comites justitiæ?

R. cum Boudart, Marchantio, Van Roy, Daelman, &c. affirmativè ob easdem rationes: verumtatem Suarez & Sylvius conontur illud excuasre à mortali, sed hi vano labore se fatigant, ut dent disparitatem à præcedenti casu, in quo juratur mortale; nam eædem rationes militant, quòd Deus adducatur confirmatur malæ voluntatis, &c.

Hinc conclude, quòd is qui jurat, se mentiturum jocosè, peccet mortaliter contra Religionem defectu comitis justitiæ.

IV. Nota bene, quòd duplex peccatum committat, qui facit juramentum promissorium de committendo peccato, videlicet unum contra Religionem ob defectum comitis juramenti, aliud contra virtutem, cui repugnat peccatum, quod jurat, si habeat voluntatem illud perficiendi: si autem non habeat voluntatem perficiendi, peccat etiam dupliciter contra Religionem ob defectum duplicis comitis, nimirum veritatis formalis & justitiæ; nam jurat formaliter falsum & simul illicitum.

Si denique neque voluntatem jurandi habuerit, peccavit equidem contra reverentiam Divini Nominis secundùm omnes; imò si illa voluntas non jurandi sit inefficax secundùm probabilem opinionem num. 157. controversam, non excusabitur propterea ab aliis peccatis præfatis.

V. An juramentum promissorium de actu indifferenti vel de omissione operis supererogatorii, vel de simili materia incapaci, de quibus actum est Num. 146. continet peccàtum mortale contra Religionem ex defectu comitis justitiæ?

R. Communis sententia docet, illud continere solam culpam venialem: quia Deus directè non constituitur confirmator iniquæ voluntatis, cùm actus & omissiones illæ non sint secundùm se peccatum seposito contemptu, &c.

Verumtamen argumenta non levia adferuntur ad probandum id esse peccatum mortale, dum ex cognitione & plena deliberatione profertur juramentum super materia incapaci obligationis juramenti: quia, ut admittit Suarez, juramentum constituitur vinculum vanum & inane; forma indefectibilis applicatur ad indebitam materiam, testimo-

nium divinum in vanum assumitur; & comes veritatis consecutivè deest; nam tale juramentum impleri non debet.

VI. Igitur si petatur an in perjurio ex defectu comitis justitiæ detur parvitas materiæ, responderi potest distinguendo: scilicet quòd non detur quando juratur peccatum, sive mortale, sive veniale, committendum; sed quòd probabiliter detur parvitas materiæ, dum juratur aliquid indifferens, sive de se non malum.

N. 165. CASUS AD MATERIAM PERTINENTES.

I. *Jurans facere homicidium qualiter peccet.* II. *Juram. de re impossibili est perjurium.* III. *Juram. debitoris.*

QUALIA peccata facit qui jurat inferre alteri homini mortem injustam?

I. R. Distinguendo: si habeat voluntatem perficiendi homicidium, facit peccatum mortale contra Religionem defectu comitis justitiæ in juramento, & consecutivè defectu veritatis, quia juravit peccatum mortale, quod non potest perficere.

Secundò peccavit contra justitiam ob voluntatem homicidii: tertiò contrahit malitiam omnium circumstantiarum istius homicidii voliti, quas potuit & debuit cognoscere vel prævidere.

Si autem non habeat voluntatem perficiendi, facit duplex peccatum perjurii contra Religionem ob defectum comitis veritatis formalis, & ob defectum comitis justitiæ, quia equidem juravit illicitum.

III. Juramentum promissorium de re impossibili cognita, vel existimata ut tali, est perjurium strictè dictum, cui deest veritas: nam convincitur non habere voluntatem implendi, quando jurat; nam ad impossibile non datur efficax voluntas.

III. Hinc conclude, illos debitores, qui jurant, se soluturos debitum intra mensem, ubi tamen præsciunt id sibi moraliter fore impossibile, esse perjuros, & insuper peccare secundùm rationem damnorum & malorum, quæ inde nata sunt sequi.

Similiter peccant operarii jurantes, se operam suam præstituros intra certum tempus, cùm tamen sciant, id se non posse præstare.

N. 166. DE DEFECTU COMITIS JUDICII IN JURAMENTO.

I. *Defectus comitis judicii est veniale peccatum.*

QUANTUM peccatum est juramentum, cui deest solus comes judicii?

I. R. Est peccatum veniale, dum scilicet per defectum judicii intelligitur absentia justæ causæ jurandi: proinde, qui jurat verum, licitum & honestum, v. g. se crastinâ die auditurum Missam, peccat venialiter.

Verumtamen consuetudo sic jurandi sine judicio poterit esse mortaliter mala, ut probatur num. sequenti.

Notandum quòd defectus judicii quandoque accipiatur latiùs, ita ut comprehendat juramentum temerarium, & incautum, & irreligiosum per falsos Deos; & hâc ratione defectus judicii dicitur aliquando esse mortalis.

Nota, quòd in omni juramento, cui deest comes veritatis, vel justitiæ, semper censendus sit deese comes judicii; quia nunquam datur justa causa peccandi, sive jurandi illicitè.

N. 167. DE CONSUETUDINE JURANDI.

I. *Definit. consuetudinis.* II. *Divisio.* III. *Consuetudo jurandi quidlibet est mortalis.* IV. *Singuli actus continent malitiam perjurii propter periculum.* V. *Idem dicendum de consuetudine jurandi incautè.* VI. *Consuetudo jurandi verum est mortal. mala.* VII. *Actus ordinariè sunt venialiter mali.* VIII. *Objectio.* IX. *Probatur consuetudinem jurandi esse malam.* X. *Inadvertentia voluntaria non excusat à formali peccato.* XI. *Peccata ex consuetud. sunt nova distincta peccata.* XII. *Doctrina libri damnati.*

QUID hic intelligitur per consuetudinem jurandi?

I. R. Intelligitur habitus jurandi, sive dispositio quædam ex juratione acquisita inclinans ad jurandum.

Quotuplex est consuetudo jurandi?

II. R. Dividitur illa consuetudo in voluntariam, & involuntariam, sive efficaciter retractatam: item in consuetudinem jurandi quidlibet indiscriminatim, verum & falsum, licitum & illicitum; & in consuetudinem jurandi solum verum & licitum.

Quantum peccatum est consuetudo jurandi?

III. R. Consuetudo voluntaria non retractata jurandi quidlibet est mortaliter mala; constituit hominem in statu mortalis peccati non solùm habitualis, sed etiam virtualis, ut loquitur Suarez cap. 6. æquivalet actuali peccato, sicuti voluntas vel affectus peccandi de cætero.

Ratio est, quòd illa consuetudo voluntariè continuata includat paratam voluntatem pejerandi; quia ipsa est occasio proxima actu existens, ex qua infallibiliter nata sunt sequi perjuria.

Obj. Habitus non est actus; ergo non est actuale peccatum, sed solùm habituale.

R. Habitus, qui continet affectum vel voluntatem paratam peccandi, continet actum virtualem continuatum: prout fur retinens scienter alienum cum animo non restituendi, est in statu non solùm habitualis, sed & actualis peccati.

Quantum peccatum sunt singuli actus ex illa voluntaria consuetudine prodeuntes?

IV. Resp. Singuli actus sunt peccata mortalia continentia malitiam perjurii, etiam tunc, quando fortè juratur verum & licitum, propter periculum perjurii, quod est in singulis actibus.

Si tamen consuetudinarius in aliquo casu satis advertat, certò verum esse & licitum, quod jurat, poterit in illo actu non peccare mortaliter, quia periculum perjurii abest ab illo actu.

V. Idem dicendum de consuetudine voluntaria jurandi incautè & temerè, videlicet sine sufficienti diligentia aut sine prævia inquisitione sitne verum aut falsum, licitum vel illicitum, quod juratur; quantumvis talis consuetudinarius nunquàm scienter juret falsum aut illicitum; nimirum dicendum, quòd consuetudo sit mortaliter mala, & singuli actus jurationis incautæ contineant malitiam perjurii ob periculum.

Quid judicandum de consuetudine jurandi semper verum & licitum?

VI. Resp. Et illa consuetudo, quæ certò rara est, voluntariè continuata, videtur esse mortaliter mala; quia continet vilipendium aliquod divini testimonii, & periculum aliquando jurandi falsum vel illicitum: nam homo diu stare non potest, quin agat aliquando tandem incautè secundùm habitum: denique scandalum aliorum non tollitur.

VII. Actus tamen ex hac consuetudine provenientes communiter sunt solùm venialiter mali, quia deest solus

comes judicii: nam supponitur sufficiens in illis attentio, ne juretur falsum vel illicitum.

VIII. Obj. Actus est potior habitu, ergo si consuetudo est mortaliter mala, etiam singuli actus erunt mortaliter mali.

R. Nego sequelam: quia unusquisque actus non habet eas conditiones vilipendii & periculi, quas habet consuetudo, & ita actus ille non haurit totam malitiam habitûs seu consuetudinis,

IX. Quòd autem consuetudo jurandi contineat specialem malitiam, indicat Spiritus Sanctus Eccl. 23. v. 9. & v. 12. "Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa." Item cap. 27. v. 15. & S. Chrysost. Hom. 14. tom. 5. ad populum Antioch. ait: "Continuè jurans, & volens, & invitus, & sciens & nesciens, & seriò & joco loquens omnino pejerabit." Plura legito apud S. Chrysost. Hom. 27. ad pop. Antioch.

An consuetudinarius jurans ex consuetudine, sed sine advertentia, facit peccatum formale, quandoquidem inadvertentia excusat à peccato formali?

X. R. Facit peccatum formale: quia etiam illa inadvertentia est voluntaria in ipsa consuetudine: jam autem inadvertentia voluntaria non excusat, sicut nec ignorantia voluntaria, multò minùs inadvertentia affectata: hinc practicè certum est, quòd numerus jurationum exprimi debeat pro integritate confessionis.

An sunt nova & dictincta peccata formalia, an verò solùm sunt peccata in causa seu in consuetudine voluntaria, sicuti sunt peccata facta & prævisa à perfectè ebrio?

XI. R. Videntur esse nova distincta peccata: disparitas est, quòd peccata ebrii solùm sint voluntaria in causa & voluntate præterita sine voluntario præsenti; sed in jurationibus illis, quæ fiunt à mentis compote ex consuetudine voluntariè continuata, invenitur voluntarium præsens implicitum & virtuale respectu præsentis voluntatis; nam eo momento, quo quis jurat, est in ejus libertate retractare consuetudinem; ergo provenit etiam a præsenti ejus libertate negligente retractationem, quòd ista juratio sit peccatum; ergo est novum distinctum peccatum respectu liberæ voluntatis præsentis. Illud adde, quod notat cum Scoto Suarez l. 3. c. 7. n. 10. f. 431. quòd consuetudinarii, quamvis subitò ex consuetudine jurent, simul satis deliberatè jurent, quia habitus facit ut citiùs & subitò deliberent.

XII. Nota hic, quòd à Summo Pontifice Benedicto

XIV. damnatus sit liber Authore B. Bensi, per decretum de 16 April, 1744, qui eidem delatus fuerat, quòd contineret hanc propositionem: "Si blasphemia sit imperfectè deliberata ex prava consuetudine blasphemandi: etenim talis blasphemia vel secundùm multos Doctores, utpotè non voluntaria saltem perfectè, non est culpa saltem mortalis: vel si est culpa mortalis secundùm non multos Doctores, utpote perfectè voluntaria solùm in causa seu in dicta consuetudine, non est blasphemia formalis, ideoque reservationi non subest."

Nuper quidam concessit, quòd blasphemans, ex consuetudine plane voluntaria, sit præ aliis felix, eò quòd non committat nova peccata distincta: sed vellem, ut illa propositio proponeretur Romæ judicanda: tandem diabolus erit felix in sua obstinatione in malo.

N. 168. DE CONSUETUDINE RETRACTATA.

I. *Consuetudo efficaciter retractata non est peccatum formale.*
II. *Retractatio per voluntatem.*

I. An consuetudo retractata, & juramenta ex illa sola adhuc provenientia, sunt peccata formalia?

R. Negative, si sufficienter seu efficaciter sit retractata; quia deest voluntarium.

Quomodo consuetudo jurandi retractatur?

II. R. Primò id fit per ipsam voluntatem absolutam & efficacem cum firmo proposito adhibendi media efficacia ad extirpandam consuetudinem: & hæc voluntatis retractatio sufficit, ut consuetudo dicatur jam involuntaria, sicut & actus inde inadvertenter prorumpentes. Velleitas vel desiderium carendi illâ malâ consuetudine non sufficit.

Si quispiam, post retractatam efficaci voluntate consuetudinem, deficiat vel negligat adhibere efficacia remedia, incipiet iterum consuetudo esse voluntaria.

N. 169. MEDIA VINCENDI CONSUETUDINEM.

I. *Media vincendi consuetudinem.*

QUÆ sunt illa media efficacia eradicandi consuetudinem jurandi?

R. Cùm consuetudinarii soleant jurare ex quadam actuali inadvertentia seu indeliberatione, ac præcipitatione, oportet eis præscribere media, quæ tollunt præcipitatio-

nem, & pariunt deliberationem & advertentiam, cujusmodi sunt:

I. 1°. Ad singula juramenta mox seipsum corripiat dicendo palam & altâ voce: retracto dictum, malè dixi, pœnitet me, peto veniam, &c. convenit hic modus ut simul impediat scandalum ex dicto suo fortè secutum & secuturum.

2°. Ad singulos actus statim recitet oratiunculam aliquam, Pater noster, Ave Maria, vel si tempus non patiatur, actum displicentiæ vel contritionis eliciat.

3°. Similiter statim genuflectat, pectus vel maxillam percutiat, mox sinè dilatione reponat quadrantem vel assem ex uno sacco in alium, ut pauperi primo occurenti tribuat, vel aliud opus pœnale mox exerceat.

An ergo non sufficit, quòd jurans retineat numerum, & illa opera vesperi simul adimpleat?

R. Negativè, sed mox adimpleri debent, ut tollant radicem, scilicet præcipitationem & inadvertentiam consuetudinis, & ut gignant deliberationem; quod non efficiunt, dum differuntur.

4°. Petat, ut alii, socii, famuli, &c. eum corripiant, aut alapam infligant. Ita S. Chrysost. Hom. 25. ad pop. Antioch.

5°. Ut singulis septimanis redeat ad eundem Confessarium expositurus statum suum, donec penitùs abolita sit consuetudo.

6°. Denique si illa consuetudo continuetur ex consortio vel alia occasione, oportet ea derelinquere.

7°. Si autem juramenta illa prorumpant ex ira, oportet remedia iræ applicare: similiter agendum, si ex alia causa profluant, ut radix mali amputetur.

N. 170. CONCLUSIONES PRACTICÆ.

I. *Consuet. in confess. exponen.* II. *Confessiones Sacrilegæ, & repetendæ.* III. *Absolutio differenda.*

QUID ex prædictis deducendum pro praxi?

I. R. 1°. Quòd omnis consuetudo jurandi voluntaria sit in confessione exponenda, sicut & duratio temporis in eadem consuetudine.

II. 2°. Quòd durante tali consuetudine voluntariâ confessiones factæ fuerint sacrilegæ, & sint repetendæ, & numerus susceptorum omnium sacramentorum, utpote quæ fuerint sacrilegia, sit exprimendus; sicut & prævaricatio

multorum præceptorum, charitatis, pœnitentiæ, & quorumcumque actuum supernaturalium.

III. 3°. Quòd juxta S. Franc. Sales. differenda sit absolutio consuetudinariis, qui omnes nervos non intendunt vitiosis habitibus eradicandis, & laboriosa sollicitudine non adhibent media ipsis præscripta: ita ut hìc, si alibi, verum sit dictum Cardinalis Bellarmini: "Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi."

N. 171. EXCUSATIONES CONSUETUDINARIORUM REFELLUNTUR.

I. *Prima excusatio rejicitur.* II. *Secunda excusatio.* III. *Nunquam in blasphemia admittitur.* IV. *Tertia excusat.* V. *Quarta excusat.*

CONSUETUDINARII peccatores effingunt sibi excusationes in peccatis, quibus enormitatem eorum tegant, et conscientiæ remorsum effugiant, dicentes:

I. Primò, quòd jurent ex consuetudine inadvertenter, non ex malitia.

R. Jam dictum est N. 167. quòd hoc non excuset à formali peccato, & quòd juxta S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 2. peccata ex consuetudine dicantur peccata ex malitia.

II. Secundò objiciunt, quòd proferendo verba juratoria non habeant intentionem jurandi aut blasphemandi, sed per modum interjectionis aut ornatus ea permisceant sermonibus suis.

R. Num. 157, diximus, illa probabiliter equidem esse vera juramenta sine illa intentione directâ.

Secundò dictum ibidem est, etiam ex sententia Suarez, aliorumque omnium, esse ex genere suo peccatum mortale ejusmodi juramentum fictum; ergo multò magis consuetudo sic jurandi.

III. Nota bene, quòd hæc excusatio nullatenus admittatur in blasphemiis: nam cum S. Th. Scholastici & Busenbau inclusivè docent, loquentem blasphemias, licèt sine intentione blasphemandi, non excusari à formali peccato blasphemiæ, quia verba in communi locutione intelliguntur formaliter; igitur, qui ex levitate vel joco dicit, "Mordieu," aut verba blasphemiæ, de quibus n. 138. peccat mortaliter singulis vicibus, quantumvis ea proferat afferendo verum & licitum.

IV. Objiciunt tertiò, quòd ignorent contineri illis verbis juramentum, vel blasphemiam.

R. Negatur: nam in confessione se desuper accusant:

equidem illa ignorantia non est invincibilis; possunt & debent inquirere sensum, antequam illis verbis utantur; quâ ratione Christus non excusavit Judæos Matt. 5. quamvis illi putarent se non verè jurare aut pejerare per creaturas.

Deinde Christiani sæpius audiverunt in concione & aliter in generali, detestabilem esse jurandi modum, eosque, qui ejusmodi verba effutiunt, vocari juratores; adeoque excusari non possunt à peccato mortali inhonorationis Dei, quamvis infimam speciem fortè ignorarent.

V. Objiciunt 4°. per usum & consuetudinem multorum fit, ut illa verba desinant habere significationem & sensum blasphematorium.

R. Negatur assumptum; nam ille abusus & crimen horrendum paucorum non mutat significationem verborum communem & propriam; unde major pars & pii usque modò inhorrescunt ad auditum similium vocabulorum; & Senatus Regius in Hispania responsum nostrum confirmavit, ut refert Julius Clarus.

PERTINENS.

I. *Pro concionibus.*

NUPER inaudieram esse Confessarios, qui ex præfato titulo excusant à peccato mortali eos, qui illigati sunt consuetudine dicendi "Mordieu," &c. eosdem absolvunt simul instruendo & docendo, in usu illorum verborum non esse peccatum mortale, ut eos liberent à conscientia erronea: ô impia sollicitudo! non credidi, nisi postquam intellexi, istos Confessarios esse illos ipsos, qui, dediti horrendis blasphemiis aliisve vitiis, traditi sunt in reprobum sensum.

I. Ut contra vitium jurandi & blasphemandi in concionibus justè declametur, abundantem materiam ministrabit S. Joan Chrysost. multis locis: & præcipuè Hom. 1. ad populum Antioch. in fine: item Homil. 14. 17. 26. 27 & 28 S. Bernardus blasphemantes nuncupat dæmones incarnatos, deicidas, &c.

N. 172. DE EXACTIONE JURAMENTI NON FRAUDANDI TRIBUTA, &c.

I. *Juram. non fraudandi tributa quotidiana.* II. *Juram. servandi Statuta.* III. *Formula juram. opificum.* IV. *Canonici juram.* V. *Servandi secreta.*

AN licitè in regione aliqua, vel in opificiis exigitur juramentum de non fraudandis tributis, vectigalibus, &c.

I. R. Negativè, propter pericula perjuriorum: nam juramentum illud promissorium obligaret ad plurima & ad singulos actus: secundò sic nimium multiplicarentur juramenta cum periculo vilipendii. ita S. Basilius Ep. 305.

Hanc responsionem solidis rationibus & authoritatibus confirmarunt Doctores Lovanienses anno 1696, interrogati super juramento de non fraudando tributo consumptioni farinæ imposito.

Qualiter obligat juramentum servandi statuta alicujus Ecclesiæ, Capituli, Congregationis, Communitatis, aut Opificii?

II. R. Obligat ad servanda statuta præsentia, non obsoleta, & quæ sunt majoris momenti, sive quæ tanquam materia gravis ex vi juramenti de facto observari solent: hæc est interpretatio communis Scholasticorum, ut scilicet in rebus exiguis non detur occasio perjurii; addit Wiggers omnino convenire, ut illi, qui exigunt juramentum, instruant jurantes super eo, ne ex errore peccent.

III. Formula juramenti, quod opifices faciunt Mechliniæ, est hujusmodi: "Ik sweere...ik zal goed en getrouw zyn d'Ambacht van de Kuypers, syn profyten zal ik voorderen, zyn schade zal ik beletten, myn Dekens zal ik gehoorzaem zyn...naer myn beste vermogen."

IV. S. Th. 2. 2. q. 98. ad 4. Canonicus jurans se servaturum statuta edita, non tenetur ex juramento ad servanda futura, nisi ad ea extensum fuerit juramentum: tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, nec extenditur ad abrogata.

V. Juramentum servandi secreta Capituli intelligitur secundùm subjectam materiam in rebus majoris momenti expostulantibus silentium. Syl. q. 89. art. 7. q. 4. Bill. 360.

N. 173. DE JURAMENTO FORMULARII ALEXANDRI VII. PAPÆ.

I. *Licitè exigitur & præstatur.* II. *Prima responsio.* III. *Secunda Responsio.* IV. *Quomodo in sensu Authoris abjurantur Propositiones.* V. *Finalis securitas.*

AN licitè exigitur & præstatur juramentum circa quinque propositiones Jansenii juxta Formulam Alexandri Papæ VII?

I. R. Licitè exigitur, ut à Ministerio Ecclesiæ repellantur Hæretici, quorum error ut cancer serpit.

R. Licitè præstatur idem juramentum, quia Superiores legitimè exigunt.

Nota, quòd abjurare sit jurare dissensum, seu rejectionem & abnegationem erroris.

Obj. Illi, qui non viderunt nec legerunt librum Jansenii, debent jurare juxta istam formulam; atqui illi non possunt jurare, propositiones istas contineri in libro, & sensum earum convenire cum sensu Jansenii; ergo, &c.

II. R. Conc. maj. ad minorem duplex datur responsionis via: prima & simplicissima adeoque sequenda est hæc, negando minorem: nam potest quis jurare aliquid, quod nunquam vidit, modò ex aliis rationibus vel authoritatibus ipsi satis constet & persuasum sit, illud esse verum, & ita posset quis jurare, dari civitatem, quæ vocatur Roma, licet non viderit Romam. Jam autem quòd illæ propositiones excerptæ sint ex libro Jansenii, & conveniant in sensu cum eodem, constat ex authoritate Summi Pontificis & doctissimorum virorum, qui in eo negotio summâ maturitate laboraverunt: accedit judicium innumerabilium eruditorum hominum, qui prædictum librum perlegerunt, adeoque unusquisque licitè & tutò illa jurat absque ulteriori examine.

III. 2°. Responsio est, quòd propriè & directè non juretur illas propositiones excerptas esse aut contineri vel convenire cum sensu libri, sed quòd juramentum supponat veritates illas, & directè juretur actus rejectionis errorum; ita ut juramentum directè cadat in hæc verba formularii: "Sincero animo rejicio & damno quinque propositiones, & constitutionibus Pontificum me subjicio:" illa autem formularii verba "ex libro Jansenii excerptas & in sensu ab Authore intento," significent veritates præsuppositas, quas jurans acceptat, & tanquam indubitatas habet; si enim istas in dubium vocaret, aut negaret, male juraret: paritas aliqua poni potest in eo, qui juraret se adorare Christum in Hostia consecreta exposita; directè jurat actum suum adorationis, non jurat directè Hostiam esse consecratam; sed firmiter sibi persuasum habet, eam esse consecratam. Hæc latiùs discussa reperies apud Steyaert in Dam. & Polem.

Obj. Propositiones illæ abjurantur in sensu ab Authore intento: atqui id est factum omnibus ignotum, quid Author intenderit; ergo non rectè juratur.

IV. R. Nego minorem; nam per sensum ab Authore intentum intelligitur sensus ipsius libri, seu scripti: ille autem sensus non est ignotus, sed patet legenti librum: deinde est usitatus loquendi modus, ut sensus libri dicatur esse sensus Authoris: quomodo doctrina vel sententia aliqua dicitur esse Sylvii, quæ in ejus libris reperitur.

V. Finaliter nullus hìc scrupulus agitandus; nam Supe-

riores petentes juramentum, sciunt te non legisse librum, adeoque non exigunt à te majorem certitudinem, quàm persuasionem ex relatu & authoritate aliorum; sufficit autem jurare juxta mentem petentis juramentum, cum & sic liceret jurare rem dubiam tanquam dubiam, si ita peteretur juramentum juxta dicta Num. 160.

N. 174. DE JURAMENTO PER FALSOS DEOS.

I. *An sit verum juram.* II. *Quomodo liceat petere jurament. per falsos Deos.*

AN juramentum per falsos Deos est verum & obligatorium juramentum?

I. R. Negant Suarez & Billuart; sed Sylvius, Daelman & Canonistæ respondent affirmativè: quia sic jurans intendit jurare, & testari summam veritatem, quamvis erret aliunde, dum collocat eam in idolo; & propterea committit peccatum idololatriæ.

An licet petere juramentum a juraturo per falsos Deos?

II. R. Non licet determinatè petere, ut alter juret per falsos Deos, quia hoc est directè petere malum.

R. 2°. Licet ab illo simpliciter petere juramentum ex justa causa: quia tunc petitur res bona, & quæ licite præstari potest; cum tamen alter prævideatur juraturus per falsos Deos, idcirco requiritur justa causa tanta, ut permissive te habere possis ad peccatum ejus.

N. 175. DE PEJERATURO.

S. Thom. 2. 2. *q.* 98. *a.* 4.

I. *Non licet petere juramen. à Pejeraturo.* II. *Duobus casibus licet petere à Pejeraturo.*

I. AN licet petere juramentum à pejeraturo?

R. Hoc simpliciter non licet, quia deest finis intrinsecus juramenti, scilicet confirmatio veritatis, sive bonum fidei.

Obj. Simpliciter petere licet juramentum à juraturo per falsos Deos, ergo etiam à pejeraturo.

R. Nego conseq. Disparitas est, quòd in juramento per falsos Deos haberi queat finis intrinsecus juramenti, non verò in perjurio.

Assignantur interim casus aliqui, in quibus licet petere juramentum à pejeraturo, quamvis hæc expressio sit impropria, & ita

II. Primò S. Thom. 2.2. quæst. 98. art. 4. in c. docet quòd persona publica sive Judex, servato juris ordine, licitè exigat juramentum à pejeraturo ad petitionem alterius partis, eò quòd tunc Judex propriè non petat juramentum, sed altera pars.

Secundò: Similiter persona particularis dicitur licitè petere juramentum à pejeraturo, quando leges in certo negotio requirunt juramentum: quia tunc iterum persona privata propriè non petit, sed leges petunt: & ita tutor quandoque excusari potest petens juramentum in negotiis pupilli à pejeraturo.

Nolo tamen subscribere omnibus casibus relatis in Theologia Daelman; nam temporale lucrum non necessarium nequit præbere sufficientem causam.

N. 176. DE PŒNIS PERJURII ET BLASPHEMIÆ.

I. *Pœna perjurii est infamia.* II. *Rejectio à Testimonio dicendo.* III. *Pœna blasphemiæ.* IV. *Carcer menstruus in pane & aqua.* V. *Medium impediendi blasphemias in Parochia.*

QUÆNAM est pœna perjurii?

I. R. Est infamia, juxta Leges Canonicas, cap. "Infames," & etiam juxta Leges civiles. Estque illa infamia aliquando pœna sententiæ latæ, aliquando sententiæ ferendæ.

Nota, quòd infamia civilis extendatur ad totam vitam; infamia Canonici Juris tolli possit per emendationem vitæ cum mutatione opinionis hominum, nisi per sententiam Judicis de perjurio sit condemnatus, ait Lessius lib. 2. c. 42. n. 74. quo casu opus est dispensatione.

Suarez de Rel. lib. 3. cap. 20. 454. varias quæstiunculas discutit, utrùm infamia incurratur ex perjurio extrajudiciali, utrùm ex perjurio promissorio & assertorio.

Resolvit, infamiam civilem incurri solùm ex perjurio notorio circa pacta humana; quia hæc infamia desumenda est ex Legibus civilibus, quatenus per Canones non reprobantur vel emendantur.

Infamia Canonica incurritur ex perjurio notorio etiam extrajudiciali.

II. Secunda pœna est rejectio à testimonio dicendo in judicio cap. "Quicumque." 6. q. 1. & cap. "Parvuli," 22. q. 5. Perjurus tamen non debet repelli à juramento oneroso, v. g. à juramento fidelitatis, &c. Suar. Num. 18.

III. Pœna blasphemiæ juxta legem divinam Levit. 24. v. 16. & juxta legem civilem Novell. 77. est mors: quæ

autem verba contineant blasphemiam, dictum est supra N. 138.

IV. Hodie multiplicia in variis regionibus exstant edicta: Zypæus in libello, Notitia Juris Belgici assignat quædam edicta Regia, quæ reperies in libris, vulgò "Plakkaert Book van Vlaenderen en Braband:" postremùm anno 1531, 7. Oct. decernit carcerem menstruum in pane & aqua, vel etiam perforationem linguæ.

Pro turpiter jurantibus decernitur pœna arbitraria.

Observat Zypæus, Notit. Juris Belgici p. 204. quòd mos pejerandi frequens inter sermocinandum spectet ad blasphemiam, adeoque iisdem pœnis subjaceat.

V. Quandoquidem præfatum edictum præcipiat, ut locorum Judices instanter puniant blasphemos & juratores, sub pœna privationis officii sui; Pastores ex eo arripient medium efficax eliminandi peccatum tam horrendum è parochia; nimirum Pastor blasphemos & juratores denuntiet Officiali loci vel Magistratui, exprimendo testes, qui audierunt; urgebit autem Officialem ad puniendum dictos blasphemos, sub comminatione deferendi ipsum Officialem Fiscali, à quo privandus erit officio, vel mulctandus.

N. 177. DE MODIS QUIBUS CESSAT OBLIGATIO JURAMENTI.

S. Thom. quæst. 89. art. 9.

I. *Summariè.*

NON agitur hìc de juramento assertorio, sed de promissorio, quod post actum jurationis obligationem relinquit pro futuro.

Quibus modis potest cessare obligatio juramenti promissorii?

R. His potissimùm modis:

I. 1. Irritatione,

2. Dispensatione & relaxatione,

3. Commutatione,

4. Materiæ mutatione vel subtractione,

5. Cessante fine totali completè,

6. Ratione conditionis non adimpletæ,

7. Cessante principali obligatione cessat juramentum purè accessorium.

8. Non acceptatione, & condonatione, seu remissione.

9. Si juramentum incipiat vergere in deteriorem exitum, de quo latiùs supra Num. 154. vel in præjudicium

boni communis, vel etiam alicujus particularis, v g. quis juravit occultare furtum alterius, sed inde alter liberiùs prolabitur ad alia furta: item cessat juramentum, quando directè est majoris boni impeditivum; S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. verùm similes modi referri possunt ad modum, quo cessat obligatio juramenti per mutationem materiæ.

10. Denique cessat obligatio juramenti, licèt impropriè, per adimpletionem sive totalem solutionem rei juratæ: & è contra dicitur cessare ab initio, quia juramentum fuit nullum, sive quia nullam ab initio obligationem produxit; sed iterum similes modi reduci possunt ad modos superiores; quos in sequentibus explicabimus breviter: extensiùs autem eosdem explanatos reperies supra in Tract. de Voto à Num. 106. ad 124.

DE PRÆFATIS MODIS IN PARTICULARI.

I. *De irritatione juram.* II. *De Dispensatione super juram.* III. *Quid possit potestas civil.* IV. *Juram. reservata.* V. *De commutatione juramenti,* VI. *Objectio.* VII. *Juram. cessat per mutationem materiæ.* VIII. *Item cessante fine totali.* IX. *Juram. conditionatum.* X. *Juram. accessorium cessat cessante contractu.* XI. *Cessat juram. non acceptatione & condonatione.* XII. *Casûs positio.*

QUIS potest irritare juramentum alterius?

I. Qui habet potestatem dominativam aut quasi dominativam in alterum: ita, si filiusfamilias juraverit arripere iter aliquod cum socio, pater potest illud irritare seu annihilare.

Similiter vir irritat quædam juramenta uxoris; tutor pupillorum; tutor tamen non irritat juramenta pupilli puberis confirmantia contractum, sed id ex dispositione juris positivi lib. 1 & 2. c. "Si adversùs venditionem." Quia juramentum supplet defectum ætatis.

An parentes possunt irritare juramentum filii præstitum filiæ de matrimonio contrahendo.

R. Negativè, quia filius quoad illud non subjicitur potestati parentum. Consule dicta de irritatione voti à Num. 107. ad 110.

Cui competit potestas dispensandi super juramento?

II. R. Principaliter competit Summo Pontifici: S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. non tamen nisi ex rationabili causa,

quia dispensat in jure alieno: competit etiam jure ordinario Episcopis, non Parochis. Requirit autem hæc dispensatio potestatem jurisdictionis majoris.

An potestas civilis potest dispensare in juramento?

III. R. Quamvis fortè ei non competat dispensatio propriè dicta, quæ est actus spiritualis potestatis à Deo concessæ, videtur ei concedenda aliquando quædam potestas relaxandi juramentum factum in favorem subditi: explico & dico: potestas civilis vice subditi sui alteri remittit materiam debitam, & sic cessat juramentum per mutationem materiæ: item juramentum subditi potest aliquando irritare.

IV. Juramenta circa materiam votorum reservatam Summo Pontifici, censentur etiam reservata juxta communem Scholasticorum interpretationem; sicut etiam juramenta in causis majoribus juxta cap. "majores, de Bapt."

Dispensatio non extenditur ad juramenta confirmatoria promissionis vel pactionis homini factæ & acceptatæ, quia concurrit obligatio justitiæ; nisi juramentum sit fraude, dolo vel metu extortum, vel aliter vergat in deteriorem exitum, vel salutis periculum v. g. si sit de materia dubiè licita. Billuart 365. vel si dispensetur in pœnam ejus, cui juratum est. Sylv. 663.

V. Commutatio juramenti consistit in eo, quòd loco operis jurati substituatur aliud per potestatem superioris, vel per consensum partium v. g. loco obsequii dentur pecuniæ: quando autem fit ex consensu jurantis, tunc vi juramenti obligatur, quia censetur fieri virtualis repetitio juramenti. Suarez.

VI. Obj. Obligatio juramenti est juris naturalis & divini, ergo illa cessare non potest per dispensationem, commutationem vel irritationem.

R. Neg. cons. quia per dispensationem, &c. efficitur, "ut id, quod sub juramento cadebat, sub juramento non cadat subtrahendo, prohibendo, &c. & ita non fit aliquid contra juramentum." S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 1. Deinde omni juramento inest hæc conditio: "salvo jure Superioris."

Vide dicta de voto Num. 112 & 113.

Quandonam juramentum cessat per mutationem materiæ.

VII. R. Quando materia sit impossibilis, illicita, nociva aut aliter indebita. Videtur autem hoc casu cessare juramentum absque ulteriori dispensatione. v. g. juramentum contrahendi matrimonium cum Maria, si postea contrahat validè cum Anna, cessat pro tempore vitæ Annæ.

VIII. Cessat obligatio juramenti, cessante fine totali completè, quia tunc materia formaliter mutatur & redditur inutilis, adeoque indebita juramenti materia; deinde mens rationabilis jurantis non comprehendit casus illos: hinc si quispiam juraverit non ingredi domum quandam, eò quòd sit popina, licitè eandem ingreditur, si desinat esse popina.

IX. Cessat obligatio juramenti, si conditio expressa vel subintellecta & suspensiva obligationis non ponatur. Vide dicta Num. 149.

X. Similiter juramentum merè accessorium respectu contractûs aut obligationis cujusdam, cessat cessante contractu: hinc conclude, quòd si quis sponsalia confirmaverit juramento, cessantibus sive solutis sponsalibus cesset juramentum: juramentum verò per se stans non semper ita cesat.

XI. Denique juramentum cessat ab initio per recusationem seu non acceptationem ejus, in cujus favorem fit; & si acceptaverit, cessabit per ejus condonationem sive remissionem, quia hujusmodi conditio semper inest juramento cuicumque. Propterea si Joannes juravit dare Petro decem florenos, Petrus potest remittere.

Juravi Petro me daturum Paulo ejus fratri librum: q uæritur uter ex eis possit mihi remittere obligationem?

XII. R. Distinguendo: si id juraverim Petro in gratiam Petri, cui gratitudinem & obsequia debeo, tunc uterque seu unusquisque sive Petrus sive Paulus potest remittere: si id juraverim Petro solùm ut testi, non directè in gratiam Petri, tunc Paulus, non Petrus remittit.

N. 178. QUÆSTIUNCULÆ.

1. QUALE fuit juramentum, an assertorium an promissorium, quod fecit Jonathas David, 1. Reg. 20. v. 2. "absit, non morieris?
2. Quotupliciter potest fieri juramentum per creaturas?
3. An hæc verba: juro in caput meum, contineant juramentum? quale? & quid significent?
4. Assigna aliquid, quod est materia capax legitimi juramenti, sed non voti?
5. Da juramentum, cui deest solummodò unus comes.
6. Da juramentum, cui desunt duo comites.
7. Da juramentum, cui desunt tres comites.
8. Qualiter peccat is, qui jurat, se commissurum mendacium jocosum?

9. Joannes sponsalia contraxit cum Anna, postea jurat matrimonium contrahere cum Catharina, quæritur:

An juramentum obliget?

An casu quo Anna moriatur, juramentum obligandi vim acquirat?

10. Famulus jurat filio-familias, quòd ejus fornicationem non manifestabit ulli: an obligat illud juramentum?

11. Paulus ex metu injusto juravit latroni dare 100 florenos intra tres dies; ast Paulus moritur ante illud tempus; quæritur:

Quale sit juramentum illud?

An Hæredes Pauli obligentur ad tradendos illos 100 florenos?

12. An Jacob, Gen. 27. v. 19. licitè potuisset juramento confirmare responsum suum: "Ego sum primogenitus tuus?"

13. Juravi Petro, me assumpturum statum religiosum; an Petrus potest mihi remittere obligationem juramenti?

14. Da juramentum, aliquod, quod verum est, quod tamen qui facit, committit perjurium.

15. Da juramentum, quod non obligat, ut observetur, quamvis res jurata perseveret esse licita.

16. An juramentum eundi ambulatum, est licitum & validum?

17. An juramentum non revelandi medicinam, quâ expelluntur febres, obligat?

18. An ille, qui solet jurare ex ira, nunquam aliter, debeat haberi tanquam consuetudinarius jurator.

RESPONSIONES.

Ad 1, fuit assertorium, quo jurabat persuasionem suam de facto patris. Potuit simul esse promissorium inquantùm spondebat operam suam lege v. 4. & v. 13. ejusd. cap. Vide etiam superiùs dicta Num. 145.

Ad 2. Dupliciter licitè, nimirum contestatoriè & execratoèri. Vide n. 130.

Ad 3. Continent juramentum execratorium, & habent hunc sensum: "invoco Deum in testem, & vindicem." it, si falsum jurem, illud testetur per attritionem capitis mei. Vide dicta num. 130.

Ad 4. Tale quid est matrimonium contrahendum, simpliciter, quod est honestum, non tamen simpliciter de meliori bono. Vide n. 146.

Ad 5. Juramentum solvendi justum debitum, ubi non erat jurandi necessitas: deest comes judicii.

Ad 6. Juramentum solvendi debitum, præstitum sine necessitate & sine intentione implendi: desunt comites veritatis & judicii.

Ad 7. Juramentum mentiendi sine intentione implendi.

Ad 8. Distinguendo: si juret cum intentione implendi, peccat mortaliter contra comitem justitiæ, & venialiter voluntate mentiendi: si juret sine intentione mentiendi, peccat mortaliter contra comitem veritatis & contra comitem justitiæ.

Ad 9. Resp. Bill. 350. non obligat, quia juramentum est de re illicita: ad 2. resp. negative juxta regulam juris in 6: "non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit:" aliud foret, si jurans voluisset se obligare indefinitè in quocumque eventu possibili, vel similis conditio subintellecta fuisset, quia tunc juramentum ab initio non fuit omnino nullum, sed subsistebat conditionatè.

Ad 10. Distinguendo: si agatur de committenda seu futurâ fornicatione, juramentum simpliciter non obligat, quia vergeret in deteriorem exitum: si agatur de fornicatione commissa, obligat, nisi alia causa justa urgeat, v. g. necessaria correctio filii-familias, vel justa interrogatio judicis. Vide num. 154.

Ad 11. Est juramentum promissorium per se stans. Vide num. 153.

Ad 2. Videtur respondendum negativè, quia obligatio fuit merè personalis, & solius Religionis, non justitiæ, aut debiti realis. Vide n. 148.

Ad 12. Negativè: quia jurasset in sensu amphibologico distincto à sensu patris interrogantis. Vide num. 159. Pater enim petebat, an esset primogenitus nativitate naturali; Jacob autem respondet, se esse primogenitum jure & repræsentatione, non nativitate.

Ad 13. Negativè, quia illud juramentum fit Petro solùm tanquam testi, non verò tanquam personæ, cui principaliter favor juratur. Vide num. 177.

Ad 14. Qui jurat, Petrum esse domi, qui revera est domi, sed jurans putabat eum exisse; & generatim omnis, qui jurat verum, quod judicabat esse falsum.

Ad 15. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2. juramentum non ingrediendi religionem. Vide n. 146.

Ad 16. Distinguendo: si ambulatio consideretur ut opus merè indifferens, juramentum nec est licitum nec obligatorium: si referatur ambulatio ad honestum finem, juramentum est validum & licitum ex causa justa. Vide num. 146.

Ad 17. Potest obligare personas aliquas pro tempore & loco; sæpissime tamen non obligat, quia vergit in præjudicium boni communis vel charitatis. Vide num. 154.

Ad 18. Si ille sit consuetudinarius in vitio iræ, poterit etiam esse consuetudinarius in juratione: media autem illi præscribenda sunt talia, quæ primariò corrigunt & emendant iram, quia illa est causa & radix jurationis in illo. Schemata practica, ad usum Confessariorum, concernentia hanc materiam, reperies infra.

N. 179. DE ADJURATIONE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 90.

I. *Quid sit Adjurat.* II. *Divisio.* III. *Primus modus adjurandi deprecando.* IV. *Secundus imperando.* V. *Quomodo creaturæ irrationales adjurari possint.* VI. *Exorcismi.* VII. *Solemnis adjurat. per Exor. reservatur.*

QUID est adjurare?

I. R. Est sub divini nominis obtestatione quempiam inducere vel movere, deprecando vel imperando ad aliquid faciendum vel omittendum.

II. Dividitur adjuratio in explicitam & implicitam.

2°. Dividitur in deprecativam, & in compulsivam, quia sunt duo modi adjurandi.

III. Primus exercetur deprecando erga æquales, superiores & erga Deum; v. g. dum oramus: "per Dominum nostrum Jesum Christum."

IV. Secundus exercetur circa inferiores & dæmones.

Solo secundo modo, scilicet per modum imperii, licet adjurare dæmones, non priori modo deprecando, ne quidem ad aliquid discendum vel obtinendum ab eis, (nisi ex speciali instinctu Dei, ait S. Th. art. 2); quia hoc pertineret ad quamdam societatem cum dæmone: & ideo anno 1613, in Gallia dæmon dicens se missum à Deo ad prædicandum Evangelium, rejectus est, ut refert latiùs Wigg. eique dictum est: juxta illud Marc. 1. v. 25, "Obmutesce."

V. Creaturæ irrationales secundùm se adjurari non possunt, quia incapaces sunt deprecationis vel imperii suscipiendi: quatenùs tamen moventur ab alio, adjurari possunt utroque modo: ita sal, aqua, nubes adjurantur vel exorcisantur dirigendo adjurationem ad Deum, et earum rerum

usibus assistat; vel ad dæmonem, ut ab eis abscedat vel per eas nocere non præsumat.

VI. Adjurationes adversùs dæmones vocantur exorcismi.

VII. Solemnis adjuratio, quæ fit per Ecclesiæ exorcismos contra infestationes dæmonum solet hodie reservari Episcopo, ita ut ipsi Parochi pro ea indigeant speciali licentiâ.

Quid servandum sit in usu exorcismorum docent ritualia. Neesen Tract. de actibus humanis.

Non prohibentur particulares adjurationes adhibendo signum crucis, aut alias preces vel benedictiones; nec etiam prohibetur gratia miraculorum

DE SIGNO CRUCIS.

I. *Signum crucis est signum Christiani homin.* II. *Duo modi formandi crucem.* III. *In formando. crucis signo profitemur Mysteria præcipua Fidei.* IV. *SSmæ. Trinitat.* V. *Profitemur duas processiones in divinis.* VI. *Myst. Incarnat. & Passionis Jesu Christi.* VII. *Item Redemptionis nostræ.* VIII. *Ad quos fines utamur signo crucis:* IX. 1. *Ad actus Fidei.* X. 2. *Ad actus Relig.* XI. 3. *Contra tentationes & infestation. Dæmon.* XII. 4. *Ad benedicendum rebus & avertenda mala.* XIII. *Usus signi crucis a tempore Apostol. Tertull.* XIV. *S. Hier.* XV. *SS. patr.* XVI. *Figura in T.* XVII. *Objectio.* XVIII. *Crux instrumentum Redemptionis nostræ & triumphi Christi.* XIX. *Omnes cruces repræsentant Passionem & victor. Christi.*

I. SIGNUM crucis à catechismo nostro lect. 2. singulariter vocatur signum Christiani hominis, nam omni tempore christiani formando signum crucis se distinxerunt ab infidelibus.

Notat idem catechismus duplicem modum signandi se cruce.

II. Primus est, quo quis manu dextra digitis extensis & junctis, palmâ manûs ad se conversâ, tangit sibi frontem dicens: "In nomine Patris," inde dimittit manum infra pectus dicens: "& Filii," exinde movet manum ad sinistrum pectoris sui latus, & eam mox transmittit ad dextrum latus insimul dicendo: "& Spiritûs Sancti."

Secundus modus est, quo pingit crucem pollice in fronte dicens: "In nomine Patris," & super os dicens, "& Filii," & super pectus dicens, "& Spiritus Sancti."

Hoc modo utimur ad lectionem Evangelii, quo profitemur,

nos fidem & Evangelium gerere in mente, in ore & in corde seu affectu.

III. Notat tertiò præfatus catechismus, nos in formando crucis signo profiteri præcipua fidèi nostræ Mysteria, nimirum SSmæ. Trinitatis, Incarnationis & Passionis Jesu Christi, atque redemptionis nostræ.

IV. Edoce, quo modo profiteamur Mysterium SSmæ. Trinitatis.

R. Dicendo: "Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti," profitemur tres divinas Personas, easque inter se distinctas per interjectionem, et:

Dicendo in "Nomine" in singulari, & non in Nominibus," profitemur illarum Personarum unam eandemque naturam seu essentiam divinam, adeoque illas esse unum Deum; nam to "Nomen," non denotat vocem aliquam, sed significat virtutem, potentiam & essentiam divinam, ac si diceretur in virtute, in potentia, in majestate Patris, &c.

V. Insuper, dum trahimus manum à fronte infra pectus, profitemur, Patrem per intellectum ab æterno generare Filium; & dum trahendo manum à latere sinistro ad dextrum nectimus lineas crucis, profitemur Spiritum S. esse nexum & amorem Patris & Filii, & ab eisdem procedere.

VI. Mysterium Incarnationis Jesu Christi profitemur, scilicet mittendo manum à fronte infra pectus, profitemur Filium Dei è sinu Patris descendisse in uterum Virginis, & assumpsisse naturam humanam: ita utraque Christi generatio sive nativitas, æterna ex Patre, temporalis ex Matre hìc significatur.

VII. Mysterium Redemptionis nostræ & Passionis Christi Domini profitemur, dum manum à sinistro latere ad dextrum latus protrahimus simulque crucem perficimus; in eo enim significatur, quòd Christus Dominus per crucem & passionem suam nos perduxerit à statu damnationis ad statum salutis.

VIII. Quibus de causis & ad quos fines utimur signo crucis?

IX. 1°. Cum Catech. Mechl. utimur illo ad exercitium virtutum; continet enim actus fidei & professionis fidei præcipuorum Mysteriorum, prout supra demonstratum est.

X. 2°. Continet actum Religionis; est enim brevis & efficacissima oratio ad Deum per merita passionis Christi, quâ auxilium Dei invocamus in omnibus; continet etiam relationem operum in Deum, quibus præmittitur.

XI. 3°. Utimur signo crucis contra tentationes, & infestationes dæmonum; pertimescit enim diabolus & fugit crucem, in quâ victus est. Ita S. Antonius.

XII. 4°. Crucis signum adhibemus circa res temporales, eis benedicendo, vel mala ab eis avertendo; sic benedicimus cibos, vestes, domos, &c. S. Benedictus signo crucis confregit poculum venenatum; S. Rochus signaculo crucis pestiferos sanavit: exempla virtutis & efficaciæ signi crucis reperies in Hazart, Turlot, Marchant & concionatoribus, S. Greg. lib. 3 Dial. c. 7. tit. 2.

Ex his innotescit, quam salubriter utamur hoc sanctæ crucis signo frequenter per diem, & ante omnia opera.

A quo tempore invaluit usus signi crucis?

XIII. R. A tempore Apostolorum, & ipsius Christi, ait Catechismus Mechl.

Tertullianus, Scriptor vetustissimus circa finem sæculi secundi hæc habet, lib. de Corona Militis c. 3. page 342. "Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quàcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus."

XIV. S. Hieron. ad Eustoch. "Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem."

XV. Plura similia testimonia ex SS. PP. August. Chrys. Greg. &c. reperies producta à P. Hazart. Catech. lect. 4. Turlot Catech. lect. 4. & 5. ita ut insana sit Calvinistarum temeritas abrogantium usum signi S. Crucis. XVI. In V. L figura signaculi sanctæ Crucis invenitur Ezech. 9. ubi prohibentur occidi, quorum frontes signatæ erant signo Thau, sive T. quod crucem designat.

XVII. Obj. Crux attulit Christo ignominiam & dolorem; ergo crucis signum potiùs est abominandum quam venerandum aut honorandum; quia filius non honorat patibulum, in quo pater suspensus est.

XVIII. R. Nego cons. quia crux ejusque signum à nobis non honorantur, inquantùm à crucifixoribus crux adhibita fuit ad ignominiam, sed inquantùm à Christo crux voluntariè assumpta est ut instrumentum Redemptionis nostræ, & signum triumphi sui & victoriæ super peccatum & diabolum.

Ad prob. dico, disparitatem esse, quòd patibulum non afferat patri triumphum, nec victoriam nec honorem.

Quare veneramur omnia signa crucis ex quacumque materia confecta, non sic omnes clavos?

XIX. R. Quia signum crucis ubique repræsentat passionem & victoriam Christi Domini, non sic omnes clavi.

N. 180. DE VITIIS OPPOSITIS

VIRTUTI RELIGIONIS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 92.

I. *Duo vitia opposita, superstitio per excessum, irreligiositas per defectum.* II. *Vitia reliqua.*

I. QUÆ vitia opponuntur virtuti Religionis ?

R. Cùm Religio sit virtus moralis consistens in medio, generaliter ei opponuntur duo vitia, nempe "irreligiositas" secundùm defectum, & "superstitio" secundùm excessum.

Obj. Deus non potest nimis coli, quia "major est omni laude." Eccl. 43. v. 33. ergo non datur vitium per excessum in cultu Dei.

R. Distinguo cons. ergo non datur excessus in formali cultu Dei, concedo totum : ergo non datur excessus in cultu materiali, vel in modo, sive in quantitate proportionis, ut loquitur S. Th. neg. cons.

II. Vitium superstitionis sub se continet alia plura vitia, idololatriam, divinationem, sortilegium, observationem vanam, magiam, maleficium, & cultum Dei incongruum & perniciosum, de quibus in sequentibus.

N. 181. DE SUPERSTITIONE.

I. *Definitio.* II. *Division.* III. *Cultus perniciosus continet peccatum mortale.* IV. *Reliquiæ debent approbari ab episcopo.* V. *Cultus superfluus est veniale peccatum.* VI. *Rubricæ Ecclesiæ non sunt superstitiosæ.* VII. *Subdivisio cultûs falsi Numinis.*

QUID est superstitio ?

I. R. Est vitium, quod exhibet cultum divinum creaturæ seu Diis falsis, vel Deo vero, sed modo incongruo : hinc

II. Dividitur in "superstitionem cultûs falsi Numinis," & in "superstitionem incongrui cultûs veri Dei."

Superstitio cultûs incongrui subdividitur in "superstitionem cultûs perniciosi & cultûs superflui."

III. Cultus perniciosus continet ordinariè culpam mortalem ; v. g. offerre hoc tempore sacrificia Moysaica, fingere falsa miracula ; huc indirectè referri potest temeritas exponendi falsas Reliquias ; sed hoc intellige de exposi-

tione ad publicum & solemnem cultum populi, non verò de privato cultu vel reverentia; vel dum solùm per modum ornatûs collocantur in pyramide.

IV. Notandum, Reliquias, licèt Romæ sint approbatæ, exponi non posse publicæ venerationi, nisi cum consensu & approbatione Episcopi istius Diœcesis.

V. Cultus superfluus veri Dei non nisi culpam venialem constituit, soletque committi circa numerum, colorem, situm, tempus, &c. v. g. si quis velit facere orationes numero pares, quasi is numerus magis foret religiosus.

VI. An igitur Rubricæ Ecclesiæ incidunt in hoc vitium, præscribendo in officiis divinis quemdam colorem, situm, &c.?

R. Neg. quia præscribuntur ad piam quamdam significationem, vel ad decorem cultûs Dei: sic piè admodum recitantur quinque Orationes Dominicæ ad recolenda pio affectu 5 Christi vulnera; sic rectè pro Martyribus adhibetur color ruber sive sanguineus.

VII. Superstitio "Cultûs falsi Numinis" subdividitur à S. Th. 2. 2. q. 92. art 2. in "idololatriam, divinationem, "& vanam observationem:" aliqui adjungunt quartum membrum divisionis, scilicet "magiam;" sed eam S. Thom. q. 96. art 2 comprehendit sub superstitione vanæ observationis. Sub præfatis membris variæ species particulares continentur.

N. 182. DE IDOLOLATRIA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 94.

I. *Definit.* II. *Est peccatum mortale, nec datur parvitas materiæ.* III. *Idololatria simulata.* IV. *Quomodo excusetur Naaman Syrus.*

QUID est idololatria?

I. R. Est cultus latriæ exhibitus idolo vel creaturæ.

Idolum vocatur simulacrum seu imago Dei falsi.

Quantum peccatum est idololatria?

II. R. Est peccatum mortale, ita ut in ea non detur veniale ex parvitate materiæ: continet enim formaliter crimen læsæ Majestatis Divinæ: solet etiam ut notat S. Th. præsupponere infidelitatem, & includere blasphemiam, quæ committitur verbis vel signis significativis.

Idololatriæ nomen metaphoricè accipitur ad Eph. 5. ubi avaritia vocatur idolorum servitus.

III. An idololatria ficta seu simulata est peccatum, dum quis v. g. ex metu adorat idolum, retinens interiùs fidem veri Dei.

R. Affirm. est enim perniciosa falsitas, dicit S. Th. & S. Aug. lib. 6. de civ. Dei damnavit simile vitium in Seneca.

Unde & S. Congregatio de propag. fide judicavit anno 1645. Sinensibus Christianis nullatenus licere externa adorationis signa exhibere idolo, quantumvis intentio dirigeretur ad crucem sub veste latentem.

IV. Quomodo possit à peccato excusari Naaman Syrus Regi, idola adoranti, exhibens externa genuflexionis obsequia, explicatur in tractatu de Fide; nimirum, quòd illa non continerent nisi civile & temporale aliquod Regis obsequium absque cooperatione vel consensu in idololatriam.

Existimat S. Th. 2. 2. q. 94. a. 4. ad 2. abominabile idololatriæ crimen ante diluvium non fuisse commissum propter recentem memoriam creationis mundi, sed illam adinventam esse à Nemroth vel à Nino.

N. 183. DE DIVINATIONE SUPERSTITIOSA.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95.

I. *Definitio.* II. *Triplex via cognoscendi aliquid.* III. *Ratio fundamentalis.* IV. *Christus interrogav. Dæmonem per modum imperii.* V. *Objectio.* VI. *In quo sit malitia Divinat.* VII. *Dæmon plurima novit.*

QUID est divinatio superstitiosa?

I. R. Est indebita notionis rerum occultarum inquisitio vel enunciatio ex dæmonis disciplina vel adjutorio. Qui autem ex illa dæmonis disciplina, occulta pandit, vocatur divinus, vel ariolus.

II. Prænotandum, triplicem esse viam, quâ homines pervenire possunt in notitiam occultorum, 1. per revelationem Dei, 2. per media naturalia, 3. per recursum ad diabolum: hinc

III. Bene notandum, rationem omnium hic dicendorum inniti huic fundamento, quòd homo, si inquirat pervenire in notitiam occultorum aliter, quàm per revelationem divinam, vel per media naturalia & humana, censeatur eam notitiam exquirere à dæmone, cùm non detur alia causa, à qua notitia illa expectari possit, Deut. 18. v. 10. "Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus."

Exstant contra hoc vitium multæ leges & in jure canonico & civili.

IV. Obj. Christus Marci 5. quæsivit à dæmone: "quod tibi nomen est?" ergo licet aliqua inquirere à dæmone.

R. Christus id fecit per modum imperii, quali modo & exorcistæ aliquando utuntur, non dicendo nec se subjiciendo regulis dæmonis.

V. Obj. Est quandoque utile, & nulli nocivum scire aliqua occulta, v. g. ubinam lateat thesaurus; ergo licitum est illud à dæmone quærere.

R. Nego cons. quia modus sciendi est illicitus propter communicationem cum dæmone capitali hoste Dei.

VI. Observa, quòd malitia divinationis præcipuè in eo consistat, quòd homo dæmoni, affectanti similitudinem Dei, in divinationis usu communicet, & se ei subjiciat discens ab eodem occulta.

VII. Hinc non evaditur peccatum divinationis superstitiosæ, licèt dæmon consulatur de iis, quæ naturaliter scire potest; plurima autem cognoscere potest dæmon, quæ excedunt scientiam naturalem hominum, ut latiùs exponitur cum S. Th. 1. p. q. 57. art. 3.

N. 184. DE DIVISIONIBUS ET SPECIEBUS DIVINATIONIS.

S. Thom. 2. 2. *art.* 95.

I. *Division.* II. *Casus particulares.* III. *Usus Virgulæ divinatoriæ.* IV. *Consulentes Ægyptios peccant.* V. *Species divinationis.* IV. *Excusantur à superstitione Joseph.* VII. *Famulus Abrahæ, Jonath. Gedeon.*

QUOMODO dividitur divinatio superstitiosa?

I. R. In eam, quæ est cum expresso, & in eam, quæ est cum pacto implicito cum dæmone. Item in eam, quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, & quæ fit cum tacita ejus invocatione, eo ipso quo adhibentur vana signa, tunc enim dæmon immiscere se solet. Utraque divinatio est ex genere suo peccatum mortale.

II. Wiggers tamen excusat à superstitione eum, qui signa ejusmodi vana adhiberet, non tanquam media utilia ad acquirendam cognitionem, sed merè materialiter, ut experiatur, quis sit effectus naturalis sine cooperatione dæmonis: verùm qui illa signa vana adhiberet tanquam utilia secundùm experientiam, non evaderet superstitionis labem, quantumvis expressè detestaretur pactum cum dæmone.

III. Usus virgulæ divinatoriæ non satis probatur esse

purus à superstitionis macula, cùm plures circumstantiæ observandæ videantur esse vanæ ad tales effectus.

IV. Qui consulunt Ægyptios, erroneè hoc nomine in hac patria nuncupatos, peccant mortaliter, quamvis eisdem non credant, quia consentiunt eorum peccato.

Quæ sunt species divinationis superstitiosæ?

V. R. Enumerantur variæ juxta varias materias vel modos quibus dæmon consulitur vel respondet: nimirum necromantia, præstigium, pythonismus, oraculum, astrologia judiciaria, augurium, auspicium, omen, chiromantia, geomantia, somniorum observatio, fatum, sortilegium, &c. qui termini exponuntur à S. Thom. 2. 2. quæst. 95. a. 3. & à Polman in Brev. Theol. hæ species non omnes differunt specie morali sive malitiâ formali, sed aliquæ solùm materialiter.

An Patriarcha Joseph excusari potest ab his peccatis quandoquidem ipse de se dicat Gen. 44. "An ignoratis, quòd non sit similis meî in augurandi scientia?

VI. R. Affir. Verba enim ejus exponi possunt cum S. Th. q. 95. a. 7. ad 1. quòd locutus sit secundùm opinionem vulgi, vel amphibologicè, non asserendo sed interrogando: secundò dici potest, quòd vox "augurandi" accipiatur in significatione bona, pro pronuntiatione ex revelatione divina, quo modo aperuerat mysteria somniorum Pharaonis.

VII. Similiter per revelationem divinam à superstitione excusantur famulus Abrahæ Gen. 24. v. 15. & Jonathas 1. Reg. 14. v. 10. & Gedeon Judic. 7. v. 14. Non est necesse excusare nautas Prophetæ Jonæ. 1. v. 7. nec Accaronitas 1. Reg. 6. v. 9. nam Deus potuit uti peccato eorum in bonum.

N. 185. DE ASTROLOGIA.

S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5.

I. *Definitio.* II. *Divisio.* III. *Astronomia est licita.* IV. *Astrolog. Judiciaria.* V. *Augurium.*

QUID est Astrologia?

I. R. Est consideratio astrorum, ex qua enuntiantur occulta.

II. Dividitur astrologia in "naturalem & superstiosam" seu "judiciariam."

III. "Astrologia naturalis," quæ vocatur "astronomia," licita est, quia cognitio, quæ quæritur, innititur naturalibus

causis & effectibus; ita prænunciantur eclipses solis & lunæ; item pluvia apparente iride, mutatio auræ in novilunio, &c. quia frequenter & naturaliter sic eveniunt.

Hic tamen peccari potest, dum majori, quàm oportet certitudine eventus similes prænunciantur, in quo sæpiùs excedunt calendarii (vulgò Almanach.) Verumtamen hoc casu peccatum illud communiter pertinet solùm ad genus mendacii contra virtutem veritatis, nisi fortè superstitiosa credulitas excitaretur in animis legentium.

IV. Astrologia judiciaria omni jure prohibita est, sicut & libri de ea tractantes specialiter prohibiti sunt Reg. 9. Ind. Conc. Trid. committitur autem, dum ex signis cœli vel astris, aut ex eorum motu vel constellatione in nativitate hominis præsagiuntur contingentia, quæ pendent ex hominis plena libertate, vel ab eventu merè fortuito; v. g. si ex eis prænuncientur dies mortis, vitæ cursus, salus, honores, inimicitiæ, prospera, carceres, &c. Vide Bullam Sixti V. anno 1585.

V. Augurium vel auspicium committitur, dum ex cantu, clamore, volatu animalium pronunciantur occulta non connexa, v. g. faustum vel infaustum iter, author homicidii, &c.

Observat tamen S. Thom. quæst. 95. art. 7. ex volatu vel cantu animalium posse prædici pluvias, serenitatem, similia naturalia, quia citiùs præsentiunt mutationem aëris, quàm homines.

N. 186. DE SOMNIORUM SUPERSTITIONE.

S. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 6.

I. *Superstitio somniorum quomodo committatur.* II. *Observatio somniorum natural.* III. *Quatuor causæ somnior.* IV. *Quomodo Diabolus vera pronuntiet.*

SOMNIUM est imaginaria apprehensio tempore somni.

I. Committitur superstitio in somniorum observatione, dum ex illis juxta traditiones & regulas vanas inquiritur cognitio alicujus occulti; v. g. prædicuntur casus fortuiti vel actiones libertatis aliorum hominum; sicut dum quis somniavit, sibi dentem excidere, prædicitur moriturus amicus ejus. Simili modo circa somnia committitur superstitio vanæ observantiæ. Hinc Deus præcipit Lev. 21. "Non observabitis somnia."

Dum somnia à Deo immituntur, prout accidit Jacob Gen. 31. Joseph. Gen. 37. Pharaoni Gen. 40. à Deo etiam eorum significatio quærenda est.

II. Observat S. Thom. quæst. 95. art. 6. non pertinere ad superstitionem, quòd medici ex somnis quandoque colligant quasdam corporales dispositiones; ita si homo somniet, se esse in aqua vel nive, colligunt in illo abundare frigidos humores; si somniet se esse in igne, judicant flavam bilem esse motam: ita ex atra bile tristia somnia causantur.

III. Quatuor à S. Thom. ibidem explicantur somniorum causæ, 1. interni humores & dispositiones, 2. cogitationes & phantasiæ præcedentes, 3. quædam externa corporalia, ut frigus, calor, &c. 4. Deus, Angelus & Diabolus, movendo humores, spiritus animales, phantasiam vel objecta.

Undenam provenit, quòd ea, quæ per superstitiosum medium inquiruntur, frequenter sint vera?

IV. Negat S. Aug. sed aliquando verum evenit, quia fortè alterutrum necessariò est verum: & quando verum evenit divulgatur; dum falsum est, silentio præteritur & ignoratur à populo.

Deinde aliquando vera pronunciantur, quia diabolus potuit ea naturaliter prænoscere, vel etiam diabolus eadem prædicta fieri procurat permittente Deo.

N. 187. DE SORTIUM USU.

S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *a.* 8.

I. *Sortes divisor.* II. *Prohibentur circa Beneficia Ecclesiastica.* III. *Sortes consultoriæ.* IV. *Sortilegium.*

TRIPLICIS generis sortes distinguuntur, "divisoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ."

I. Sortes "divisoriæ" sunt, quibus quæritur, quid cui sit exhibendum: licitæ sunt in plerisque rebus temporalibus, v. g. in hæreditate dividenda, & vim habent ex contractu vel pacto præcedenti.

II. Prohibentur tamen sortes hæ divisioriæ Jure Canonico penitus in omnibus electionibus vel collationibus Beneficiorum vel officiorum Ecclesiasticorum; sicut & in litibus dirimendis super eisdem privatâ authoritate cap. "Ecclesia" de sortilegiis. Et cap. 41. "quia propter" de electione.

III. Sortes "consultoriæ," dum inquiritur à Deo, quid agere oporteat, innituntur Providentiæ Divinæ, & sunt licitæ ex justa causa: sic ex instinctu Dei Mathias per sortem annumeratus est Apostolis Act. 1. Achan repertus est, Josue 7. Quispiam in bivio periculoso secundùm sortem eliget unam viam.

Si sine sufficienti causa adhibeantur sortes, committitur peccatum tentationis Dei.

IV. "Sortes divinatoriæ," sive "sortilegium" committitur, quando notitia rei occultæ vel eventus futuri quæritur ex nostra actione seriò positâ, nihil illuc pertinente: v. g. dum inquiritur per jactum aleæ, vel ex figuris plumbi in aquam projecti, vel ex apertione libri, quis futurus sit Consul, quis furtum patraverit, &c. Cap. "Non licet" caus. 26. q. 5.

N. 188. DE VANIS OBSERVATIONIBUS.

S. Thom. 2. 2. q. 96.

I. *Observantia eventuum.*

Sanctus Thom. tres species vanarum observationum assignat, scilicet "artem notoriam, observantiam sanitatum, & observantiam eventuum."

I. Observantia eventuum est, quâ fortuitum aliquid obveniens accipitur tanquam signum alicujus prosperi vel adversi eventûs. Hujusmodi exempla adducit S. Thom. a. 3. arg. "sed contra:" si junctim ambulantibus amicis lapis aut canis intervenerit; domum redire si exiens pedem offenderit; & similium millia, ait S. Aug. huc spectat observatio dierum faustorum vel infaustorum, ex qua v. g. aliqui opus quoddam die lunæ incipere nolunt.

Hoc vitium est ex genere suo peccatum mortale, juxta id Ps. 39. v. 7. "Odisti observantes vanitates supervacuè:" sæpe tamen continget esse veniale ex ignorantia aut simplicitate.

Similiter Suar. & W. à mortali excusant eos, qui somniis & vanis signis non credunt, sed tamen propterea à quibusdam abstinent, ut sint liberi à timore & perturbatione.

N. 189. DE OBSERVANTIA SANITATUM.

S. Thom. 2. 2. q. 96. a. 2.

I. *Definitio.* II. *Dæmon adhibet res sacras.* III. *Cæremoniæ ad S. Huberti non sunt superstit.* IV. *Usus pulveris sympathetici.*

QUID est observantia sanitatum?

I. R. Est quorumdam verborum, characterum, figurarum,

numismatum, similiumve signorum impertinentium usus ad curandos morbos, ad avertendas læsiones, &c.

II. Solet dæmon etiam res sacras & sancta verba eligere ad usum signorum superstitiosorum, ut securiùs decipiat & res sacræ profanentur; similis circumfertur oratio dicta Caroli Imperatoris, item alia sub nomine S. Birgittæ.

Quapropter simpliciores examinandi sunt, dum asserunt se mira posse efficere vel sanare per verba, orationes vel signa, ne fortè ignoranter utantur arte magicâ vel ope dæmonis: ita prudenter mulier quædam à suo Pastore exposcebat: Domine Pastor, homines dicunt me esse sagam, estne hoc verum? inquiri enim debet, quæ mira agere possit.

Docet S. Th. a. 4, posse quandoque sine superstitione divina verba adhiberi v. g. Evangelium S. Joannis; sed cavendum, ne concurrant vanæ circumstantiæ ex parte temporis, vel modi scribendi, gestandi, ligandi, &c.

III. Wiggers de superstit. cap. 6, dub. 15. satis solide demonstrare conatur cæremonias ad S. Huberti in Ardenna adhiberi solitas, esse exemptas à superstitione.

An superstitiosus est usus pulveris sympathetici ad sananda vulnera?

IV. R. Bonacina ad 1. præc. Dec. disp. 3. q. 5. p. 4. n. 17, affirmat: sed Boudart Tract. 5. in Dec. §. 17. illum usum tueri conatur, tanquam operantem naturaliter per effluvia subtilissima emissa ab illo pulvere in vulnera curanda.

Bonacina præfatus, sanationem quorumdam morborum per attactum personarum certæ familiæ conatur à superstitione eximere per donum gratìs datum, vel per effluvia corporis.

Similia attribuere cuicumque filio septimogenito, caret fundamento.

N. 190. DE MAGIA.

I. *Definitio.* II. *Ratio fundamentalis.* III. *Divisio* IV. *Maleficium.*

NOMEN "Magorum" apud Græcos olim Sapientes significabat, quo modo accipitur Matth. 2. "Magi ab Oriente venerunt." hinc

Magia dividitur in "naturalem, & superstitiosam."

Quid est magia superstitiosa?

I. R. Est ratio operandi miros effectus per signa ope

dæmonis: Suarez sub magia collocat observantiam sanitatum, de qua numero præcedenti.

Dæmon autem æmulus Dei instituit quædam signa magica, ad imitationem Christi instituentis Sacramenta.

II. Nota iterum rationem fundamentalem omnium dicendorum inniti in eo, quòd signa magica non producant illos effectus, nec ex natura rei nec ex institutione Dei vel Ecclesiæ; ergo ex operatione dæmonis.

III. Dividitur magia superstitiosa in "magiam nocivam" seu "maleficium," quod proinde duplicem habet malitiam, & contra Religionem & contra justitiam.

IV. Maleficium subdividitur in "amatorium," quo carnales excitantur amores vel odia, & in veneficium ad inferendum morbos vel alia damna hominibus, animalibus, frugibus, &c.: potest autem dæmon plurima, quæ spectant ad motum localem.

N. 191. DE SIGNIS MAGICIS ET REMEDIIS CONTRA MAGIAM.

I. *Signa magica.* II. *Dæmon potest nocere posito signo magico ab Hom.* III. *Apparationes sunt quandoque præstiogiosæ.* IV. *Animæ defunct. non apparent.*

QUID vocas signum magicum?

R. Illud, quod adhibent vel ponunt juxta pactum saltem implicitum cum dæmone, quo posito dæmon procurat effectum.

I. Signum illud aliquando consistit in verbis, & vocatur incantatio; aliquando consistit in re permanente, ut stramine, ollis, ligaminibus, claustris, &c. v. g. stramen certo modo plicatum absconditur in terra ad occidendum animalia: quamdiu illud signum straminis positi perseverat, dæmon animalibus nocet, nisi per exorcismos aut aliter impediatur.

An ergo dæmones possunt nocere quibuscumque hominibus?

II. R. Neg. nisi Deus id ipsis permittat; prout innotescit ex Historia Job. Quando tamen dæmon habet adjutorium alicujus hominis cooperantis, tunc sæpius Deus id dæmoni permittit, quia tunc genus humanum sibi ipsi nocere censetur.

An ea, quæ per artem magicam quandoque apparent sint vere talia; an verò præstigiosa aut phantastica?

III. R. Cum S. Th. 1 p. q. 114. a. 4. quandoque ea verè, quandoque præstigiosè apparere: prori modo malefici

Exod 8. adduxerunt veras ranas super terram; posteriori modo apparent transmutationes hominum in feles vel bestias; quia illæ virtute dæmonis effici nequeunt, sed fiunt per illusiones sensuum, vel per formas in aëre effictas.

IV. Similiter apparitiones mortuorum per incantationes sunt præstigiosæ; ita ut, si quis appareat, is sit dæmon, non anima defuncti. Concedimus quidem Samuëlem. 1. Reg. 28. verè apparuisse, juxta Eccl. 46, sed ex speciali Dei ordinatione ad correptionem Saulis.

Quæ sunt remedia contra magiam?

R. Fides viva & fiducia magna in Deum Ps. 90.

2. Frequens usus Sacramentorum.

3. Oratio & jejunium, signum crucis, invocatio Nominis Jesu & Sanctorum.

4. Exorcismi Ecclesiæ, usus aquæ benedictæ, adhibitio S. Reliquiarum, &c.

5. Usus medicinarum naturalium contra hujusmodi morbos vel mala.

6. Destructio legitima signi magici: v. g. comburendo stramina vel chartas, frangendo ollas, &c.

N. 192. DE DESTRUCTIONE SIGNORUM MAGICORUM.

I. *Non licet maleficium tollere per malefic.* II. *Licet signa magica destruere, &c.* III. *Licet destruere signa magica, ut nocumentum cesset.* IV. *Objectio.* V. *Destruens signum magicum destruit pactum dæmonis.* VI. *Quomodo liceat petere à malefico dissolutionem.* VII. *Objectio.* VIII. *Disparitas.*

I. AN & quomodo licet destruere signa magica maleficii?

R. 1°. Certò illicitum est, ea destruere per aliud maleficium vel per quemcumque alium actum superstitiosum, quia non licet facere mala ut veniant bona. Ad Rom. 3. v. 8.

II. R. 2°. Certò licitum est signa magica destruere ex intentione & fine, ut peccata minuantur & in odium ac detestationem pravitatis magicæ, quo modo licet idola destruere. Sed quæstio movetur,

An licet ea signa magica destruere eo solo fine, ut nocumentum cesset?

Hæc quæstio magis speculativa est quàm practica, quia destruendo facilè intendi potest finis detestationis artis diabolicæ: interim

R. Delrio, Suarez, Wiggers, Boudart aliique sustinent responsionem affirmativam, quia finis honestus est proportionatus, contra Hesselium, Estium & Sylvium. Notat etiam Delrio lib. 6. c. 2. sect. 1. q. 1. Hesselium esse primum, qui huic sententiæ contradixit; præcipuum autem Hesselii argumentum, à quo cætera dependent, est hoc sequens:

IV. Obj. Qui destruit signum magicum, ut cesset nocumentum, non expectat effectum cessationis à Deo nec ab ulla causa naturali vel humana; ergo ex pacto dæmonis eum expectat.

R. Nego antecedens; nam, destructo signo, expectatur effectus à Deo, non per miraculum, sed ex ordinaria ejus Providentia, quâ non solet permittere, ut dæmon nocumentum hominibus inferat, destructo signo magico. V. Actio autem ista destructiva est honesta ex objecto & fine: justum est enim dissolvere opera diaboli, 1. Joan. 3. v. 8: & propterea is, qui destruit signum magicum, non implet pactum dæmonis, sed potius illud destruit; & ob hanc rationem existimamus idem licere, quamvis signum magicum consisteret in quodam negativo seu privativo.

An licet à malefico petere, ut maleficium tollat?

VI. R. Licet sub conditione, ut tollat modo licito.

Si prævideatur id facturus per artem magicam, non licet petere; imò si magus quispiam sponte offerat maleficium dissolvere per artem magicam vel superstitiosam, non licet illud acceptare neque permittere.

Ratio est, quòd non liceat beneficium accipere à dæmone; quia hoc continet quamdam societatem cum dæmone & recognitionem excellentiæ ejus, tanquam benefactoris per pactum suum.

VII. Obj. Licet simpliciter petere mutuum ab usurario, & juramentum à juraturo per falsos Deos; ergo licet petere dissolutionem maleficii à malefico, saltem quando illud licito modo potest dissolvere.

VIII. R. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quòd licitum sit recipere beneficia ab hominibus etiam peccatoribus, non verò à dæmone, ob rationem præfatam: hinc S. Leo: "Dæmonum beneficia sunt nocentiora vulneribus," S. Th. 2. 2. q. 96. art. 2. ad 2.

N. 193. REGULÆ DIGNOSCENDI MALEFICIUM.

EX quibus discerni potest, utrùm malum proveniat ex maleficio, an ex alia causa?

R. Discretio illa qaandoque difficilis est: interim assignari solent hæc signa maleficii.

1. Si malum excedat causalitatem naturalem vel ordinariam rerum; v. g. si in stomacho inveniantur crines, ossa, acus, ferramenta, &c.

2. Si afflictus quasi per intervalla patiatur violentias.

3. Si experti Medici constanter judicent, malum non provenire ex causa naturali: si medicinæ aliaque media naturalia nullum effectum producant.

4. Si media spiritualia & exorcismi conspiciantur specialiter prodesse; aut è contra, si illis adhibitis videatur malum ob illa augeri; quo casu non cessandum, sed fortiùs instandum omnibus mediis spiritualibus.

Plura de his reperies apud Malderum Tract. 10. dub. 15. Neesen Tract. 9. de dæmoniacis.

N. 194. DE VITIO IRRELIGIOSITATIS.

S. Tho. 2. 2. *q.* 97.

I. *Definitio.* II. *Tentatio Dei.* III. *Tentatio probationis.* IV. *Tentatio inductionis.* V. *Variæ acceptationes vocis* tentatio.

QUID est irreligiositas?

I. R. Est irreverentia vel neglectus divini cultûs, rerumque sacrarum: & opponitur virtuti Religionis per defectum.

Præcipuæ species illius sunt "tentatio Dei, perfidia seu violatio voti, perjurium, blasphemia, sacrilegium & simonia."

De perfidia egimus in Tract. de voto n. 95, de perjurio in Tract de juramento n. 190. de blasphemia agitur cum S. Th. in Tract, de fide, quia blasphemia etiam confessioni fidei potest adversari: de reliquis hìc agendum.

Quid est "Tentatio Dei," irreligiositatis vitium?

II. R. Est temeraria expectatio extraordinarii effectûs à Deo, ad capiendum de Deo experimentum, v. g. quis petit à Deo fructus ex agro, quem non colit nec seminat; quis vult jejunare 40 diebus & noctibus, quia Christus sic jejunavit: de hac intelligitur illud Matth. 4. "Non tentabis Dominum Deum tuum." Est hæc tentatio Dei ex genere suo peccatum mortale.

Dicitur "temeraria expectatio"; quia ex justa causa licet

petere a Deo extraordinarium effectum, quo modo Sanct i impetrarunt miracula.

III. In Scriptura S frequenter vox tentatio aliter accipitur, pro "tentatione experimenti seu probationis;" item pro IV. "tentatione inductionis vel seductionis: & sic conciliantur hæc loca: V. Gen. 22. v. 1. "Deus tentavit Abraham," scilicet tentatione probationis; & Jac. 1. v. 13. "Deus— neminem tentat" tentatione seductionis ad peccatum: insuper accipitur pro tribulationibus & afflictionibus, Jac. 1. v. 2. "Omne gaudium existimate, cùm in tentationes varias incideritis."

I. 195. DE SACRILEGIO.

S. Tho. 2. 2. *q.* 99.

I. *Definitio* II. *Divisio. Tres species sacrilegii.* III. *Sacrileg. personal.* IV. *Sacrileg. locale.* V. *Circumstantia loci sacri non videtur peccatis internis addere malitiam saltem mortalem.* VI. *Peccatis externis addit malitiam saltem venialem juxta Suarez.* VII. *Aliquando mortalem, quando notabiliter repugnat finibus.* VIII. *Furtum Rei non sacræ in loco sacro.* IX. *Sacrileg. reale.* X. *Circumstantia diei festi peccato mortali addit culpam venialem & in 2. casibus mortalem.* XI. *Sacrileg. est ex genere suo peccatum mortale.*

QUID est sacrilegium?

I. Est violatio rei sacræ. Ita S. Th. art. 1. res autem illa sacra est triplex, nimirum persona sacra, locus sacer, & alia quæcumque res sacra; & secundùm ea,

II. Sacrilegium dividitur in "personale, locale, & reale:" quæ à S. Th. art. 3. vocantur tres sacrilegii species.

III. Ad sacrilegium personale pertinet fornicatio Sacerdotis, percussio violenta clerici, &c.

An sacrilegium committit persona voto simplici castitatis obstricta, si simplex furtum perpetret?

R. Negativè: quia furtum non contrariatur qualitati sacræ.

Hinc S. Thom. art. 3. ad 3. ponit hanc gnomam: illud solum peccatum sacræ personæ est sacrilegium, quod est directè contra ejus sanctitatem; putà si Virgo Deo dicata fornicetur. Conclude vicissim, illud solum peccatum contra personam sacram esse sacrilegium, quod adversatur illi personæ quatenùs sacræ.

Ob præfatam S. Th. locutionem admitti potest cum Suarez, quòd violatio voti appellari possit sacrilegium latè sumptum, quamvis res promissa non sit sacra, quia equidem votum ipsum, quod violatur, est sacrum.

IV. Ad sacrilegium locale pertinet effractio vel spoliatio Templorum, effusio sanguinis vel seminis humani in Ecclesia, confabulationes & lusus in ea, &c.

V. An quodcumque peccatum, in Ecclesia commissum, contrahit malitiam sacrilegii ex circumstantia loci sacri?

R. Communis responsio dicit, quòd peccata merè interna non contrahant inde malitiam saltem mortalem; quia peccata interna non ita ducunt ordinem ad locum, sicut externa, nisi fortè ratione objecti adsit voluntas perpetrandi illa in loco sacro.

VI. Peccata externa contrahunt inde malitiam saltem venialem, prout Suarez docet. tom. 1. de Rel. lib. 3. cap. 7. num. 6: quia magis rectæ rationi repugnat, peccatum fieri in loco sacro, quàm in alio.

Circa sacrilegium locale carnale plura examinabuntur infra Num. 291.

An circumstantia loci quandoque addit actui malitiam mortalem sacrilegii?

VII. R. Affirm. quando nimirum actus ille notabiliter repugnat finibus, ad quos locus sacer destinatus est; primò si graviter repugnet castitati, v. g. pollutio in Templo. 2°. Si adversetur mansuetudini, ut homicidium in Templo. 3°. Si enormiter opponatur modestiæ, uti comœdiarum representatio. 4°. Si violet immunitatem vel azylum loci, ut spoliatio Templi, &c.

An furtum grave rei non sacræ in loco sacro contrahat ex ea circumstantia malitiam mortalem sacrilegii?

VIII. Affirmat Suarez lib. 3. cap. 5. ob c. *Quisquis* causâ 17. q. 4. verùm non declaratur ibidem esse sacrilegium mortale: propterea alii rectè distinguunt: nimirum esse circumstantiam mortalem, quando illa res asservatur in Templo tanquam sub ejusdem azylo: secus verò non: puta si quis in Templo cleperet bursam alterius.

IX. Ad sacrilegium reale pertinent furtum rei sacræ, indigna susceptio vel administratio Sacramentorum, abusus sententiarum vel verborum Scripturæ S. ad facetias, &c.

X. An omne peccatnm mortale die Festo commissum contrahit malitiam sacrilegii ex illa circumstantia temporis?

R. Contrahit inde culpam venialem; in duobus autem casibus etiam mortalem: nimirum dum peccatum mortale protrahitur per notabilem diei partem, v. g. si media dies in-

sumatur in consortiis libidinosis: vel dum solemnitas est valdè magna habens specialem repugnantiam cum enormitate peccati, v. g. quis die Paschatis inebriatur. De his latiùs agitur in 3. præceptum Decalogi.

Quantum peccatum est sacrilegium?

XI. R. Est ex genere suo peccatum mortale; datur tamen in illo veniale ex levitate materiæ; tantò autem sacrilegium est gravius peccatum, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. S. Th. 2. 2. q. 99. art. 3:

N. 196. DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

I. *Definitio.* II. *Divisio.* III. *Immunitas personalis.* IV. *Immunitas realis.* V. *Immunitas diminuta.* VI. *De statuto amortizationis.*

QUID est immunitas Ecclesiastica?

I. R. Est Ecclesiasticarum Personarum, rerum, & locorum privilegium vel exemptio à potestate Laïcorum.

II. Hinc dividitur immunitas Ecclesiastica in "personalem, realem & localem:" de locali agimus infra N. 198.

Quæ privilegia continet immunitas personalis?

III. R. Continet privilegium Canonis: "Si quis suadente diabolo Caus. 26. q. 4.

2°. Continet privilegium fori, quo scilicet Clericus eximitur à jurisdictione, à potestate & Judice sæculari: sed in actione feudali & reali hodiedum cogitur respondere coram Judice sæculari.

3°. Continet exemptionem ab oneribus personalibus, v. g. hospitandi milites, agendi vigilias c.

IV. Immunitas realis est, quâ fundi, agri vel domus, &c. Ecclesiasticorum eximuntur ab oneribus aut tributis laïcæ impositionis, v. g. à contributione nummi vigesimi, &c.

V. Utraque hæc immunitas piè admodum observata olim, his temporibus penè extincta gemit: etenim ante 80 annos agri Ecclesiastici immunes erant nummo vigesimo & tributis regiis: sed & hodie respectu Cleri Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis immunitas aliquò usque servatur, sed fortè magis ex eo, quòd Clerus sibi illam ex titulo oneroso debitam vindicet.

Item competentia Pastoralis libera esse declaratur a contributionibus per decreta regia de annis 1685 & 1687.

De juribus immunitatis Ecclesiasticæ legantur Canones sub titulo de immunitate; & Conc. Trid. ss. 25. cap. 20. de Reform. & veteres Canonistæ.

VI. Statutum Regium amortizationis de anno 1520, quo vetatur, ne Ecclesia, vel alia loca pia, sivè, ut aiunt, manus mortua, acquirant bona immobilia, impetit La Croix lib. 4. num. 1389. argumentis à ratione & authoritate desumptis.

Sed è contra P. Peckius in Tract. de Amort. edictum illud propugnare conatur, ex eo maximè, quòd consensus Procerum Ecclesiæ postea accesserit; quod factum examini non subjicio; interim hoc tempore, quo Rex recipit tributum ex bonis amortizatis æquè ac aliis, Præsules Ecclesiæ possent exponere Regi, ut cessante fine legis cessaret lex sive statutum præfatum.

Interea practicè plus donabit vel legabit Ecclesiæ potiùs pretium rei immobilis, quàm ipsam rem.

Propositiones quatuor Cleri Gallicani anni 1682 prætermittimus hìc discutere: sufficit nobis, quòd Summi Pontifices eis contradixerint. Desuper legi potest C. Sfondrati in opere, cui titulus "Gallia vindicata."

N. 197. DE CLERICIS DEFRAUDANTIBUS TRIBUTA REGIA.

CUM immunitas Ecclesiastica juxta Conc. Trid. Sess. 25. cap. 20. sit Dei ordinatione & Canonicis Sanctionibus constituta, olimque consensu Principum confirmata fuerit, quæritur, "an Clerici, præsertim Pastores & Beneficiati, obligentur in conscientia solvere contributiones sibi à laïca potestate impositas?"

R. Obligantur, si Summi Pontificis vel Episcopi cum Clero consensus accesserit. Vide c. 4. "Non minus lib. 3. tit. 49. de Immun. Eccl." Indecorum tamen est quòd taxa & exactio fiat per Laïcos.

An igitur præfatus Clerus sæcularis non obligatur in Brabantia, ubi consensus talis ab eis ne quidem petitur?

R. Observandum, quòd in Brabantia Abbates conveniant in generali Ordinum congressu veluti primum Statuum Brabantiæ Membrum, eorumque consensus petatur super contributionibus; sed hic consensus est solùm pro suis monasteriis, quæ etiam specialem quotam solvunt; verùm pro Clero sæculari requiritur juxta cap. præfatum consensus Episcopi & Cleri, qui tamen, ut tales, in Statibus Brabantiæ consessum non habent nec suffragium.

Verumtamen, quamvis ipsorum in Brabantia consensus expressus non petatur, videntur tacitè consentire in contributiones, non sordidas, admissas à Membro Statuum Ecclesiastico, quasi per confirmationem cum eodem Membro;

& inquantùm per modum compensationis, dando eas contributiones, liberantur ab exactione donorum gratuitorum, quibus gravari solet Clerus in locis, ubi immunitas adhuc salva existit.

Quapropter Ecclesiasticos, qui titulo immunitatis tributa & vectigalia quæcumque defraudant, non facilè ego exemero à peccatis: neque eos liberat Steyaertius Vicarius Buscod. ne etiam scandalizentur Laïci: quamobrem & Christus Dominus legitur solvisse tributum, Matth. 17. nihilominus ibidem Christus assignavit rationes, ob quas deceat Ecclesiasticos esse immunes.

N. 198. DE IMMUNITATE LOCALI.

I. *Definitio.* II. *Favores sive effectus Azyli.* III. *Constitutio Greg. XIV. authoritate Regiâ impressa, & inserta inter Brab. Ducum, & Belgii princip. Edicta.* IV. *Loca Azyli.* V. *Qui gaudere possint Azylo.* VI. *Crimina excepta.* VII. *Crimina commissa in ipsa Ecclesia.* VIII. *Quandonam Episcopus dare potest licentiam extrahendi reum è loco Azyli.* IX. *Quid si reus extrahatur sine licentia Episc.* X. *Pœnæ immunitatis violatæ.*

QUID est immunitas localis?

I. R. Est privilegium locis sacris concessum, quo ibi existentes tuti sunt à laïca potestate.

II. Nimirum, 1. confugientes ad locum sacrum, non possunt inde inviti extrahi à potestate laïca: si liberè sequantur & exeant, nihil agitur contra immunitatem loci; prodest autem hæc immunitas in causis etiam civilibus.

2. Non possunt ibidem ligari, vel vinculis adstringi.

3. Nec possunt ibi spoliari rebus, quas secum attulerunt; attamen rebus extra locum sacrum existentibus spoliari possunt.

4. Non potest eis cibus necessarius subtrahi.

5. Denique non possunt damnari ad pœnas corporales.

III. Immunitas hæc præfigurata per civitates refugii in V. L., incepit à Constantini tempore cum ipse Ecclesiarum ædificatione publicâ, deinde per Canones determinata, per jus civile confirmata, novissimè per constitutionem Greg. XIV. quæ incipit "cùm aliàs," datum anno 1591, 24 Maii, restaurata est, & vetera jura ad tenorem & nornam ejusdem constitutionis congruâ moderatione redacta sunt.

Quæ sunt illa loca sacra, quibus competit hoc immunitatis privilegium?

IV. R. Juxta memoratam constitutionem sunt Ecclesiæ, Sacella, Monasteria, Domus regulares, &c. sub quibus comprehenduntur cœmeterium, turris & parietes Ecclesiæ, palatium Episcopi, Seminarium Theologorum: ita ut locus sacer hìc largè accipiatur, quia favores sunt ampliandi.

Quinam possunt hâc immunitate gaudere?

V. R. Omnes fideles baptizati; item infideles & Judæi, saltem dum petunt Baptismum non simulatè: quia privilegium hoc concessum est non tam personis quàm ipsis locis sacris. An verò Hæretici eâ gaudeant, majus est dubium: certò non gaudent eâ in crimine Hæresis.

Quæ sunt crimina excepta à privilegio immunitatis præfatæ?

VI. R. Sunt octo, quorum, qui rei sunt, privantur privilegio; exprimuntur autem in prælaudata Constitutione his terminis:

1. Publici latrones:
2. Viarum grassatores:
3. Agrorum depopulatores:
4. Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur:
5. Qui proditoriè proximum suum occiderunt:
6. Assassini, sive qui pecuniâ conducti incautos occidunt:
7. Rei Hæresis:
8. Rei læsæ Majestatis in personam Principis.

Illis criminibus exceptis adjunxit Benedictus XIII. Constitut. "ex quo Divina," &c. septem alia excepta à privilegio azyli, scilicet:

1. Extractionem violentam ex loco azyli:
2. Homicidium mediatum & deliberatum:
3. Falsificationem Litterarum Apostolicarum:
4. Furtum commissum in Montibus Pietatis à Ministris eorum:
5. Conflantes, adulterantes, vel tondentes quascumque Monetas aureas, vel argenteas:
6. Illos, qui sub nomine Curiæ in aliena domo perpetrant rapinas cum homicidio vel mutilatione:
7. Denique pro ditione Romana homicidia quædam etiam in rixa commissa, &c.

Benedictus XIV. Institut. XLI. § 6 & 7. p. 281. explicationem prædictarum Constitutionum texuit.

Insuper Edicta Regia ab immunitate loci excludunt decoctores bonorum, incendiarios, vagabundos, prædones, sacrilegos, seditiosos, &c. ita De Cocq pag. 544 citans Edicta 1. Junii 1609. art. 1. & 1. Julii 1616.

Nuper accessit statutum Regium declarans exclusos à privilegio azyli milites transfugas & gravium excessuum militarium reos: cui assensit Clemens XII. ita tamen ut singulis annis renovari debeat.

VII. An furtum aliave crimina patrantes in Ecclesia gaudent azylo Ecclesiæ?

R. Dubium est; quia frustra auxilium legis invocat, qui impingit in legem, ita ut homicidia in Ecclesia commissa exprimantur in constitutione Greg. XIV. per modum exempli, non per modum restrictionis.

Confugiens ad locum azyli non potest expelli, nisi fortè irreverenter aut turbulenter se ibi gerat contra decentiam loci.

An cum licentia Episcopi criminosus extrahi potest è loco azyli?

VIII. R. Dist. vel commissit crimen exceptum, vel non exceptum; si posterius, Episcopus licentiam istam concedere non potest; dum tamen res est dubia vel desuper inquiritur, pro eo tempore, potest Episcopus, requirente Curiâ sæculari, dare licentiam extrahendi & recludendi reum in carcere Ecclesiastico, ut tollatur fugæ commoditas; &, examine facto, si crimen non sit exceptum, debet reus restitui in loco azyli: præfatam licentiam nequeunt concedere Pastores, neć Provinciales Religionum, quantumvis casus accidat in eorum Ecclesia.

Si autem crimen, quod commisit, sit exceptum ab immunitate, Episcopus licentiam illam concedere tenetur.

Quid si potestas laïca in præfato casu extraxerit criminosum absque prærequisita licentia Episcopi?

IX. R. Debet criminosus reduci ad locum priorem azyli, donec Episcopus recognitâ causâ, licentiam concedat, & tunc cum interventu Personæ Ecclesiasticæ deputatæ extrahi poterit per manum laïcam.

Quas pœnas incurrunt violatores prædictæ immunitatis?

X. R. Præter reatum sacrilegii & violatæ justitiæ, incurrunt ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici juxta decreta Greg. XIV. & Clem. VIII.

Præfata immunitas excludit actionem solius Judicis Laici, non Ecclesiastici, in causis & pœnis inferioribus morte & mutilatione, quia immunitas Ecclesiæ non militat adversùs ipsam Ecclesiæ potestatem. Vide Suarez & La Croix lib. 5. n. 1395.

Occurrentibus aliis dubiis consuli possunt Bonacina de

cens. Disp. 2. quæst. 3. puncto 16, item Prosp. Fagnanus in lib. 3, 3. Decretal. cap. "inter alia." Item Barbosa de Jure univ. lib. 2, cap. 3.

DE SIMONIA.

N. 199. DEFINITIO ET MALITIA SIMONIÆ.

S. Thom. 2. 2. quæst. 100.

I. *Definitio.* II. *Explicatur definitio.* III. *Quid sit spirituale.* IV. *Peccatum simoniæ est contra religionem.* V. *Ex genere peccatum mortale.* VI. *Nec admittitur parvitas materiæ in Simonia Juris Divini.* VII. *Objectio.*

QUID est simonia?

I. R. Est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.

Simonia sortita est nomen à Simone Mago, qui Act. 8. legitur, post Judam, primus Simoniacus in nova Lege; leguntur in V. L. vitium hoc perpetrasse Giesi & Balaäm; non Jacob, qui solùm redemit vexam juxta S. Th.; vel emit solam temporalem partem hæreditatis.

II. Dicitur in definitione: "studiosa," quia solet simonia multis palliis & industriosis artibus contegi.

Dicitur "voluntas," ut comprehendatur simonia mentalis.

"Emendi" vel "vendendi;" sufficit enim alterutrum.

Observa cum S. Th. a. 1. ad 5, quòd nomine emptionis & venditionis latè acceptæ intelligatur omnis contractus non gratuitus, sive nominatus, sive innominatus, etiam permutatio privata.

III. "Aliquid spirituale," v. g. dona Spiritûs Sancti, Sacramenta, dispensationes in votis, &c. Spirituale enim hìc dicitur, quod dicit ordinem ad Deum ut Authorem supernaturalium.

Additur: vel "spirituali annexum;" cujusmodi sunt Beneficia Ecclesiastica, & labor intrinsecus actionis sacræ.

Quale peccatum est simonia?

IV. R. Est peccatum contra virtutem Religionis sub ratione irreligiositatis. S. Th. a. 1°. demonstrat malitiam simoniæ ex triplici ratione, 1. quia res spiritualis excedit

& est supra omne pretium temporale, 2° quia non sumus Domini rerum spiritualium, 3° quia Christus præcepit Matth. 10. "Gratis accepistis, gratis date."

Quantum peccatum est simonia?

V. R. Est ex genere suo peccatum mortale.

An potest esse veniale ex parvitate materiæ?

VI. R. Admittit hoc Daelman in commutationibus rerum levioris momenti. Suarez & Sylvius non admittunt saltem in simonia juris divini, quia res spiritualis nimiùm excedit quodcumque temporale: exiguitas autem pretii non minuit contemptum.

VII. Obj. Datur parvitas materiæ in sacrilegio; ergo & in simonia.

R. Disparitas est, quòd in simonia specialiter, juxta SS. Patres, Spiritus S. censetur vendi, vel tractari instar rei temporalis.

Steyaertius ait: perinde peccant, is qui dat pro Beneficio centum, & ille qui dat mille, scilicet contra Religionem; quia neutrum pretium habet proportionem ad spirituale. Rectè addit Daelman: sed qui recipit mille, plus peccat contra justitiam; nam accipit plus contra justitiam sine titulo.

N. 200. SIMONIÆ

I. *Divisiones.* II. *Simonia mentalis.* III. *Realis.* IV. *Conventionalis purè.* V. *Conventionalis mixta.* VI. *Simonia confidentialis.* VII. *Simonia juris divini.* VIII. *Exempla simoniæ juris humani.* IX. *Simonia ficta.*

I. SIMONIA dividitur, 1°. in simoniam "Juris Divini," & in simoniam "Juris Humani" sive "Ecclesiastici."

2°. In simoniam "confidentialem & non confidentialem."

3° In simoniam "mentalem, realem & conventionalem."

II. Simonia "mentalis" in voluntate perficitur absque conventione, v. g. quispiam confert Beneficium alteri intendens eundem sic obligare ad temporalem retributionem, ita ut illa intentio non se prodat exteriùs.

III. Simonia "realis" est conventio simoniaca utrimque executioni mandata, saltem inchoativè: hæc vocatur simonia realis completa: v. g. Joannes contulit Petro Be-

neficium pro centum florenis, & Petrus modò solvit 50 florenos: sufficit enim, quòd pars pretii data fuerit; sicuti etiam sufficit, quòd pars rei spiritualis promissæ data sit.

Simonia "conventionalis" est ipsa conventio sive pactum simoniacum, necdum hactenus ex utraque porte executioni mandatum.

IV. Hæc subdividitur in "purè conventionalem" (v. g. Joannes vendidit beneficium Petro centum florenis; sed necdum Beneficium, neque aliquid de pretio datum est hactenus) & V. in "conventionalem mixtam;" quæ etiam vocatur realis imperfecta vel incompleta; v. g. Joannes contulit Beneficium, sed Petrus hucusque nihil persolvit de pretio promisso, aut è contra.

Quid est simonia confidentiæ, seu confidentialis?

VI. R. Est simonia, quâ quispiam alteri Beneficium procurat præsentando, eligendo, resignando, aut aliâ ratione, sub obligatione confidentiali, ut alter illud idem Beneficium aliquando resignet tertio, vel pensionem aut partem fructuum ex eo præstet; v. g. Joannes dicit: confero tibi Beneficium, ut illud post sex annos resignes nepoti meo: hæc simonia confidentialis graves pœnas trahit ex Bullis Pii IV. & Pii V.

Simonia confidentialis, juxta explicationem Henno, potest iterum esse merè mentalis, vel conventionalis, & realis.

Quæ simonia dicitur esse juris divini?

VII. R. Ea, quæ prohibetur jure divino ac etiam jure naturæ; v. g. vendere Sacramenta, Beneficia, dispensationes in votis, &c.

VIII. Illa autem simonia dicitur esse juris humani, quæ prohibetur jure solùm Ecclesiastico; ita ut, remotâ prohibitione, actus non foret simoniacus; hujusmodi exempla sunt, 1°. dare vel accipere quidpiam occasione examinis in concursu ad curam Pastoralem, Conc. Tr. Sess. 24. c. 18. de Reform.

2°. Accipere aliquid, etiam spontè oblatum, in collatione Ordinum, Conc. Tr. Sess. 21. c. de Reform. sed in quibusdam locis Notarii licitè exiguum recipiunt.

3°. Permutatio vel resignatio Beneficiorum facta authoritate privatâ: cap. "Quæsitum de rerum permut." Daelman tamen contendit eam esse simoniam juris divini.

4°. Venditio Chrismatis considerati secundùm materiam physicam. causâ 1. q. 1. Can. 102.

5°. Item causâ 1. q. 3. c. 8. "Salvator:" prohibetur vendere officium Procuratoris & Œconomi Ecclesiæ; sub quo

Fagnanus, scribens in c. "cum pridem," comprehendit officium Sacristæ; sed addit Daelman, hoc jus antiquum quoad pœnas jam cessare.

IX. An Simoniæ culpam coram Deo incurrit, qui fictè promittit 100 florenos dare pro Beneficio, vel re spirituali, sine voluntate dandi?

R. Cum Steyartio & Navarro rectiùs respondetur affirm. quia consentit peccato alterius, & quia ad conventionem non requiritur intentio adimplendi eam: deinde iste verè per pretium fraudulentum & per temporale medium acquirit Beneficium, quod sufficit ad veram simoniam, unde nec sic evadit pœnas, quamvis etiam sine animo se obligandi stipulatus fuisset. Nec obstat, quòd promissio illa sit nulla; nam aliæ promissiones simoniacæ sunt nullæ similiter, & per illam promissionem nullam interim acquisivit Beneficium.

N. 201. DE MATERIA SIMONIÆ.

I. *Materia simoniæ est spirituale, vel spirituali annexum.* II. *Spirit. quid hic sit.* III. *Materia simoniæ in particulari.* IV. *Objectio.* V. *Stipendium pro tradenda scientia theolog.*

I. QUÆ est materia simoniæ?

R. Spirituale, vel spirituali annexum.

II. Spirituale hìc vocatur omne id, quod dicit ordinem ad Deum ut Authorem supernaturalium; tripliciter autem sic aliquid reputatur spirituale,

1°. Formaliter, 2°. causaliter, 3°. effectualiter.

III. Igitur materia simoniæ in particulari sunt Deus, dona Spiritus S., gratia habitualis & actualis, gratiæ gratis datæ, & usus earum; oratio, actus virtutum salutares: item Sacrificia, Sacramenta & administratio illorum; sacramentalia, benedictiones, cæremoniæ & functiones sacræ; potestas & actus ordinis vel jurisdictionis spiritualis, dispensatio in votis, &c. Indulgentiæ, Conciones, Catechismi, infligere Censuras, & ab eis absolvere.

Item Beneficia Ecclesiastica, jus patronatûs, Beneficii præsentatio, collatio, institutio, electio, confirmatio; status religiosus, prælatura Religionum & officia sacrarum functionum:

Item sacræ Reliquiæ, Imagines miraculosæ, calices, & vasa sacra, agnus Dei, & similes res benedictæ.

Denique Wiggers & Daelman, contradicente La Croix,

docent cantum in Ecclesia, sive simplicem sive musicum, esse materiam simoniæ, quia iste cantus pertinet ad laudem Dei.

Quæ in particulari sit materia simoniæ juris humani, dictum est numero præcedenti.

IV. Obj. Jus patronatûs potest competere Laicis; ergo non est materia simoniæ.

R. Nego conseq. Sufficit enim quòd sit aliquid spirituale; possnnt autem Laïci spiritualia aliqua obtinere.

An omissio actûs potest esse materia simoniæ?

R. Aliquando, si scilicet omissio non sit pura, sed includat aliquid spirituale; v. g. si recipiatur pecunia pro negando suffragio in electione Abbatis, Pastoris, &c.

An est simoniacum recipere pretium laboris pro docenda aliqua scientia?

R. Non est, si scientia illa sit merè naturalis, v. g. philosophica.

V. Quæstio interim agitur super tradenda scientia theologica: Wiggers existimat esse simoniacum: verumtamen probabiliùs id negat Silvius & Daelman, quia illa traditio terminatur directè in naturali instructione intellectus discipulorum, neque ex fine ordinatur immediatè ad salutem, quemadmodum ordinatur concio vel catechismus. Hæc latiùs deducta reperies apud Salmanticenses & Bonacin.

Practicè evaditur omnis quæstio, dum accipitur stipendium per modum sustentationis.

Vendere bursas pro studio theologico fundatas, non est simonia, sed illicitum & turpe lucrum. Boud. t. 4. Tr. 5. §. 47. n. 31. p. 220.

N. 202. TEMPORALE ANNEXUM SPIRITUALI.

S. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4.

I. *Antecedenter annexum spirituali.* II. *Licet vendere.* III. *Vestes sacras non licet elocare.* IV. *Concomitanter annexum spirituali.* V. *Non licet vendere.* VI. *Consequenter annexum spirituali.* VII. *Non licet emere.* VIII. *Objectio.* IX. *Datur disparitas.* X. *Propositio damnata.*

QUOTUPLICITER temporale dicitur esse annexum spirituali?

R. Tripliciter: nimirum "antecedenter, consequenter, & concomitanter."

Quodnam temporale dicitur antecedenter esse annexum spirituali?

I. R. Id, quod præsupponitur spirituali, sive cui annexum est spirituale tanquam naturâ posterius adveniens; cujusmodi sunt calices aliaque vasa sacra, vestes sacræ, res benedictæ, panis benedictus, dominium castelli, cui annexum est jus patronatûs.

II. Hujusmodi res antecedenter annexas spirituali vendere & emere licet, ratione valoris materiæ, abstractim a benedictione seu à spirituali, nisi Ecclesia specialiter prohibuerit: sic tamen ut propter benedictionem vel spirituale annexum non pluris vendantur.

III. An licet vestes sacras elocare ad usum?

R. Non licet: quia ille usus supponitur esse sacer: licet tamen recipere inquantùm teruntur seu deteriorantur per usum.

IV. Quidnam dicitur concomitanter annexum spirituali?

Id, quod spirituali intrinsecè conjungitur in ratione actionis sacræ: cujusmodi sunt administratio Sacramentorum, labor in concionando vel celebrando Missam.

V. Hujusmodi temporale concomitanter annexum spirituali vendere vel emere simoniacum est, quia censeretur vendi vel emi indirectè ipsum spirituale; nam talis labor est intrinsecus ipsi functioni sacræ, sive coalescit cum spirituali in unum opus morale elevatum.

Quod temporale dicitur consequenter annexum spirituali?

VI. R. Illud, quod in spirituali titulo fundatur, & inde resultat tanquam ex causa; hoc modo Beneficiis Ecclesiasticis annexum est jus ad fructus temporales: sic statui religioso annectitur jus ad sustentationem vitæ.

An est simonia emere temporale consequenter annexum spirituali?

VII. R. affirm. Ratio est, quòd illud jus ad temporale acquiri non possit nisi titulo spirituali; ergo in casu emeretur ipse titulus spiritualis. S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4.

VIII. Obj. Licet emere temporale antecedenter annexum spirituali; ergo licet emere temporale consequenter annexum spirituali. Probatur à pari.

IX. R. Disparitas est, quòd in priori casu temporale non dependeat à spirituali; sed in secundo casu temporale dependeat à spirituali; ita ut, si tollas v. g. spirituale Beneficii, jam tollas ipso facto jus temporale Beneficii; privatâ enim authoritate illa non sunt separabilia.

X. In hac re damnata est ab Alex. VII. hæc propo-

sitio 22. inter 45: "non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur."

N. 203. DE SIMONIA IN PERMUTATIONIBUS SPIRITUALIUM.

I. *Permut. benefic. privata authoritate, est simoniaca.* II. *Objectio.* III. *Permut. benefic. licet authoritate Episcopi.* IV. *Licet privatim conceptum permut.* V. *Permutationes aliquæ spirit. non Simoniacæ.* VI. *Casus litigantium super beneficio.* VII. *Casus patronatûs litigiosi.*

I. AN permutatio Beneficiorum Ecclesiasticorum inter se pertinet ad simoniam?

R. Distinguendo: permutatio, quæ fit privatâ authoritate, pertinet ad simoniam saltem juris humani; idque magis, si permutatio illa vel resignatio perficiatur sub onere pensionis, vel sub conditione refundendi expensas collationis vel litis, &c. Probatur ex cap. 5. quæsitum tit. 19. de rerum permut. lib. 3.

II. Obj. In illa permutatione non intervenit pretium; ergo non intervenit simonia.

R. Nego antec. Quia Beneficium unum tractatur veluti pretium alterius, dum subjicitur tali pacto temporali: deinde sufficit, quòd Ecclesia id prohibuerit ex fine eliminandi simoniam.

Generatim circa Beneficia prohibentur quæcumque pactiones privatæ: cap. "Quæsitum." Beneficiis annumerandæ non sunt simplices fundationes Missarum vel Capellaniæ Laïcæ, aut Officia quædam, quæ non sunt erecta in titulum spiritualem. Pyrr. Corrad. Prax. Benef. lib. 4. c. 5. n. 57.

III. Permutatio Beneficiorum authoritate Episcopi vel Pontificis licita esse potest ex justa causa: Beneficia enim collocantur in manibus Episcopi, qui eadem transfert in alios; cujus authoritate etiam pensio creari potest. Ob- vel subreptio vitiare potest permutationem. Quænam juxta stylum Curiæ Romanæ observanda sint, explicat Pyrr. Corr. in Prax. Benef. Quispiam Beneficium, cujus solùm obtinuit præsentationem vel electionem, necdum collationem vel institutionem, permutare non potest. Pensio temporalis non potest permutari cum Beneficio.

IV. Pro permutatione præfata coram Episcopo non prohibentur partes priùs inter se concipere & conscribere contractum permutationis, modò totum fiat sub conditione expressa, ut Superioris authoritati subjiciatur & perficiatur, non aliter. Est praxis totius orbis christiani, ait Mald. apud Wigg. Tr. 7. c. 4. 14. n. 48.

Resignatio Beneficii in favorem alterius sub clausulis, "nec aliter nec aliàs," sive sub conditione suspensiva, fit coram solo Summo Pontifice.

V. An simoniaca est hæc conventio: celebra Missam ad intentionem meam, ego tenebo tuam; ora pro me & orabo pro te; concionare pro me, ego habebo catechismum pro te; largire mihi ex S. Reliquiis, quas habes, dabo tibi ex meis, &c.?

R. Negativè, quia similia intelliguntur fieri omnino gratuitò, nec alibi prohibentur: nam cap. "Quæsitum," intelligitur prohibere pactiones solùm in re beneficiaria. Dum autem illa sic gratuitò acceptantur, potest ex eis introduci obligatio.

Similis permutatio rei temporalis cum spirituali gratuita non admittitur, cùm datur temporale pro spirituali, v. g. domus pro Beneficio. Imò non occurrunt exempla licita in rebus spiritualibus dissimilibus; & ita simoniacè dices; dabo tibi Beneficium, celebra pro me centum Missas. Similes interim spiritualium permutationes expendendæ moraliter etiam ex intentione agentium & ex communi hominum apprehensione.

Quid agere possunt litigantes inter se super Beneficio Ecclesiastico?

VI. R. Potest alteruter liberaliter cedere juri suo; item possunt gratis et amicabiliter compromittere in judicium arbitri ut alterutri, qui habet jus probabilius, adjudicet Beneficium; & pro eo non requiritur Superioris authoritas: non possunt tamen privatâ authoritate transigere ita, ut unus habeat Beneficium, & hic solvat expensas litis, vel tribuat alteri pensionem aut aliud in compensationem. Cap. "super eo" tit. 36. de Transaction. lib. 1.

VII. Joannes habens jus patronatûs litigiosum, ex eo præsentat Petrum ad Beneficium vacans, sub conditione, ut Petrus litem prosequatur.

R. Est conditio simoniaca, quia adjicitur onus indebitum: posset tamen Joannes adjungere conditionem hanc, quòd, nisi Petrus intra tempus à jure statutum præsentationem acceptatam prosequatur, Joannes præsentaturus sit alium, quia ea de jure inest.

N. 204. DE PRETIO SIMONIACO.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5.

I. *Definitio.* II. *Triplex pretium.* III. *Munus à manu.* IV. *Munus ab obsequio.* V. *S. Thom.* VI. *Merita dignitatis.* VII. *Munus à lingua.* VIII. *Munus ex gratitudine petere est simon.* IX. *Objectio.* X. *Proposit. damn.* XI. *Temporale non potest esse finis.* XII. *Sed occasio.* XIII. *Conferre spirituale ob consanguinitatem, commendationem, &c.* XIV. *Axioma explicat.* XV. *Casus simoniaci.* XVI. *Casus non simoniacus.* XVII. *S. Thom.*

QUID vocatur pretium simoniacum?

I. R. Omne id seu temporale seu spirituale, quod datur adinstar temporalis pro spirituali, vel in commutationem ejus: ita si quis paciscatur, eligas me Abbatem, faciam te Pastorem, iste ponit unum spirituale veluti pretium alterius.

Quotuplex est pretium simoniacum?

II. R. Triplex, nimirum "munus à manu, munus ab obsequio, & munus à lingua.

III. Per "munus à manu," intelligitur quælibet res pecuniâ æstimabilis; ut pecunia, jura, remissio debiti, &c.

IV. "Per munus ab obsequio" significatur opus aliquod præstitum in alterius utilitatem, favorem aut commoditatem: v. g. dare mutuum, servire alteri vel fungi munere œconomi gratis vel minori stipendio pro Beneficio adipiscendo.

V. "Addit S. Th. 2. 2. q. 100. ad 5. ad 1. si Clericus Prælato impendat obsequium honestum ad spiritualia ordinatum, puta ad Ecclesiæ utilitatem, ex ipsa devotione obsequii, redditur dignus Ecclesiastico Beneficio adipiscendo sicut & propter alia bona opera."

VI. Ex hac ratione intellige, quomodo in concursu Vicepastores, qui majus servitium præstiterunt in cura animarum, possint præferri aliis, qui non tantùm laboravêre.

Secundo intellige, quomodo possit à simonia esse immunis, qui confessiones excipit vel alia Ministeria spiritualia exhibet in Ecclesia sub spe obtinendi aliquando Beneficii, modò principalis intentio operis in Deum tendat: licitum enim est se reddere dignum Beneficio Ecclesiastico, & per merita dignitatis expectare gratìs Beneficium. Vide Sylvium 2. 2. q. 100. a. Concl. 2.

Quid denotatur per "munus à lingua?"

VII. R. Denotatur opus linguæ in utilitatem vel favorem alterius; v. g. agere patrocinium alterius, ut ab eo remunereris collatione Beneficii. Pluribus exemplis hæc elucidat Pauwels tom. 5. c. 7. §. 2, 3, & 4.

Spectat ad simoniam, absque Episcopi interventu, conferre Beneficium sub onere sive spirituali sive temporali, quod onus non est de jure annexum illi Beneficio.

An requiritur ad labem simoniæ contrahendam, ut temporale detur tanquam pretium rei spiritualis?

VIII. R. Negativè; sufficit enim, si quacumque ratione detur pro re spirituali, ita ut pretium hìc accipiatur latissimè pro quacumque compensatione etiam ex gratitudine: ratio est, quòd spirituale tunc non detur gratìs, seclusis titulis extrinsecis: unde nec requiritur animus obligandi alterum.

IX. Obj. Beneficiatus ex dictamine rationis naturalis afficitur obligatione gratitudinis erga Patronum; ergo Patronus aliquid ex gratitudine potest petere.

R. Nego conseq. Quia illa obligatio est solummodo gratitudinis benevolæ, non est propriè antidotalis sive compensatoria. Denique quæstio hæc decisa est ab Innoc. XI. damnando has propositiones 45 & 46. inter 65.

X. "Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale fit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra."

46. "Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis."

XI. Hinc conclude, quòd temporale nequeat habere rationem finis aut motivi, ne quidem secundarii; quia res spiritualis dabitur pro temporali. S. Th. quodlib. 8. art. 11.

XII. Si autem temporale non sit causa nec finis, sed occasio dumtaxat, sicut pulsus campanæ est occasio concurrendi ad officia Ecclesiæ, excluditur simonia, concurrentibus aliis titulis, de quibus infra Num. 205.

Cautè Theologiæ studiosus legat Casuistas, qui ante condemnationem præfatarum propositionum sua scripta publicarunt.

XIII. An est simoniacum dare alteri spirituale ob consanguinitatem, ob commendationem, intercessionem, &c.?

R. S. Th. regulariter ad similia quæsita distinguendo juxta intentionem agentis: si enim ex similibus agat so-

lùm ob gratuitum affectum, simonia excluditur, sed non semper quodcumque aliud peccatum: si autem agat ob favorem humanum compensandum, recipiendum, vel ad contrarium evitandum, sapit simoniam. Vide S. Th. q. 100. a. 5.

Generatim commendatitia intercessio pluris valere non potest, quàm valent qualitates & merita commendati.

Revera limites liciti & illiciti, si alibi, circa vitium simoniæ ita sunt sibi vicini, implexi & similes, ut vix in pluribus casibus discernere queas, aut invenire disparitatem, nisi cum S. Th. recurras ad distinctionem & intentionem agentium.

XIV. Ita axioma hoc desumptum ex S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. "simoniacum est per pecuniam parare sibi "viam ad rem spiritualem obtinendam," cum distinctione intelligendum est. XV. scilicet simoniacum est, si pecunia quocumque modo, licèt mediatè, detur pro spirituali, quo modo c. 20. "ex tuæ" tit. 3. de simon. declaratur simoniacus, qui Archidiacono solverat 6 solidos, 1. ut ab eodem præsentaretur Episcopo ad Ordinem Sacerdotii.

2. Idem judicandum de illo, qui promittit centum patacones famulo Collatoris, ut à Domino ei procuret Beneficium.

3. Item qui concertationem init cum Collatore pro centum pataconibus, quòd Beneficium vacans non sit collaturus ipsi.

4. Item qui competitori suo dat pecunias ut desistat se præsentare in concursu pro Pastoratu.

XVI. Simoniacum non erit, si detur vel accipiatur pecunia ob titulos extrinsecos, de quibus consule Numeros seq. quo modo v. g. quispiam licitè procurat Missam pro se celebrari, dando Sacerdoti honorarium pecuniæ.

XVII. "S. Th. 2. 2. q. 100. art 3. ad 2. illicitè statueretur, quòd non fieret processio in funere alicujus, nisi solvat tot: sed licitè statueretur, quòd solventibus tot, talis processio exhiberetur."

N. 205. TITULI EXIMENTES A SIMONIA.

I. *Tituli extrinseci.* II. *Primus titulus est liberalitas dantis.* III. *Par manicarum indicat simon.* IV. *Item hæc sponsio:* ero gratus, &c. V. *Promissio dandi ecclesiæ* 1000 *florenos.*

I. TAMETSI simoniacum sit, quidpiam temporale dare vel accipere pro spirituali, potest tamen à simoniaca labe

esse immune, dare vel accipere quidpiam temporale occasione spiritualis, dum illud datur & accipitur ex aliis titulis extrinsecis simonia.

Qui sunt illi tituli?

R. Sunt hi præcipui quinque: "liberalitas, vitæ sustentatio, labor extrinsecus, redemptio vexæ, & Superioris dispositio."

II. Primus titulus est pura liberalitas dantis, quâ temporale omnino gratìs datur nullò modo pro spirituali. Pro quo dijudicando sunt attendenda hæc tria, personarum qualitas, doni quantitas, & donationis tempus: III. hinc cap. 18. "etsi tit. 3. de Simonia lib. 5." præsumptione juris, donum modici pretii, quod animum movere non solet, supponitur liberaliter dari: quæ præsumptio non obtinet in muneribus magni pretii, quæ ficto nomine vocantur "Par Manicarum."

Evidens autem est simonia, dum ab antè petitur vel spondetur par manicarum.

IV. Similiter simoniam sonat hæc sponsio: si filio meo dones Beneficium, non ero ingratus, exhibebo me honestum, &c. quia communi apprehensione intelligitur promitti munus dandum sic et non aliter.

V. An est simoniacum promittere Ecclesiæ vel mensæ pauperum 1000 florenos sub conditione impetrandi Beneficium?

R. Distinguendo: si promissio ista concurrat per modum alicujus retributionis, est simoniacum; non erit, si promissio fiat Deo ad recognitionem Beneficii Divini.

N. 206. DE TITULO DEBITÆ SUSTENTATIONIS.

S. Thom. q. 100. a. 3.

I. *Secundus titulus.* II. *Probatur.* III. *Exempla.* IV. *Non datur tanquam merces laboris.* V. *Objectio.* VI. *Gratis dare non excludit stipendium sustentationis.* VII. *Plus petitur in exequiis divitum.* VIII. *Quantitas stipendii sustentationis.* IX. *Non licet intendere principaliter stipend.* X. *Excusantur simpliciores.* XI. *Licet munusculis allicere ad pietatem.* XII. *Canonicus tendens ad Chor. ob distributionem pinguem.* XIII. *Præeligens pinguiorem pastorat.*

I. SECUNDUS titulus accipiendi temporale occasione spiritualis, est Ministri "sustentatio & Ecclesiæ intentio."

II. Hunc titulum declarat Christus Matth. 10. v. 10. dicens: "dignus est operarius cibo suo:" & S. Paulus pluribus probat argumentis 1. Cor. 9. & 1. ad Tim. 5. "Quis militat suis stipendiis unquam? Non alligabis os bovi triturantì," &c.

III. Hoc titulo Beneficiatus percipit fructus Beneficii: Pastor jura matrimonii & exequiarum: hoc titulo accipit Sacerdos honorarium sive pecunias ad celebrandas Missas, &c.

An ergo præfata stipendia non sunt merces laboris?

IV. R. Negativè: mercedem enim expectamus à Deo. S. Th. q. 100. art. 2. & solùm vocari possunt stipendia sustentationis, ita ut vox "merces" Luc. 10. & Tim. 5. accipiatur impropriè; vel si propriè, sit argumentum à simili.

V. Obj. Sunt stipendia justitiæ; ergo, &c.

R. Illud etiam dici potest, eò quòd sustentatio vitæ debita est ex justitia Ministro Ecclesiæ.

Providè interim monet S. Th. a. 3. in c. ut ab invitis non exigatur per subtractionem spiritualium, quæ sunt exhibenda; gratìs tamen spiritualibus priùs exhibitis, possunt licitè consuetæ oblationes exigi authoritate etiam Superioris imploratâ.

Obj. Spiritualia debent administrari gratìs, ergo non potest exigi ullum stipendium.

VI. R. Distinguo ant. Spiritualia debent administrari gratìs militando suis stipendiis, ità ut excludatur jus sustentationis, nego ant.: debent ministrari gratìs respectu rei spiritualis, nihil pretii pro ea exigendo, concedo ant. Hinc observat Sylvius ad a. 3. stipendia sustentationis, quamvis quandoque vocentur eleëmosynæ, non esse tamen appellandas puras eleëmosynas, quæ dantur ob paupertatem.

VII. Quâ ratione in exequiis plus exigitur à divitibus quàm ab aliis?

R. Quia æquum, ut divites plus de suis temporalibus contribuant ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; & ut etiam pro servitio majori solemniorum exequiarum majus detur stipendium sustentationis.

Quantum stipendium sustentationis licet petere?

VIII. R. Quantum est statutum à Superioribus, vel quantum consuetudo declarat, vel commune judicium approbat spectato spirituali servitio præstito; & attento, quòd non congruat Sacerdotibus alia commercia pro lucranda sustentatione exercere. Pacta privata dissuadentur.

An licet in functionibus sacris intendere temporalia stipendia sustentationis?

IX. R. S. Thom. quodlib. 8. q. 6. a. 1. non licet ea intendere principaliter quasi finem operis: si tamen principalem finem habeas Deum, licet ea respicere quasi effectum extrinsecum & concomitantem opus ex causa honestæ sustentationis: quamvis enim turpe sit evangelizare ut manduces, non est tamen turpe velle manducare, ut possis evangelizare.

Hoc titulo dantur, absque vitio, eleëmosynæ pauperibus, ut orent pro aliquo.

X. Nota. Etiamsi simpliciores fortè hos titulos theologicè non noverint discernere, si tamen quidpiam temporale dent vel accipiant occasione spiritualis, imitando mores proborum hominum, non debent ob ignorantiam tituli in particulari mox accusari simoniæ: & sic parvuli ministrantes Missæ, aliquod munusculum accipiunt.

XI. Sic ex cap. 2. "de conditionibus" deducitur, non fore simoniacum, si quis præmiis & promissionibus alliciat pueros aliosve ad catechismum, ad confessionem, &c. nam gratìs promittitur temporale, & nihil à dante recipitur, conformiter Doctrinæ S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4.

Titulo sustentationis non potest exigi pro præsentatione vel collatione Beneficii; colligitur ex damnatione prop. 22. inter 45 ab Alex. VII.

XII. An Canonicus vadens ad Ecclesiam, dum pinguis datur distributio, aliter non iturus, committit simoniam?

R. Distinguo, si temporalis distributio sit finis operis spiritualis, committit simoniam.

Si autem opus ipsum persolvat ad honorem Dei tanquam finem, & distributio sit solùm occasio, sicuti sonus campanæ, sive, ut loquitur S. Thom. quodlib. 8. q. 6. a. 1. in c. sit solùm causa determinationis, quare nunc vadat & non aliâ vice, non committit simoniam, præsertim si alii tituli concurrant. Plura videto apud Daelm. de Sim. obs. 7. Convenit etiam ad liberaliorem distributionem concurrere, ne ad tantam liberalitatem committas ingratitudinem.

XIII. Similiter excusari potest à simoniâ, qui Pastoratum (quamvis turpe sit & malum, priorem sponsam sine causa repudiare) pingulorem præeligit, quærens ampliorem sustentationem pro se & pauperibus, ut meliùs evangelizet: vitiosum autem est eligere vel mutare Pastoratum ad lautiùs vivendum.

N. 207. DE TITULO LABORIS EXTRINSECI.

I. Pro labore intrinseco non licet aliquid accipere per modum pretii. II. *Sed licet pro labore extrinseco.* III. *Iter est labor extrinsecus Missæ.* IV. *Cantus est extrinsecus Missæ solemni.* V. *Objectio.* VI. *Pactio de eo, quod de jure inest, non est simoniaca.*

LABOR actionis spiritualis distingui potest in "intrinsecum & extrinsecum."

I. Pro "labore intrinseco, qui etiam dicitur annexus spirituali concomitanter," Num. 101. nihil licet recipere per modum pretii, sed tantùm per modum sustentationis. Num. 206.

Quis labor dicitur extrinsecus actioni sacræ?

R. Is, qui actioni sacræ per accidens conjunctus est: v. g. iter trium leucarum ad concionandum, vel ad celebrandum Missam.

II. An pro labore extrinseco licet dare & accipere aliquid temporale?

R. Certò licet per modum sustentationis.

An etiam per modum pretii?

III. R. Negat Pauwels: sed communis opinio affirmat, quia nullo modo censetur emi vel vendi spirituale; incedere enim per tres leucas onerosum est Sacerdoti independenter à Missa.

Similiter obligatio celebrandi Missam determinato tempore vel loco potest esse extrinseca.

Similis tamen obligatio annexa Beneficio vel officio est indistincta; sic obligatio administrandi SS. Viaticum in extrema parte Parochiæ est intrinseca officio Pastorali.

IV. An labor cantandi Missam solemnem est extrinsecus Missæ?

R. Est intrinsecus illi Missæ, sive est ei annexus concomitanter: & quamvis Missa aliqua possit celebrari sine cantu, est tamen cantus intrinsecus huic Missæ solemni.

V. Obj. Iter trium leucarum ad celebrandam Missam, non est labor intrinsecus illi Missæ; ergo nec cantus debet dici intrinsecus huic Missæ.

R. Neg. cons. disparitas est, quòd cantus sit ipsa partialis actio sacra Missæ; sed iter trium leucarum non est actio sacra Missæ, nec pars ejus.

VI. An est simoniacum conferre Pastoratum sub pactione, ut Pastor resideat in Parochia?

R. Negativè, quia obligatio præfata de jure inest. Idem est de pactione, ut Beneficiatus persolvat onera Beneficii: secus si injiciatur novum onus vel obligatio absque authoritate Episcopi.

N. 208. DE TITULO REDEMPTIONIS INJUSTÆ VEXÆ, ALIISQUE.

I. *Definitio.* II. *Casus exponitur.* III. *Conditiones requisitæ.* IV. *Licet redimere vexam ante acquisitum jus.* V. *Quomodo non liceat redimere Vexam Collator. &c.* VI. *Redemp. vexæ circa Sacramenta.* VII. *Nisi vexa sit independens à Jure suo.* VIII. *Licet dare pecun. ut non eligatur indignus v. g. Hær.* IX. *Quid sit dicendum de emptione Canonicat. ab Hæreticis Mosætrajecti.* X. *Titulus excusationis in Borussia.* XI. *Quintus titulus, dispositio superiorum.*

QUID est redemptio vexæ?

I. R. Est injusti impedimenti circa spirituale justa remotio per oblationem pecuniæ sive rei temporalis.

II. Casus est: quispiam obtinuit collationem Pastoratûs in Hollandia; sed Hæretici renuunt eum recipere, nisi eis numeraverit 100 patacones: licitum est eam pecuniam eis tradere non pro spirituali, sed pro liberatione à vexa. Recipientes interea sunt simoniaci, quia carent justo recipiendi titulo, ac ita convincuntur, quòd eam recipiant interpretativè pro spirituali ingressu in pastoratum.

Quæ conditiones requiruntur, ut liceat redimere vexam per pecunias?

III. R. Prima est, ut vexatio sit injusta: si enim vexa sit justa, vel probabiliter justa, simoniacum erit, eam removere per pecunias: sic alteri, qui tecum servato juris ordine contendit lite super Beneficio, illicitè porriges pecunias, ut desistat à lite.

2°. Ut non suppetant alii modi amovendi impedimentum; ne alioquin communices peccato alterius.

3°. Ut nondum acquisito jure non redimatur vexa, quæ solùm impedit acquirendum spirituale. Verùm hæc regula indiget moderatione, & patitur exceptiones, ut observat Suarez.

IV. An igitur quispiam potest redimere vexam, antequam acquisiverit jus ad illud spirituale?

R. Distinguendo: si isti qui vexam injustam interpo-

nunt, sint tales, qui de jure prodesse non possunt vel obesse, licitè redimes vexam injustam, etiam ante acquisitum jus: ita latroni te in viâ retinenti, vel volenti te infamare, licitè porriges pecuniam, ut iter prosequaris ad Collatorem Beneficii; nam remotio talis impedimenti non parat viam ad Beneficium, nec auget favorem apud Collatores, &c. Hoc sensu juxta Sylvium intelligendus est S. Thom. 2. 2. 104. a. 2. cujus authoritas opponi posset.

V. Si autem isti interponentes vexam sint tales, qui de jure prodesse vel obesse possunt, quales sunt Collatores, Electores, Confirmantes aut Præsentantes; & eatenùs sive sub ea ratione vexent, non licet tibi in re beneficiali redimere vexam circa jus acquirendum, quia pecunia censeretur dari ut prosint: putat autem Suarez de Sim. c. 50. n. 28. hanc redemptionem vexæ esse prohibitam solo jure positivo, idque in Beneficialibus & susceptione Ordinum: cap. 23. "Mattheus" de Sim. & ex stylo Curiæ; nam similis redemptio vexæ admittitur circa Sacramentum Baptismi.

VI. Sic licet quoad Sacramenta necessitatis suscipienda redimere vexam, quam ipse Minister objicit; non tamen id licet pro susceptione Ordinis Sacri; nam hoc lege positivâ inhibitum est.

VII. Insuper observant Suarez & Sylv. vexam posse redimi pecuniâ, si isti vexent solùm in eo, quod est independens à jure, in quo prodesse possunt, veluti si te diffament, violentè retineant, &c.

VIII. Observat itidem Suarez, c. 50. n. 41. de Sim. quamvis non liceat dare pecunias, ut ista persona eligatur, quòd tamen id liceat, ut non eligatur quispiam indignus aut etiam minùs dignus, quia datio terminatur purè ad remotionem impedimenti eligendi dignissimum.

An is, qui obtinuit præsentationem, potest redimere injustam vexam apud Collatorem negantem collationem?

R. Daelman affirmat, sed Suarez negat, tanquam prohibitum jure positivo.

IX. An possunt à simonia eximi illi, qui dicuntur emere Canonicatum ab Hæreticis, v. g. Mosætrajecti, antequam à Pontifice vel ab alio receperint collationem aut præsentationem?

R. Excusat eos Daelman, quòd illi vice, nomine & ex consensu generali prævio Pontificis vel Ecclesiæ, pecunias illas dent per modum redemptionis vexæ, non titulo emptionis.

Sed benè notandum, quòd hæc excusatio non liberet

eum, qui alium, qui prius tempore obtulit summam minorem & Canonicatum obtinuisset, deturbat afferendo summam majorem, quandoquidem vexa cessabat respectu Ecclesiæ, quando ille alius æquè dignus obtinuisset; prout observat La Croix lib. 3. n. 137.

X. Similiter excusantur Pastores & Beneficiati in Borussia, ubi Rex Hæreticus, qui sibi vindicat præsentationem Beneficiorum, prius exigit taxam pecuniarum: quia, etsi Beneficiandus necdum habeat jus ad Beneficium, Ecclesia habet jus redimendi vexam, ne fortè ad Hæreticos devolvantur Beneficia; itaque Beneficiandus nomine & vice Ecclesiæ redimit vexam: ut autem securus nomine Ecclesiæ id faciat, & ne fortè ipse minùs dignus appetat Beneficium, desuper judicium & consensum Episcopi requiret, ne etiam videatur privatâ authoritate agere. Hæretici autem similia simoniacè exigunt.

Ignoro ego, quo titulo Princeps Catholicus vel Ministri ejus similes taxas possent exigere, sine prævio consensu Summi Pontificis, quantumvis ad pios usus, in expeditione vel admissione litterarum beneficialium, ultra solitum moderatum honorarium.

XI. Alius titulus eximens à simonia est legitima superioris dispositio: ita aliquando ex Beneficio datur & accipitur pensio; ita in absolutione à censuris vel in dispensatione impedimenti aut voti imponitur opus pium pecuniarium, similesque alias dispositiones præscribit Pontifex ex suprema, quam habet, bonorum Ecclesiasticorum administratione.

N. 209. DE PALLIIS SIMONIÆ.

I. *Consuetudo non prodest.*

QUID vocas pallia simoniæ?

R. Titulos apparentes, sed non subsistentes, sub quibus implicita latet labes simoniæ.

Hujusmodi sunt: liberalitas, sed in pactum deducta. Vide num. 205.

Item labor, sed intrinsecus vel debitus. Vide Num. 207.

Item titulus indigentiæ, pietatis vel necessitatis, absque Superioris authoritate.

Item Usus vel consuetudo aliquorum: propterea dicit S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. in c. "Crimen simoniæ nulla potest consuetudine excusari, quia consuetudo non præjudicat juri naturali vel divino."

Seperatio temporalis à spirituali in Beneficiis. Consule Num. 202.

Latius de his & similibus simoniæ palliis discurrit Pauwels t. 5. per exempla.

N. 210. DE SIMONIA CIRCA INGRESSUM RELIGIONIS.

I. *Duo consideranda in Religione,* II. *Monast. sufficient. nihil possunt exigere.* III. *Quid de victu & vestitu tempore Novitiatûs.* IV. *Monast. insuffic. possunt petere dotem.* V. *Objectio.*

I. DUO consideranda sunt in ingressu Monasterii: primum est ipsa receptio ad vitam religiosam, & hoc est penitus spirituale; secundum est sustentatio corporalis Religiosi, & istud est temporale annexum consequenter spirituali præfato, sicuti temporale annexum est Beneficiis.

II. An igitur simoniacum est, aliquod temporale exigere ab ingredientibus Religionem?

R. Aliquod temporale exigere pro ingressu spirituali, sive ad novitiatum sive ad professionem, pertinet ad simoniam juris divini.

Similiter simoniacum est, exigere ab eisdem aliquod temporale pro sustentatione ibidem, si illud Monasterium sit præviè sufficiens ad præstandum sustentationem, cùm sit annexa consequenter spirituali, omnisque titulus deficiat S. Th. in 4. d. 25. art. 2. ad 3. neque potest obtrudi titulus cessionis hæreditatis, nam jus illud hæreditatis hìc non subsistit.

III. Van Roy interim & De Cocq existimant esse licitum exigere victum & vestitum pro tempore novitiatûs, putantque illud permitti à Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul. sed alii respondent, solùm ibidem permitti, ut gratìs possit illud & non plus dari Monasterio ex bonis Novitii: adde quòd statuta quorumdam Ordinum illud ipsum prohibeant, quæ refert De Cocq. c. 5. de Sim. sect. 9.

Nota, quòd, quamvis hæc Monasteria non possint dotem exigere, possint tamen donum liberaliter oblatum acceptare.

. An Monasteria tenuia seu insufficientia, ut ex reditibus vel ex consuetis eleëmosynis commodè sustentetur is, qui postulat admitti, exigere possunt dotem pro futura ejusdem sustentatione?

IV. R. Communis responsio affirmat, quia ipse recipiendus acquirere nequit jus ad sustentationem, nisi per dotem creetur seu erigatur sustentatio. Favet S. Th. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. dummodo non plus exigatur, quam necessitas sustentationis requirat. Imò S. Carol. Borr. formulam præscripsit hujusmodi stipulationis dotis. Indulgentiùs hic loquitur Bened. XIV. de syn. lib. IX. cap. VI. fol. 401.

V. Obj. Conc. Trid. sess. 25. de Reg. c. 3. Item Extrav. "sanè" & plures Canones.

R. Responsio Steyartii inter cæteros, magis decisiva & finalis, quamvis parumper cruda, est, quòd illæ leges per usum & praxim contrariam cessare videantur respectu Monasteriorum tenuium, & reverà nunquam executioni mandata est determinatio numeri Religiosorum recipiendorum quam eadem lex Conc. Trid. præscribit & præsupponit, quo supposito deficiente, lex non videtur effectum sortiri in tenuibus Monasteriis.

Simili modo Daelman excusat moderata convivia, quæ in professione tribuuntur: & Lessius lib. 2. c. 41. dub. 23. n. 131. credit extrav. "sanè" non esse receptam.

N. 211. DE PŒNIS SIMONIÆ.

I. *Agitur de pœnis sentent. latæ jur. positivi in triplici mater.* II. *Simonia ment. vel convent. purè non subjacet pœn. jur. positivi.* III. *Sed sim. utrinque completa & confid. ex una parte impleta.* IV. *Circa simon. convent. mixtam distinctio proponitur.* V. 1. *pœna est excomm. reservata Papæ.* VI. *Qui eam incurrant.* VII. 2. *Secunda est suspensio.* VIII. 3. *Pœna: dispositio & acquisitio Beneficii est nulla. Inhabilitas ad beneficia.* IX. *Si Sim. commissa sit per tertium sciente proviso.* X. *Ignorante proviso.* XI. *Dispens. Episcop. Pap. dispensat.* XII. *Quarta pœna est infamia.* XIII. *Quinta pœna restitutio fructuum.* XIV. *Qui fructus restituendi.* XV. *Restituendi ecclesiæ.* XVI. *Triennal. possessio non prod.* XVII. *Simoniaca acquisitio Officii non subjacet pœnis.*

I. PRÆNOTANDUM, hanc quæstionem institui de pœnis juris positivi Ecclesiastici sententiæ latæ; &

Observandum, has pœnas extendi solùm ad simoniam in triplici materia, nimirum in sacra Ordinatione, in ingressu

Religionis, & in re beneficiali: his adjunge simoniam in examine Beneficii Parochialis ex lege Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de Ref. Proinde nota, ob simoniam in aliis materiis, v. g. ob simoniacam collationem Baptismi, non incurri pœnas præfatas; verumtamen sub re beneficiali comprehenduntur dignitates Ecclesiasticæ, ut Præpositura, Provincialatus, vel Prioratus Religiosorum, &c. Constat ex Bulla 5. Pii V. "cùm primum" & extrav. "cum detestabile" lib. 5. tit. 1. de Sim. cap. 2.

II. Observandum secundò, pœnam simoniacam non incurri ob commissam simoniam merè mentalem, aut etiam purè conventionalem.

III. Certum est, pœnam incurri per simoniam realem utrimque partialiter impletam in præfatis tribus materiis, quantumvis occulta foret.

Certum similiter est, quòd incurratur pœna per simoniam confidentialem quâ Beneficium jam obtentum est ab una parte, licèt promissio confidentialis nondum sit executioni mandata.

An simonia realis incompleta sive conventionalis mixta subjacet pœnis simoniacis Ecclesiasticis?

IV. R. Ea quâ solum temporale, non spirituale traditum est, non subjacet pœnis, quia Canones utuntur verbis importantibus traditionem rei spiritualis: v. g. "Qui simoniacè ordinati fuerint; &c."

De illa verò, in qua spirituale, non temporale traditum est, controvertitur; negant Wiggers & Sylvius, quia Canones pœnales videntur supponere simoniam ex dato & accepto utrimque completam, & quia dicitur Romæ sic usu receptum; alii quidam affirmant, quia id fini legis & tenori Canonum magis conforme videtur; Canones enim quandoque solùm spirituale exprimunt: "Simoniacè fuerint ordinati," &c. Vide Suarez c. 56. n. 26. ad 33. item cap. 57. Num. 59. & Boudart Tract. 5. §. 48. quæst. 3.

Quæ sunt præfatæ pœnæ simoniæ commissæ?

V. R. Prima pœna, quæ incurritur ob simoniam in triplici materia prædicta est excommunicatio major sententiæ latæ reservata Summo Pontifici. Suarez cap. 56.

VI. Incurrunt autem eam in materia Beneficiorum & Ordinum, qui, quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint seu procuraverint. Extrav. "cum detestab."

VII. Secunda pœna est quædam censura suspensionis, extrav. "sanè" et cap. "cum detestabile" de simonia,

Summo Pontifici reservata. Suarez de Simon. lib. 4. c. 61. a. 6.

VIII. Tertia pœna est, quod præsentatio, collatio, electio, confirmatio, institutio, &c. acquisitio Beneficii, ut supra, sint irritæ & invalidæ: insuper consequitur inhabilitas acquirendi idem Beneficium, etiamsi nova collatio aut electio succedat; imò inhabilitas quorumcumque Beneficiorum acquirendorum juxta constit. Pii V. "cum primùm" §. 8. sed hæc ultima juxta Suarez de Sim. c. 58. n. 11. consuetudine facta est pœna sententiæ ferendæ solùm.

Nota, quòd simonia confidentialis, simonia in electione Papæ, ac simonia Examinatorum afficiantur speciali pœna, nimirum privatione omnium Beneficiorum acquisitorum & inhabilitate acquirendorum.

IX. Quid si simonia commissa sit per alium, v. g. amicum?

R. Dist. si ipse Beneficium recipiens sciat, provisionem sibi fieri simoniacè, acquisitio Beneficii est nulla, quantumvis contradixerit. Ita Suar. num. 29.

X. Si ignoret simoniam commissam per tertium, & contradixerit, acquisitio Beneficii est valida & firma cap. 33. "sicut tuis" de Sim. tit. 3. lib. 5. si autem non contradixerit, debet, dum ante triennium impletum pacificæ possessionis cognoscit simoniam commissam, dimittere Beneficium (nisi in odium ejus fraudulenter commissa sit simonia.) S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. juxta cap. 33. "sicut tuis" de simonia; & redditur inhabilis ad idem Beneficium. S. Th. præfato art. 6. ad 7. cap. penult de electione: id negat Van Roy t. 2. de Sim. q. 11. & probat ex cap. 26. "ex insinuatione" de Sim. Interim censuras non incurrit.

XI. In hoc casu dispensat Episcopus super inhabilitate ad Beneficium simplex idem, non ad curatum vel ad dignitatem.

Dispensatio in reliquis inhabilitatibus, & absolutio à suspensione ob simoniam etiam occultam, contractis, solent peti à Summo Pontifice ex praxi Ecclesiæ, ait Daelman de Sim. obs. 11. & favet Suarez: sed Wiggers de Sim. c. 4. dub. 19. insistens communi principio docet, illam potestatem in occultis competere Episcopis in vim Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. quod est posterius Extravagante.

XII. Quarta pœna simoniæ est infamia juris, & depositio ab omni officio, sed sententiæ ferendæ. Can. "Si quis" caus. 1. q. 3. & Can. "sanè" c. 15. quæst. 3.

XIII. Quinta pœna dicitur esse restitutio fructuum Be-

neficii: verùm hæc restitutio non solum est pœna positiva, sed potiùs est obligatio juris naturalis: cùm enim provisio Beneficii fuerit invalida, fructus sinè titulo & injustè percepti sunt.

Qui fructus debent restitui, & cui?

XIV. R. Distinguendo: iste Beneficii possessor, qui conscius fuit simoniæ commissæ, debet restituere omnes fructus non solùm perceptos, sed & eos, qui percipi potuerunt à possessore diligenti, etiam distributiones, deductis expensis necessariis factis causâ fructuum vel in utilitatem Ecclesiæ, S. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Possessor verò bonæ fidei ignorans commissam simoniam, & qui non contradixit, tenetur restituere solùm fructus extantes, non consumptos, titulo rei acceptæ, deductis non solùm expensis, sed etiam stipendiis justi ministerii præstiti, cujusmodi censentur distributiones quotidianæ, stipendia Missarum, &c.

XV. Fructus præfati sunt restituendi Ecclesiæ beneficii, seu illi cui cedunt fructus Beneficii vacantis. Suarez de Sim. cap. 57. n. 26. & 36.

XVI. Nota, quòd regula Cancellariæ de triennali possessione non prosit ei, qui cum scientia simoniæ commissæ accepit Beneficium. Suarez cap. 57. num. 59.

XVII. Laborat Suarez de Sim. cap. 57. n. 49. ut eximat à pœnis simoniæ acquisitionem simoniacam officii spiritualis sive Ecclesiastici, v. g. officii Custodis Ecclesiæ, quod scilicet non includit Ecclesiasticum Beneficium nec dignitatem, quæ per canonicam electionem vel collationem acquiri solent. Eandem resolutionem amplectuntur plures quamvis non ex eadem ratione.

Pontas de Sim. Cas. 7. asserit simoniam à lingua vel ab obsequio non subjici pœnis juris; sed asserti sui temerarii nullum affert fundamentum.

Similiter incognita est potestas, quam tribuit Confessariis, judicandi de pœnis simoniæ.

N. 212. DE VALORE EORUM, QUÆ FIUNT SIMONIACE.

I. *Actus quidam simoniaci validi.* II. *Provisio Beneficii simoniaca invalida.* III. *An jure naturæ invalida controvertitur.* IV. *Opinio Suarez.* V. *Opinio Sylvii.* VI. *Differentia in Praxi.* VII *Mitigat.*

AN sunt invalida, quæ simoniacè fiunt?

R. Distinguendo.

I. Valida est collatio sive administratio simoniaca Ordinis & aliorum Sacramentorum, si reliqua essentalia adsint, quia Christus principaliter operatur effectum.

Valida etiam est simoniaca professio religiosa; acceptatur enim ab Ecclesia.

Item valida est simoniaca emptio calicis vel alterius rei benedictæ antecedenter annexæ spirituali, modo pretium diminuatur ad valorem rei abstractim à benedictione.

II. Invalida est provisio & acquisitio beneficii Ecclesiastici interveniente simonia reali vel confidentiali juxta normam numero præcedenti explicitam; idque ex jure positivo Ecclesiastico extrav. 2. "cum detestabile" de Sim. item invalida est acquisitio pretii simoniaci, de quo num. sequenti.

III. An etiam jure naturali & divino ejusmodi simoniaca provisio sive collatio & acceptatio beneficii est invalida & irrita?

R. Id controvertitur:

IV. Suares de Sim. c. 57. n. 11. Wiggers aliique defendunt non esse invalidam jure naturali vel divino, quia in Collatore est potestas & voluntas conferendi validè, quamvis illicitus modus concurrat: sicuti mutuum sub usura validè datur & accipitur; sicuti etiam simoniaca Beneficii acquisitio valida est, jure naturæ, ubi datur pecunia ad redimendam injustam vexam.

Nec obstat, quòd emptio-venditio simoniaca sit invalida, quia Collator observans formam Ecclesiæ, censetur nomine Ecclesiæ contulisse validè.

V. Sylvius 2. 2. quæst. 100. art. 6. & Daelman sustinent esse invalidam jure naturæ, & favere sibi putant S. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 6. & q. 32. a. 7. & q. 62. a. 5. ad 2. quia Beneficium debet dari *gratis*; quam conditionem dicunt esse substantialem, ita ut potestas sit restricta ad *gratis*; hinc respondent ad fundamenta prioris opinionis, negando in Collatore potestatem dandi aliter quamquàm *gratis*; si autem acquisitioBeneficii, ubi concurrit simonia, declaretur aliquando valida, id provenire ex eo, quòd Ecclesia dispensativè pro supremo suo jure defectum suppleat.

VI. Ex hac opinionum oppositione consequitur notabilis in praxi differentia, nimirum Beneficium obtentum per simoniam mentalem juxta priorem opinionem non esse dimittendum; quod tamen juxta posteriorem opinionem dimittendum est ex jure naturali divino, tanquam invalide acquisitum: mitigationem interim aliquam hi admittunt, videlicet, si animus simoniacus abjiciatur & mutetur, acquisiti-

onem Beneficii fieri validam absque ulla dispensatione: casus hujusmodi leguntur Numero sequenti.

N. 213. DE PRETIO SIMONIACO RESTITUENDO,

1. *Pretium simoniacum dari debet Ecclesiæ.* II. *Pretium ex simonia mentali restituendum danti.*

AN pretium simoniacum restitui debet; & cui?

I. R. Pretium receptum per simoniam realem, quæ prohibetur & punitur legibus, de qua num. 211, non potest retineri nec reddi ei, qui dedit; sed juxta jus commune & S. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 6. dari debet Ecclesiæ Beneficii, vel 2. 2. q. 32. in c. erogari in eleëmosynas, vel dari Cameræ Apostolicæ, juxta consuetudinem loci, etiam ante sententiam judicis declaratoriam.

An & cui restituendum est pretium simoniacum cum simonia solùm mentali vel merè conventionali receptum?

II. R. Variè de hac quæstione disputatur: responsio Sylvii in 2. 2. q. 100. art. 6 est probabilior, quòd pretium simoniacum, ex quacumque simonia, quantum est ex jure naturæ, nunquam possit retineri, quia accipiens nullo munitur justitiæ titulo accipiendi vel retinendi pretium, ergo injustè retinet illud, quod videtur danti restituendum; jura autem positiva nihil disposuerunt circa simoniam mentalem.

Obj. Recipiens pretium simoniacum munitur titulo liberæ donationis dantis, ergo potest retinere.

R. Negatur ant. quia simoniacus recipit illud tanquam pretium, vel saltem tanquam motivum pro re spirituali, sicut solutio usurarum non censetur dari nec recipi instar liberalis doni,

CASUS.

1. PRETIUM simoniacum promissum necdum traditum, non debet nec potest tradi, etiamsi res spiritualis sit tradita.

2. Datum animo liberali, sed acceptatum animo simoniaco retineri non potest; dum tamen cognoscetur esse datum animo liberali poterit eo titulo retineri.

3. Beneficium cum mentali simonia collatum, sed animo à simonia alieno acceptum potest retineri, quia vel validè collatum est juxta Suarez; vel juxta Daelm. Obs. ult. Ecclesia supplet defectum.

4. Beneficium animo liberali collatum, ab altero acceptum animo simoniaco, retineri non potest, nisi tempestivè mutetur vitiosus animus.

5. Modus, quo quis Beneficium suum resignat in manus Summi Pontificis in favorem alterius, sub clausula "nec aliàs nec aliter;" cum expeditione litterarum in Dataria Romana, sed quæ litteræ non levantur, nisi post mortem resignantis; & quæ in vita sæpius renovantur, quod Pragmatici vocant, "nutrire præbendam;" cùm, inquam, ille modus sit fraudulentus, eum dijudicandum relinquo superioribus.

N. 214.

TRACTATUS

DE

BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

I. *Definitio. Duo concurrunt Beneficio.* III. *Exclud. Vicariæ tempor.* IV. *Episcop. constituit Deservitores Parochial.* V. *Puræ fundat. non sunt Beneficia.* VI. *Bona Beneficii transeunt in dominium Ecclesiæ.* VII. *Ampla potestas Papæ.* VIII. *Benefic. habet usumfructum non dominium bonorum.* IX. *Vicariæ perpetuæ reputantur Beneficia.* X. *Officialis in contentiosis.*

QUID est Beneficium Ecclesiasticum?

I. R. A Theologis solet proponi hæc definitio: "est jus perpetuum ministrandi in Ecclesia, habens annexum jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, authoritate Ecclesiasticâ institutum:" nam principale in Beneficio est spirituale officium. Canonistæ præferunt istam definitionem: "est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis ab Ecclesia constitutum propter spirituale officium:" eò quòd Beneficium nuncupetur à benefacere.

II. Igitur in Beneficio Ecclesiastico duo concurrunt: officium spirituale, v. g. recitandi Horas Canonicas, administrandi Sacramenta, &c. & jus temporale percipiendi fructus illi spirituali consequenter annexum.

Quare in definitione dicitur jus perpetuum?

III. R. Ut excludantur Commendæ & Vicariæ temporales, quarum possessores sunt ad nutum amovibiles: quæ non acquiruntur per institutionem Ecclesiasticam collativam: item quia Beneficium perseverat post mortem Beneficiati.

Non obstat perpetuitati Beneficii, quantumvis possessor, ex alio capite sit amovibilis, v. g. Religiosus ex voto Professionis.

IV. Nota, quòd ad Episcopum pertineat constituere Vicarios temporales sive Deservitores Ecclesiarum Parochialium, & eis assignare portionem congruam, quamvis illæ Ecclesiæ sint patronatûs laïci aut Regularium. Deservitor succedit in functiones Pastorales, non in annexas præeminentias, &c.

V. Additur in definitione, "authoritate Ecclesiæ institutum," quo excluduntur fundationes puræ & legata pia etiam pro celebratione Missarum relicta, tametsi ab Episcopo sint approbata; vel etiam officia, quandiu à Pontifice vel Episcopo non sunt erecta in titulum Beneficii: sola autem potestas Papalis, vel Episcopalis prò sua Diœcesi, nulla vero potestas inferior, instituere & erigere Beneficia potest.

Capellaniæ, quæ vocantur laïcæ, non censentur esse Beneficia Ecclesiastica, quia non acquiruntur per ullam institutionem Ecclesiasticam. La Croix lib. 4. n. 236.

VI. Nota, quòd bona temporalia, quæ conceduntur ad erectionem Beneficii, eo ipso quo in iis erigitur titulus Beneficii, transeant in dominium & inter bona Ecclesiæ.

Item quôd onera Beneficio annexa obligent Beneficiatum, non propriè vi voluntatis Fundatoris, qui contribuit bona, sed ex eo, quòd Episcopus in erigendo Beneficio voluerit eadem onera ei annectere juxta petitionem Fundatoris.

VII. Hinc innotescit ampla & suprema potestas Summi Pontificis circa Beneficia; tuanta tamen non est concedenda Episcopis propter decretum Concilii Trid. sess. 25. de ref. cap. 5. Iste autem Fundator, qui vellet alios limites ponere potestati Ecclesiæ, ipse cum suis bonis rejiciendus est.

VIII. Dicitur in definitione, "jus percipiendi fructus," quia Beneficiatus solùm habet usumfructum, non bonorum dominium, quod habet Ecclesia, & ideo Beneficii bona vendere non potest.

IX. Vicariæ perpetuæ reputantur esse Beneficia; unde perpetui Vicarii institutionem accipiunt & functiones exercent jure ordinario non delegato.

X. Vicarius Episcopi in contentiosis, vocatur Officialis Curiæ spiritualis.

Præstimonia & pensiones à ratione Beneficii exclu-

duntur, quia non propter ministerium spirituale principaliter conceduntur, sed ad alimentationem.

N. 215. DE DISTINCTIONE BENEFICIORUM.

I. *In sæculare & regulare.* II. *In duplex & simplex.* III. *Canonicatus & simplex.* IV. *Collativum & elect.* V. *Compatibilia & incompatibilia, &c.*

I. BENEFICIUM Ecclesiasticum dividitur in Beneficium sæculare, quod debetur Clericis sæcularibus, & in regulare, quod competit regularibus; præsumitur autem Beneficium esse sæculare, nisi probetur esse regulare ex sui institutione, vel per præscriptionem 40 annorum.

II. 2°. Dividitur Beneficium in duplex & simplex.

Simplex Beneficium dicitur, quod institutum est simpliciter ad recitanda divina officia.

Duplex vocatur, quod insuper habet aliquam administrationem vel eminentiam, cujusmodi sunt Decanatus & dignitates, & omnia Beneficia curata sive habentia curam animarum.

III. Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis secundùm se quidem habetur Beneficium simplex, sed non in odiosis, quia æquiparatur dignitatibus cap. 11. "Statutum" tit. 3. de rescr. in 6. & Canonici Cathedrales sunt de Senatu Episcopi, cui assistunt consilio & operâ.

IV. 3°. Dividitur in Beneficium collativum, electivum & patronatum.

V. 4°. Quædam dicuntur compatibilia, quædam incompatibilia; quædam uniformia, quædam difformia; quædam requirentia residentiam, &c.

Aliqui adjiciunt Beneficia manualia: putant enim alqua esse verè Beneficia, quamvis ex fundatione possessores sint ad nutum amovibiles. La Croix lib. 4. 219.

N. 216. DE MODIS ACQUIRENDI ET AMITTENDI BENEFICIA.

I. *Beneficia 5. Modis acquiruntur.* II. *Præsent. dat jus ad rem, Collatio jus in re.* III. *Ex, de, juxta consilium important conditionem essentialem.* IV. *Multis modis vacant vel amittuntur Beneficia.* V. *Vacant quandoque de facto & de jure.*

QUIBUS modis acquiruntur Beneficia?

1. His potissimùm modis :

1. Collatione liberâ;

2. Præsentatione vel nominatione, & subsecutâ institutione seu collatione vel investiturâ;

3. Electione, & subsequente confirmatione Superioris;

4. Postulatione, & subsecutâ admissione & confirmatione;

5. Insuper acquiruntur Beneficia permutatione vel resignatione in favorem; verùm & tunc intervenit quædam nova collatio.

II. Observa, quòd præsentatio & electio præbeant solùm jus ad rem, collatio verò & institutio & confirmatio tribuant jus in re, id est, faciant Beneficium esse verè acquisitum, ità ut possit ante acceptam possessionem permutari cum alio. Pontas cas. 5.

III. Dum in fundatione dicitur quidpiam agendum, "ex, de, juxta, vel secundùm" consilium alicujus, illi termini important consilium istius esse sequendum sub conditione valoris aut nullitatis actûs: idem est, si dicatur, cùm consensu istius agendum.

Si autem dicatur, cum consilio istius agendum, significatur, consilium esse audiendum, non necessariò sequendum.

Si dicatur, cum interventu istius, sufficit ejusdem præsentia.

Quibus modis possunt Beneficia vacare, vel amitti?

R. Varios modos recenset Andr. Vall. in lib. 3. tit. 8. Item Rebuffus Prax. Benef. p. 3. inter quos magis obvii sunt sequentes.

IV. 1. Per mortem naturalem; item per mortem civilem, uti per professionem in Religione approbata;

2. Per dimissionem vel per renuntiationem Beneficiati;

3. Per matrimonium validum superveniens Beneficiati;

4. Per acquisitionem & possessionem pacificam alterius Beneficii incompatibilis;

5. Per simoniam aliquando;

6. Per Hæresim manifestam & publicam; & per alia plura crimina cum sententia justâ Superioris. Vide Pontas V. "Devolutum" cas. 1. & Rebuff. p. 3. Prax. Benef. Less. de Benef. dub. 34. Denique Episcopus Parochum scandalosæ vitæ potest privare Pastoratu. Conc. Trid. sess. 21. c. 6. ref.

Rebuffus pag. 3. observat, quomodo quis conseatur renuntiare Beneficio implicitè, & hâc ratione dicitur Beneficium quandoque derelictum aut desertum, dum v. g. quis negligit tempore petere institutionem, vel alias conditiones adimplere.

V. Beneficia quandoque dicuntur vacare de jure & de

facto simul; quandoque de jure, non de facto, & quandoque de facto, non de jure. Fagnanus in lib. c. "Litteras de concess. Præb." Item Andr. Vall. 1. 3. t. 8. §. 2.

N. 217. DE JURE PATRONATUS BENEFICIORUM.

I. *Definitio.* II. *Quid sit præsent.* III. *Divisio in reale & personale.* IV. *Patronatus Eccl. Laïcus & Mixtus.* V. *Quibus modis acquiratur Patronatus.* VI. *Patronus Lacius habet* 4. *menses, Eccles.* 6. VII. *Pærsent. & col. Beneficii non vacantis est irrita.* VIII. *Licet plures simul præsent.* IX. *Præsentans indignum.* X. *Non potest præsentare seipsum.*

QUID est jus patronatûs Beneficii?

I. R. Est potestas præsentandi Clericum instituendum ad Beneficium vacans. Qui potitur jure illo vocatur Patronus Beneficii.

II. Præsentatio illa est exhibitio clerici beneficiandi, facta illi, cui competit institutio sive collatio ejusdem Beneficii.

III. Jus Patronatûs dividitur in reale, quod adhæret fundo, & in personale quod sequitur personam aut qualitatem ejus: reale exercet usufructuarius, personale devolvitur ordinariè ad Successorem: Tutor præsentat pro pupillo; si hic sit puber, requiritur ejus consensus.

IV. Secundò dividitur patronatus in Laïcum, Ecclesiasticum & mixtum: patronatus laïcus est, qui potest competere laïcis & clericis ratione patrimonii vel privilegii: Ecclesiasticus est, qui fundatur in titulo quodam Ecclesiastico; mixtus patronatus est, ubi ejusdem Beneficii patroni sunt Laïcus & Ecclesiasticus.

Qualis est patronatus, qui Abbatissis ratione Monasterii, aut Æditluis competit ratione Ecclesiæ?

R. Est Ecclesiasticus.

Quibus modis acquiritur jus patronatûs?

V. R. Fundatione, dotatione, vel ædificatione Ecclesiæ: item per privilegium sive per concessionem; item successione vel acquisitione rei, dignitatis vel officii, cui jus patronatûs annexum est. Patrono Ecclesiæ datur primus locus in Ecclesia illa ante Toparcham.

Quantum tempus conceditur Patronis ad præsentandum?

VI. R. Patrono laïco dantur quatuor menses à die no-

titiæ vacationis Beneficii, Ecclesiastico Patrono conceduntur sex menses, intra quod tempus si negligant præsentare quempiam, excidunt hâc vice à jure præsentandi, & devolvitur ad collatorem vel Episcopum. de quo infra n. 222.

VII. Præsentatio vel collatio facta, scienter, non vacantis beneficii, est irrita, cap. 2. & 13. tit. 8. "de Conc præb." lib. 3. decretal; ne detur occasio desiderandi mortem Beneficiati: debet autem in præsentatione exprimi ex qua causa vacet Beneficium.

Hinc & promissio conferendi Beneficii nondum vacantis est similiter irrita, cap. 2. "Detestanda" lib. 3. tit. 7. in 6. quantumvis generaliter facta: ait Andr. Vall.

Coadjutoriam cum jure successionis concedere potest solus Summus Pontifex. La Croix lib. 4 num. 719.

VIII. Patronus tam Ecclesiasticus quàm Laicus potest plures simul præsentare, ut ex iis unum eligat collator.

Patronus Laicus post præsentationem primi potest variare semel & præsentare secundum, cap. 24. "cùm autem" tit. 38. lib. 3. si tempus 4 mensium non effluxerit, & primus necdum institutionem acceperit: verumtamen præsentationem primi revocare aut irritare non potest: & hoc casu collator eligit alterutrum.

Patrono Ecclesiastico, uti & collegio, non licet variare seu præsentare secundum; neque hoc licet in electionibus. Vide Gonzales lib. 3. t. 38. c. 5.

IX. Patronus Laicus præsentans indignum potest secundum præsentare, non sic Patronus Ecclesiasticus, saltem dum scienter indignum præsentavit.

X. Nemo potest seipsum præsentare, in odium ambitionis; c. 26. "per nostras" lib. 3. t. 38. potest interim renuntiare illâ vice juri suo præsentationis in manus collatoris, & ita ab eo institui. Unus Patronus præsentare potest alium compatronum.

N. 218. DE COLLATIONE ET INSTITUTIONE BENEFICII.

I. *Definitio.* II. *Divisio in liberam & non liberam.* III. *Collatio non libera.* IV. *In causa litigiosa omnes præsentati instituuntur.* V. *Jus instituendi Episcopis competens ad alios etiam pervenit.* VI. *Episcop. dat curam animarum & sibi retinuit examen de idoneitate.* VII. *Parochus potest revocari ad examen.* VIII. *Collatio Beneficii solis Clericis potest competere.*

QUID est collatio vel institutio Beneficii?

I. R. Est Canonica Beneficii concessio, sive traditio juris in re.

Debet autem collatio esse pura, determinata ad personam, in perpetuum, absque diminutione, & fieri gratis ac liberè.

II. Dividitur in collationem liberam & non liberam.

Collatio dicitur libera, quando collator ex solo jure proprio confert Beneficium absque Patroni præsentatione vel aliorum electione aut nominatione.

III. Collatio non libera seu necessaria dicitur, quando confertur Beneficium in vim præsentationis Patroni vel nominationis cujuspiam, & vocari solet institutio Beneficii collativa.

Collator autem tenetur præsentato, non alteri, Beneficium conferre (intra sex menses ut quidam deducunt ex cap. *nulla* tit. 8. lib. 3.) nisi defectus idoneitatis vel alia causa obsistat.

IV. Si in causa litigiosa præsententur plures, hodie passim obtinuit, ut singulis detur collatio sive institutio ad conservationem juris, sine præjudicio alterius.

V. Juxta Conc. Trid. sess. 14. c. 13. de ref. collatio sive institutio Beneficiorum competit Ordinario loci; idque observatur in Diœc. Gand. Brug. & Torn.: sed ex privilegio vel consuetudine ad alios etiam jus illud collationis pervenit: ac ita quædam Capitula jure instituendi potiuntur; & in Diœcesib. Mech. Cam. Antu. Nam. & Leod. institutio collativa tituli plurimorum Beneficiorum, quasi ex consensu Episcopi, ad Archidiaconos paulatim pervenit, ita ut jam etiam jure proprio instituant.

VI. Episcopi interim circa Beneficia curata aliquid sibi retinuerunt, nimirum examen idoneitatis & collationem curæ animarum, ita ut Archidiaconus solummodo conferat titulum Beneficii, Episcopus verò jurisdictionem: illa enim sunt separabilia, prout patet in Parocho censurâ suspensionis innodato: propterea, præter litteras institutionis Archidiaconi, requiruntur litteræ Episcopi concedentis curam animarum. Hæc notanda, quoniam Scholastici Scriptores non solent hæc satis accuratè exponere.

Juxta Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de ref. prærequiritur examen Episcopi pro omnibus Beneficiis, sed quoad Beneficia simplicia usus istius desiit.

Obj. Nominati ab Universitatibus excipiuntur ab examine Episcopi. Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. reform.

R. Id revocatum est à Concilio sess. 24. c. 18. & à Greg. XIII.

VII. Notat La Croix lib. 4. n. 603. quòd Parochus ad aliam Parochiam transferendus meritò iterum examinetur: imò quòd Parochus quiscumque possit ex causa revocari ad novum examen, n. 605. Desuper Gavantus in Manuali Episc. tit. vis. Ep. refert declarationem Congreg. Conc. de 6 Aug. 1628.

VIII. Institutio vel collatio Beneficii Ecclesiastici competere non potest, nisi Clericis, quia pertinet ad spiritualem jurisdictionem, unde nec à Laïcis præscribi potest: ex privilegio tamen Apostolico posset Laico executio collationis vel institutionis committi: & ita Rex Galliæ prætendit conferre Beneficia tempore currentis Regaliæ.

Mortuo Episcopo, Capitulum confert de jure Beneficia necessaria, non libera: Cocq. 585.

N. 219. DE IMMISSIONE IN POSSESSIONEM.

I. *Institutio corporal.* II. *Formula introductionis.* III. *Possessio potest capi per Procuratorem.* IV. *Possessor triennal.* V. *Possessio decennalis.*

I. IMMISSIO in possessionem, olim incognita, est institutio corporalis & quasi traditio Beneficii completiva; propterea fit per ipsum collatorem, vel per Clericum ab eodem authorisatum sub hac aut simili formâ.

II. Ego N. authorisatus ab N. in vim Litterarum collationis N. induco te N. in realem, corporalem & actualem possessionem Beneficii N. per traditionem hujus libri & osculum altaris, in nomine Patris & Filii, &c.

Illa institutio in possessionem hîc competere solet Archidiacono, qui eam committit Archipresbyteris loci, quamvis ubique locorum possit peragi, cùm sit actus jurisdictionis voluntariæ.

III. Potest etiam possessio capi per alium habentem procurationem in scriptis, sive mandatum speciale, qui jurat in animam constituentis sui.

Mittendus in possessionem prævîè præstare debet professionem fidei Pii IV. & juramentum ordinarium.

Formulam juramenti Pastoris reperies in Synodo Prov. anni 1607. tit. 17. & professionem fidei Pii IV. reperies in initio Pastoralis.

IV. Possessor triennalis, pacificus & bonæ fidei, Beneficii cum titulo saltem colorato, non potest lite molestari super eo in judicio, neque, ut videtur, in conscientia juxta Reg. 3. Cancellariæ; nisi fuerit intrusus aut simoniacus,

vel aliud, addit Antoine lib. 4. p. 689., habuerit impedimentum Canonicum. Consule La Croix lib. 4. n. 689.

Intrusus dicitur, qui sine titulo, vel qui propriâ authoritate cepit possessionem. Plura vide apud La Croix lib. 4. n. 713.

V. Possessio pacifica & bonæ fidei decennalis inter præsentes & vicennalis inter absentes (nisi constet de intrusione), præscribit jus in Beneficio, & habet vim tituli, ut de alio doceri non debeat, nequidem colorato. La Croix lib. 1. n, 715 & 716.

N. 220. DE ELECTIONE AD BENEFICIA ET POSTULATIONE.

I. *Definitio.* II. *Ex pluralitate Votorum.* III. *Electio requirit confirm.* IV. *Electio collativa.* V. *Omnes vocari debent.* VI. *Electio spectat ad Collegium.* VII. *Triplici modo potest fieri electio.* VIII. *Superiores per Vota secreta eligantur.* IX. *Postulatio ad Beneficium.*

I. ELECTIO est designatio personæ ad Beneficium facta per suffragia.

II. Juxta Conc. Lateran. requirebantur pro valida electione suffragia majoris & sanioris partis eligentium, sed hodiedum numerantur suffragia; imò solet electio concludi ex pluralitate suffragiorum respectu electorum, quamvis non ascendat ad medietatem suffragiorum eligentium: electio Papæ tamen adhuc modò requirit duas tertias suffragiorum eligentium, sicut & postulatio. Invalida est electio suî ipsius.

III. Omnis electio, exceptâ electione Papæ, requirit confirmationem vel installationem Superioris, quæ tribuit jus in re.

IV. Sed electiones in Capitulis frequenter sunt potiùs nominationes vel collationes, & vocantur electiones collativæ, quæ non exigunt confirmationem alterius. Rebuff.

Electus debet intra mensem præbere consensum, & intra tres menses petere confirmationem, alias amittit jus.

Si major pars elegerit scienter indignum, valet electio de digno facta à minori parte in eodem scrutinio. c. 53. lib. 1. t. 6. item cap. 22. "dudum."

V. Ad electionem collegialiter faciendam convocari debent omnes habentes jus suffragii; ita ut vel unus non vocatus electionem infirmare possit, si contradicat; si autem non contradicat, firma est electio.

VI. Electio spectat ad Collegium vel Capitulum; requiruntur autem tres ad constituendum Capitulum, ad illud conservandum duo, & ad jura illius servanda sufficit unus, ideoque talis poterit eligere.

In iis constituendis, quæ ad totum Capitulum pertinent collectivè, sufficit pluralitas votorum, ut omnes teneantur; sed pro illis, quæ omnibus ut singulis communia sunt, servit regula 29. juris in 6: "quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari." Gonsalez lib. 1. t. 6. c. 57. n. 8.

VII. Forma electionis triplex est: 1. scrutinii, 2. compromissi, 3. inspirationis, aut quasi inspirationis. Cap. 42. tit. 6. libri 1.

VIII. Conc. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 6. statuit, quòd Superiores Regularium eligi debeant per vota secreta, & quòd non liceat suffragia absentium supplere.

Quid est postulatio ad Beneficium?

IX. R. Est petitio personæ, habentis impedimentum, ad Beneficium, quod impedimentum per dispensationem tolli potest. Ita Episcopus ad alium Episcopatum non eligitur, sed postulatur, quæ postulatio dirigitur ad confirmantem, vel ad dispensantem.

N. 221. DE PROVISIONE PAPALI.

I. *Papa dividit menses cum Episcopis & Patronis eccles.* II. *Quibus modis Papa Beneficia conferat.* III. *Usus in Belgio.*

QUANTUMVIS Summo Pontifici competat jus absolutissimum disponendi de omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, eo tamen non utitur: sed jura, favores & privilegia aliis data continuat, concordata æquè observat, & consuetudines rationabiles permittit.

I. Sic Summus Pontifex alibi observat alternativam mensium cum Episcopis, eam petentibus & residentibus, pro Beneficiis liberæ collationis eorumdem: & cum aliis Collatoribus Ecclesiasticis dividit menses, octo sibi reservans.

La Croix lib. 4. num. 503. refert concordata Germaniæ, & aliarum Regionum.

Quibus generaliter modis potest Papa providere de Beneficiis Ecclesiasticis?

II. R. His, 1. simplici viâ juris; 2. jure reservationis; 3. jure devolutionis; 4. viâ gratiæ per exspectativas, antequam Beneficium vacet, sed hic modus sublatus est per

Conc. Trid. sess. 24. cap. 19. similiter exspectativæ pauperum improbantur, quia "consulendum muneribus, non hominibus" ait Barth. de Mart. 5. jure concursûs, quando Papa confert Beneficium vacans, præveniens tempore Collatorem; sed hic modus pariter cessat in locis, ubi Papa reservat menses.

III. Observa, quòd in Belgio ex usu non reserventur Summo Pontifici Beneficia Parochialia, nec dignitates electivæ, nec Canonicatus Graduati, neque Beneficia patronatûs laïci aut mixti; deinde in resignatione vel permutatione Beneficia eximuntur à reservatione Papali.

N. 222. DE JURE DEVOLUTO.

I. *Definitio exempl.* II. *Devolut. fit ad Episcopum loci.* III. *Præsent. Patroni purgantis moram admittitur.*

QUID est jus devolutum?

I. R. Est jus conferendi Beneficium translatum ad Superiorem ob negligentiam vel culpam ejus, ad quem spectabat provisio: v. g. si Patronus Ecclesiasticus, cognoscens vacare Beneficium suæ præsentationis, cessante impedimento, negligat præsentare Clericum ad Beneficium vacans intra sex menses, vel Patronus laïcus intra quatuor menses, devolvitur jus ad Episcopum vel alium habentem jus institutionis, qui eo casu Beneficium illud liberè confert sine præsentatione Patroni, & etiam inducit in possessionem: quidam malunt dicere, quòd Episcopus eo casu conferat jure ordinario, non devoluto, sed in idem redit.

II. Devolvitur autem illud jus ad Episcopum loci Beneficii, non ad Episcopum Patroni, & ab Episcopo post semestre devolvitur ad Archiepiscopum, & ultimatè ad Summum Pontificem, qui potest etiam ratione concursûs in jure devoluto prævenire Episcopum. Ita Rebuff.

Collatio Beneficiorum exemptorum similiter devolvitur ad Episcopum tanquam delegatum Apostolicum, Rebuff. La Croix lib. 4. n. 565.

Quid si Patronus post tempus 4. vel 6. mensium elapsum præsentet quempiam ad illud Beneficium, an validè?

III. R. De jure præsentatio est invalida, quia jus præsentandi pro illa vice amissum & translatum est. In hac patria tamen, si Patronus purgans moram præveniat Superiorem, ad quem jus devolutum erat, præsentatio vel

provisio sustinetur, ex patientia, ait Andr. Vall. lib. 3. t. 8. §. 3. n. 1. tanquam valida & firma; nam principalis intentio hìc adimpletur, ut nimirum Beneficia non diu vacent.

N. 223. DE RESIGNATIONE ET PERMUTATIONE BENEFICIORUM.

I. *Resignatio simplex fit ad munus Patroni vel collatoris.* II. *Resignat. conditionata fit coram solo summo Pont.* III. *Quæ commendatio sit licita.* IV. *Permutatio.* V. *Resignatio facta mortis causâ, si intra 20 dies mor. recidit in nihil juxta Reg.* 18 *Canc.* VI. *Si non ex causa infirmitatis, manet firm.* VII. *Consens. Patroni.*

RESIGNATIO Beneficii est duplex; una dicitur "simplex" sive pura, alia "conditionata."

I. Resignatio simplex pura & absoluta est voluntaria dimissio Beneficii ad manus ejus, ad quem spectat provisio: ita habet consuetudo moderna, sed olim renuntiatio Beneficii fieri nequibat sine consensu Episcopi.

II. Resignatio seu dimissio Beneficii conditionata, sive sit in favorem tertii sub clausulis "nec alias, nec aliter," sive sub pensione, sive sub quocumque pacto, fit coram Summo Pontifice, non coram Episcopo; uti etiam resignatio triangularis vel reciprocè in tertium.

III. Potest tamen post simplicem resignationem jam factam coram Patrono vel Collatore, fieri eidem commendatio, in favorem cujuspiam.

An possit similis commendatio, exclusâ omni obligatione & pacto, à resignante fieri ante factam resignationem?

Negant aliqui ob Bullam Pii V. "quanta. Ecclesiæ;" sed Wig. tract. 7. c. 4. dub. 13. n. 76. affirmat, & explicare conatur præfatam Bullam; Daelman vero ex Zypæo dicit, eam hìc non esse receptam. Qualiter simonia in præfatis committi possit, explicatum est supra in Tractatu de Sim. num. 203.

IV. Permutatio Beneficiorum, sive Resignatio permutationis causâ, est mutua Beneficiorum resignatio in manus Papæ vel Episcopi sub conditione, ut ipse transferat unius Beneficium in alium, & vicissim.

Si Beneficia sint sita in diversis Diœcesibus, permutatio coram utroque Ordinario perficitur; si autem sint Beneficia reservata Papæ, coram eodem permutatio peragi debet.

Qui Beneficii collationem obtinuit, licèt possessionem ejus nondum acceperit, potest illud permutare.

V. Permutatio vel resignatio in favorem, facta ex causa infirmitatis juxta regulam 18. Cancellariæ recidit in nihilum, si infirmus resignans intra 20 dies à resignatione vel permutatione factâ moriatur, & utrumque Beneficium vacat.

Excludit Zypæus ab hac regula permutationes factas coram Ordinario; sed in id alii non consentiunt, eo quòd in regula sint addita hæc verba "quavis authoritate conferatur," per Paulum III.

VI. Si quis sanus, sive extra infirmitatem, perfecerit resignationem vel permutationem, manet ea firma, etiamsi intra 20 dies obveniat eidem mors, quia non causâ infirmitatis facta est.

Præfatam regulam quoad singula verba exponit Rebuffus in praxi Benef. p. 3.

VII. Permutatio perficitur authoritate Papæ vel Episcopi loci; sed expostulatur consensus Patronorum aut collatorum; illis eum recusantibus, per Episcopum suppleri potest iste consensus Patroni vel collatoris Ecclesiastici, non consensus patroni Laïci, nisi per Papam.

N. 224. DE UNIONE BENEFICIORUM.

I. *Unio triplex.* II. *Æquè principaliter.* III. *Unio fit authoritate Papæ vel Episcopi.* IV. *Requiritur consensus Patroni Laïci.* V. *Similiter fit dissolutio.* VI. *Unionis, item divisio Beneficii.*

I. UNIO Beneficiorum perpetua, sive realis (temporalis ad vitam in Belgio non admittitur) est triplex: 1. "extinctiva, 2. accessoria, 3. & æquè principaliter consistens."

Unio extinctiva sive suppressiva facit, ut titulus & prærogativæ unius extinguantur, solique fructus maneant annexi alteri Beneficio.

Unio accessoria efficit, ut Beneficium accessum amittat nomen Beneficii, maneat tamen quoad jura, opera, &c.

II. Unio æquè principaliter fit, quando utriusque jura, prærogativæ & onera perseverant, quo modò Canonicatus solet uniri dignitati.

Censetur autem similis unio facta, si in rescripto ponatur, "illud & istud unimus:" si verò dicatur, "tale Beneficium unimus illi," judicabitur facta unio accessoria vel extinctiva. La Croix lib. 4. num. 28.

III. Cujus authoritate perficitur Beneficiorum unio?

R. Authoritate Papæ vel Episcopi loci, vel etiam Capituli sede vacante. Vide Conc. Trid. sess. 21. c. 5. Reform. sess. 14. c. 9. sess. 24. cap. 13 & 15.

IV. Multæ interim solemnitates observandæ; & dum uniuntur Beneficia patronatûs laïci, requiritur Patronorum consensus: & pro unione Papali in hac patria requiritur Placitum Regium, non pro unione Episcopali.

V. Similiter eadem authoritate fieri potest dissolutio unionis; item divisio unius Beneficii in plura; item dismembratio, quæ est quorumdum fructuum separatio.

VI. Unio præfata vel dissolutio peragi potest vivente Beneficiato, sine ejus præjudicio tamen, habitura plenum effectum, dum Beneficium vacabit.

N. 225. DE QUALITATIBUS BENEFICIATORUM.

I. *Sit legitimus.* II. *Tonsuratus.* III. *Ordo sacer intra annum suscipiendus.* IV. *Habeat ætatem requisitam.* V. *Sit cælebs.* VI. *Probitas morum adsit & scientia debita.* VII. *Non sit irregul. nec cens. innodatus.* VIII. *Recta intentio adsit.*

QUÆ qualitates vel conditiones in Beneficiato requiruntur?

I. R. Primò requiritur natalium legitimitas, ita ut illegitimus sit incapax Beneficii acquirendi. Super hoc defectu dispensat Episcopus, sed solùm pro recipiendis tonsura & simplici Beneficio, non in eadem Ecclesia cum patre suo.

Deinde requiritur ex parte corporis talis dispositio, quæ est necessaria ad munia Beneficii decenter obeunda; defectus tamen in his superveniens non privat Beneficio ante acquisito.

II. 2°. Requiritur tonsura clericalis actu suscepta, quia jure canonico nullus est habilis ad Beneficium Ecclesiasticum, nisi sit tonsura clericali insignitus.

III. Si autem alicui Beneficio insuper annexus sit Ordo aliquis Sacer, is suscipi debet saltem intra annum. Consule Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de Ref. & ita si quis donatus Pastoratu negligat intra annum suscipere Ordinem Sacerdotii, existit ipso jure privatus Pastoratu. Cap. "licet" de Elect. in 6.

Nota, Ordinem vel aliam qualitatem pro Beneficiò requiri aliquando secundùm actum, aliquando secundùm aptitudinem solùm; quod noscitur ex jure vel ex fundatione.

IV. 3°. Requiritnr certa ætas: pro Episcopatu requiritur ætas 30 annorum completorum; pro Beneficio Parochiali & dignitate, cui annexa est cura animarum, requiritur annus 25 inchoatus, pro aliis dignitatibus non sit minor 22 annis; Conc. Trid. sess. 14, c. 12. ref. Ad reliqua Beneficia simplicia acquirenda sufficit ætas anni 14. inchoati. Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. ref. nisi aliud tempus determinetur in ipsa fundatione, cui Conc. Trid. non derogat juxta Wig. Dispensatio super ætate hodiedum à Summo Pontifice solo conceditur.

De ætate Priorissæ Monialium eligendæ, consule Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. Regul.

V. 4°. Requiritur cælibatus, & quidem si Beneficiatus contrahat matrimonium validum, ipso jure amittit Beneficium Ecclesiasticum: permittitur Uxorato, non bigamo, accipere Beneficium, si castitatem voveat, &c. Consule tit. de Clericis conjugatis.

VI. 5°. Requiritur probitas morum, & legitimum de ea testimonium.

Item requiritur scientia respectivè ad quodlibet Beneficium congrua, & talis, quæ ad munus annexum ritè obeundum est necessaria.

Existimant plurimi defectum probitatis morum vel scientiæ infirmare collationem Beneficii, tanquam indigno factam; nam hi defectus morum & scientiæ æquiparantur defectibus ætatis & natalium: & Conc. Trid. addit; "aliter irrita sit provisio." Hinc collatio facta illiterato est irrita. Cap. "Illiteratos," Dist. 36.

VII. 6°. Irregularis, vel excommunicatus, vel suspensus, aut ob culpam interdictus Beneficia non acquirit validè: verumtamen irregularitas aut censura superveniens non sic mox privat Beneficio antè acquisito.

VIII. 7°. Requiritur recta intentio, de qua sit num. seq.

N. 226. DE INTENTIONE ACCIPIENDI BENEFICIA.

I. *Intentio statûs Ecclesiastici.* II. *Intentio transeundi ad sæculum vitiat.* III. *Accipiens Pastorat. sine animo Sacerdotii.* IV. *Cum animo resignandi.* V. *Intentio secundaria sustentationis.*

QUALI intentione oportet accipere Beneficia?

I. R. Cum intentione statum Ecclesiasticum amplectendi, & suscipiendi Ordinem secundùm exigentiam Beneficii, ac ejusdem officia adimplendi.

II. Hinc qui accipit Beneficium animo postea transeundi ad sæculum, validè quidem, etiam fructus, si satisfecerit muneri suo, accipit; sed juxta Wiggers & Sylvium peccat; nam Beneficium Ecclesiasticum est perpetuum.

III. Qui accipit Parochiale Beneficium sine animo suscipiendi intra annum Ordinem Sacerdotii, validè accipit, sed privatur fructibus pro illo tempore, cap. "Commissa" de Elect. in 6.

IV. Hæc pœna non videtur extendenda ad Sacerdotem, qui illud accipit cum animo resignandi vel permutandi, etiamsi peccet: Bulla autem Pauli IV. "inter cæteras Curas" opposita, concernit Datariam Romanam, non hanc patriam. Ita Filliuc. t. Tract. 1. 15. c. 5. q. 4. n. 101.

Secundò susceptio Beneficii exigit, ut intendatur principaliter cultus Dei. Intentio secundaria temporalis sustentationis sive alimentationis ad debitè adimplendum Beneficii onera, vitio caret; sed hæc principalis vel primaria esse non potest.

N. 207. AN LICET PETERE VEL APPETERE BENEFICIUM?

S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 5. ad 3. *&* *q.* 185. *a.* 1.

I. *Non licet appetere curam animarum.* II. *Responsio Sylvii.* III. *In concursu non licet petere.*

I. RESPONDET S. Thomas: "si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus."

Obj. 1. Ad Timoth. c. 3. v. 1. S. Paulus ait: si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat."

R. Non dicit Apostolus, quòd *bene* desideret, nam res bona potest male appeti.

R. 2°. Supposità legitimâ vocatione, licitè desiderari & acceptari potest, sive, ut docet S. Greg. lib. 1. c. 8. de cura Past. dum desideratur ministerium, non prælatura.

II. Cum tamen hæc S. Thomæ reposio secundùm corticem videatur quibusdam æquo durior, ideo Sylvius intelligit S. Thomam loqui de eo, qui petit curam illam animarum sine examine vel vocatione, proprio judicio se digniorem reputans; qui peccat regulariter, quia præsump-

tionem committit, munus ejusmodi divinum appetens sine Superiorum examine vel vocatione, cùm dicatur Eccl. 7. v. 4. "Noli quærere à Domino ducatum," & ad Hebr. 5. v. 4. "Sed qui vocatur à Deo tanquam Aäron."

Respondent alii, quòd non liceat appetere curam animarum absolutè, sed solùm conditionate.

III. Hinc deducitur, non peccare eos, qui petunt Pastoratum per concursum, quia vocati sunt ab Episcopo: neque etiam si in manifesta Ecclesiæ necessitate se offerant: quomodo Isaïas se obtulit "ecce ego, mitte me," ad vocem Dei vocantis: "quem mittam?" Isa. 2. v. 8.

S. Thom. loco præfato adjungit: "si quis sit indigens, potest pro se petere Beneficium sine cura animarum."

N. 228. BENEFICIA DIGNIS, NON INDIGNIS CONFERENDA.

I. *Vox* dignus. II. *Dignus simplicit.* III. *Dignior.* IV. *Dignissimus.* V. *Indignus.* VI. *Sanctior non semper præferendus Doctiori, nec è contra.* VII. *Ratio meritorum haberi potest.* VIII. *Nunquam licet indigno conferre Beneficium.* IX. *Si dignus non inveniatur.* X. *Casus, ubi indigno confertur juxta Wiggers.*

I. PRÆNOTANDA terminorum significatio: itaque, Vox "dignus" complectitur hæc duo: 1. bonitatem vitæ sive honestatem morum: 2. idoneitatem scientiæ cum cæteris qualitatibus ad Beneficium requisitis, de quibus N. 225. Quidam dignum distinguunt ab idoneo; sed hìc vox "dignus" comprehendit utrumque.

II. Dignus simpliciter dicitur, qui, præditus omnibus qualitatibus & conditionibus requisitis, creditur sufficienter adimpleturus ministeria Beneficii.

III. Dignior est, qui in illa qualitate speratur ministeria Beneficii melius altero adimpleturus.

IV. Dignissimus vocatur, qui inter omnes dignos creditur ministeria Beneficii optimè perfecturus.

V. Indignus dicitur, qui ineptus est ad ministeria Beneficii, aut equidem non est præstiturus illa ministeria.

VI. An magis sanctus semper haberi debeat magis dignus pro Beneficio, aut è contra?

R. Negativè cnm S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. in c. & q. 185. a. 3. nam considerandæ sunt insimul omnes circumstantiæ temporis, loci, personarum, &c. & ita doctior alibi præferendus meliori, & è contra alibi sanctior doctiori: alibi

dives pauperi; junior seniori; indigena extraneo; notus frequenter anteponendus incognito, &c. generatim iste judicandus est magis dignus, per quem fines Beneficii, honor Dei, & utilitas Ecclesiæ magis obtinebuntur.

VII. Wiggers cap. 3. dub. 8. n. 15. explicat, quomodo cum eo consistat, quòd in collatione Beneficiorum habeatur ratio meritorum & ministeriorum ante præstitorum; quia idipsum tendit in bonum Ecclesiæ: deinde Beneficia simplicia secundariò sunt instituta ad sustentationem, & in præmium virtutis ac meritorum.

An licet aliquando conferre Beneficium indigno?

VIII. R. Nunquam positivè indigno: & hujusmodi provisio Beneficii curati certò, simplicis probabilissimè continet peccatum mortale: atque ad restitutionem fructuum & damnorum obligatur Ecclesiæ ipse indignus, eoque deficiente conferens & præsentans. Ratio, est, quòd disposuerint de Beneficio contra commissionem sibi à Deo & ab Ecclesia concessam; proinde collatiò sive provisio invalida est. Wigg. in 3. Modus restituendi esse potest, vel surrogare alium dignum vel talem adjungere.

Quid si dignus inveniri nequeat?

IX. R. Tunc casus committendus esset providentiæ Dei, quia Ecclesiam suam non derelinquet destitutam dignis Ministris.

X. Existimat interim Wig. Tract. 7. dub. 6. n. 27. quando dignus haberi non potest, Beneficium posse conferri ei, qui aliquas habet qualitates, qui tamen non sit improbæ & desperatæ vitæ, propter gravem causam, v. g. ne occupetur Beneficium ab hostibus fidei, aut à magis indignis.

N. 229. BENEFICIA CONFERENDA DIGNISSIMIS.

I. *Non licet prætermittere Dignior. Probatur ex ratione,* II. *Ex Conc. Trid.* III. *Ex Scrip. Sacra.* IV. *Ex damnatione proposit.* V. *In foro judiciali præsentatio digni non potest impugnari.* VI. *Probabilius non obligant. ad restitutionem.* VII. *In concursu prætermissio dignioris inducit debitum restitutionis.* VIII. *Removentur scrupuli.* IX. *Resignans tenetur eligere digniorem.*

AN licet Beneficium simpliciter digno conferre prætermisso dignissimo vel digniori?

1. R. Negativè, quia hoc pertinet ad personarum acceptionem, ait S Thom. 2. 2. q. 185. a. 3. in c.

Ratio altera est, quòd prætermissio dignioris vergat in detrimentum Ecclesiæ & animarum; nam magis dignus majorem produceret fructum, ut supponitur.

II. Probatur ex Conc. Trid. sess. 24. c. I. & c. 18. ref. quod dicit eligendum esse Pastorem "cæteris magis idoneum:" & sess. 6. c. 1. reform. "maximè digni assumantur."

III. Hinc legimus, Christum Petro promovendo ad curam ovium suarum proposuisse: "Diligis me plus his?"

IV. Denique hæc res definita est quoad Beneficia curata per condemnationem propositionis 47. ab Innoc. XI. ita ut promoventes minùs dignos peccent mortaliter; cui consonat S. Th. loco præfato.

Wiggers & La Croix dicunt idem observandum circa Beneficia simplicia, saltem quæ sunt majoris momenti.

Præfata doctrina obstringit conscientias omnium Patronorum, etiam Laïcorum, Eligentium, Collatorum, &c. inquantùm id in eorum liberâ dispositione consistit: hi enim non sunt Beneficiorum domini, sed dispensatores.

Propterea De Cocq. pag. 590, improbat usum præferendi semper seniorem Monachum ad Pastoratum.

V. Obj. Jura solùm requirunt, ut promovendus sit dignus, & Conc. Trid sess. 24. cap. 18. ref. pro præsentatione laïco solùm requirit ut præsentatus sit idoneus, non ut sit dignior.

R. cum S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. quòd jura dicant, quid sufficiat ut electio impugnari non possit in foro externo; sid in foro interno sive in conscientia id non sufficit.

An præfati in casu posito promotionis digni, prætermisso digniori, obligantur ad restitutionem aliquam?

VI. R. Wiggers, Daelman & responsio communior negant extra concursum; non enim obligantur digniori; quia ipse, cessante vi, fraude, &c. non habet jus justitiæ; non obligantur etiam Ecclesiæ, quia Ecclesia non videtur eis imposuisse onus justitiæ commutativæ, sed solùm distributivæ, idque propter perplexitates & perturbationes vitandas; unde ejusmodi provisio facta digno censetur esse valida extra concursum. Sylvius & Pauwels docent, eos teneri ex causa damni illati Ecclesiæ.

VII. Si in concursu dignus sit prælatus digniori, Daelman à restitutione non eximit examinatores, ab ea tamen liberat ipsum dignum; quia, ait, collatio ei facta valida

fuit: verùm hoc negant Wiggers & La Croix, eò quòd omnes concurrentes censeantur consensisse in contractum implicitum, ut Beneficium ex justitia concedatur digniori; ergo acceptatio istius Beneficii est injusta & invalida; debetque ex justitia illud cedere digniori: sicuti v. g. plures concurrentes in lusu pro præmio, debent ex justitia præmium cedere victori.

Obj. Hæc resolutio parit incommoda & scrupulos, quia nemo, qui existimat se minùs dignum altero, poterit se sistere examini, neque poterit retinere Beneficium, quod obtinuit in concursu.

VIII. R. Negatur: poterit enim se sistere, eò quòd vocatus sit; poterit etiam securus esse, quia cogitare debet, quòd Examinatores consideraverint qualitates & conditiones temporis, loci, &c. quas ipse ignorat.

An ii, qui beneficium suum resignant in favorem alicujus, vel permutant cum altero, debent eligere dignissimum?

IX. R. Plures respondent negativè, eò quòd ii non sint dispensatores ex officio; verumtamen Sylvius in 2. 2. quæst. 63. a. 2. concl. 3. aliique non distinguunt; quia equidem vices eorum in casu resignationis agunt: deinde concurrunt ad promotionem minùs digni, & ita sunt causa damni quod patitur Ecclesia in cultu Dei & utilitate animarum.

N. 230. EXCEPTIONES.

I. *Casus, ubi licet præterire digniorem.* II. *Non licet accedere pluralit. votorum pro minùs digno.*

AN licet aliquando prætermisso digniori, promovere simpliciter dignum ad Beneficium aliquod?

I. R. Affimativè, & solent adduci hi casus:

1. Si provisio Beneficii ex fundatione sit restricta ad determinatas personas familiæ, urbis, &c. Interim tunc inter illas assumi debet dignissima.

2. Si is qui habet jus præsentandi, eligendi vel nominandi, prætermisso digniori, quamvis illicitè, præsentaverit minùs dignum, cui institutio vel confirmatio negari nequit, collator eumdem licitè instituit, quia non est in ejus potestate assumere digniorem.

3. Si dignior reservetur ad alias functiones, in quibus Ecclesiæ futurus est magis utilis, quia sic major Ecclesiæ utilitas procreatur; quamvis fortè dignior tenuiores perci-

peret proventus; quia non destinantur Beneficia hominibus, sed homines Beneficiis.

4. Dignior præteriri potest, ut excludatur indignus, vel saltem minùs dignus, quia sic magis finem Ecclesiæ assequimur.

An licet in casu aliquo, in quo jam in favorem minùs digni pluralitas votorum data est, accedere & suum suffragium eidem dare, prætermisso digniori?

II. R. cum Wiggers & Sylvio negativè, quia revera concurris ad indebitam promotionem, vel eam confirmas.

Nec obstat quòd tuum contrarium votum sit inefficax & nullum; non est interim noxium nec otiosum, sed potiùs monitorium pro veritate: alioquin oporteret non dare suffragium.

N. 231. DE RESIDENTIA PERSONALI.

I. *Obligat. Beneficiatorum.* II. *Resident. personalis.* III. *Pastor non fungens suo munere non dicitur residere.* IV. *De jure scripto omnia beneficia requirunt resident.* V. *Conc. Trid. finivit quæstionem.* VI. *Absentia Pastoris non ultra bimestre.* VII. *Non residens non facit fructus suos.* VIII. *Curati tenentur residere jure divino, naturali & Ecclesiastico.* IX. *Absentia Canonici non ultra 3. menses.*

I. OBLIGATIONES Beneficiatorum generales reducuntur ad has duas, scilicet ad recitationem Horarum Canonicarum, & ad residentiam personalem.

Quid est residentia personalis?

II. R. Est præsentia Beneficiati in loco Beneficii talis, quâ præstat debitum servitium Beneficio annexum. Sic residet in Parochia, si ibidem concionetur, Sacramenta ministret, &c. ita ut residere æquivaleat deservire Beneficio.

III. Si verò Pastor, commorans in Parochia, functiones Pastorales negligat per se ipsùm exercere, non adimplet residentiam personalem; ita Diana nulli de rigore suspectus. Utrùm autem ipse fructus faciat suos, negat Sancius apud Dianam p. 3. Tract. 4. Resol. 156.

IV. Quantùm est de jure communi scripto, Beneficia omnia requirunt residentiam; sed per generalem consuetudinem ei derogatum est quoad beneficia simplicia, quæ non habent annexum onus curæ nec chori, quæque nec ex fundatione nec ex speciali jure residentiam requirunt.

V. Plerasque quæstiones finivit Conc. Trid. sess. 6. c. 1. Ref. sess. 23. c. 1. Ref. & sess. 24. cap. 12.

Primò agit de residentia Episcoporum.

VI. Secundò declarat & decernit, Pastoribus aliisque Curatis non esse concedendam absentiæ licentiam annuè ultra bimestre, nisi ex gravi causa.

Quamvis pro absentia bimestri requiratur etiam justa causa ab Episcopo approbanda juxta Trid. praxis tamen in his Regionibus, ait Wigg. non observat illam licentiæ expostulationem, præsertim in absentia discontinua.

VII. Nota, quòd Conc. Trid. sess. 23. c. 1. pœnam non residentibus sine justa causa Pastoribus & Curatis decernat & infligat ipso facto, ut, præter mortalis peccati reatum, fructus non faciant suos pro rata temporis absentiæ, nec tutâ conscientiâ, ante etiam sententiam declaratoriam, eos retinere possint, sed erogare teneantur fabricæ Ecclesiarum vel pauperibus loci, prohibitâ quâcumque compositione.

Quo jure residere tenentur Pastores aliique Curati?

VIII. R. Jure divino juxta illud Joan. 21. "Pasce oves meas," & 1. Petri 5. "Pascite, qui in vobis est, gregem:" quæ verba in illis dicta sunt omnibus curam animarum habentibus: hinc dicit Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de Ref. "Cùm Præcepto divino mandatum sit, &c."

Tenentur etiam jure naturali, quia debent actu curam gerere, sicuti Duces, Naucleri, & Pastores, adeoque tanquam tales adesse debent.

Denique obligantur jure Ecclesiastico, prout liquet ex Concilio Trid. sess. 23. cap. 1. Vide Bened. XIV. instit. XVII. pag. 99.

IX. Tertiò Conc. Trid. sess. 24. c. 12. figit tempus residentiæ Canonicis, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ut non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, quæ irritantur, ultra tres menses abesse quolibet anno, sub pœna privationis partis fructuum: salvis constitutionibus rigidioribus, si alibi sint.

Qualiter Canonici in choro præsentes & non canentes, vel voluntariè distracti amittant distributiones, discussum est supra Num. 56. An autem iidem Canonici sic distracti, aut cessante justâ causâ, non canentes, residentiæ tempus perficiant, aliis discutiendum relinquo, cùm scribam pro tyronibus in Theologia; interim Bened. XIV. de Synod. l. XIII. Cap. IX. n. xi. docet, Canonicos illos "nequaquam in foro conscientiæ fructus suos facere."

N. 232. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A RESIDENTIA.

I. 1. *Infirmitas.* II. 2. *Assist. Papæ vel Episcopi.* III. 3. *Occup. in negot. Capituli vel Beneficii.* IV. 4. *Causa studii.* V. 5. *Profectio Rom.* VI. 6. *Officium Sacellani Regii.* VII. 7. *Dispensatio.* VIII. *Curati non ita excusantur à residentia.* IX. *Excusat. à resid. non semp. habet distribut.* X. *Impotentia per culpam propriam an excus.* XI. *Restitutio fructuum.*

QUÆ sunt causæ excusantes à residentia personali Beneficiorum, quæ non habent curam animarum?

R., Generales causas exprimit Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. Ref.

Doctores deinde ad particulares causas descendendo proponunt sequentes quæ sunt:

I. 1. Infirmitas vel justa corporalis necessitas cap. 'consuet.' in 6. sub qua comprehende impotentiam, vim, metum mortis, injustam incarcerationem, &c. quibus casibus debentur etiam distributiones juxta solitam diligentiam.

II. 2. Servitium Papæ, vel assistentia Episcopi in negotiis Ecclesiæ, non solùm particularis, ut vult Fagnanus, sed etiam generalis, ut probat Zypæus in jus Pont.

III. 3. Occupatio in rebus Capituli vel Beneficii sui, vel in onere dignitatis aut præbendæ suæ: v. g. si Pœnitentiarius vel Pastor excipiat confessiones.

IV. 4. Causa studii excusat à residentia eos, qui Theologiam, vel jus Canonicum docent aut discunt, ita ut hi posteriores licentiam Episcopi exquirere debeant juxta Barbosam de Off. & Pot. Ep. All. 56. num. 28. & Canonistas: sed Van Espen iterum exceptionem fingit, quòd id non habeat Belgii praxis, quæ quandoque falsò supposita, est ejus ordinarius aries, quo Canones & leges Ecclesiæ temerariè evertit.

V. 5. Profectio ad limina Apostolorum nomine Episcopi, &c.

VI. 6. Officium Sacellani Regii, dum apud Principem moratur.

VII. 7. Dispensatio ex causa charitatis, necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ aut Reipublicæ, sive ex causis in jure expressis, quod judicium spectat ad Episcopum, Fagn. c "Licet" n. 75. lib 3.

VIII. Non omnes præfatæ causæ excusant à residentia

eos, qui habent Beneficia curata, de quibus specialiter agit Conc. Trid. sess. 23. cap. 1, de ref. neque etiam, si Beneficia aliqua speciali debito residentiam exigant:

IX. Nota secundò: quantumvis illæ causæ excusent à residentia in ordine ad percipiendum grossos fructus, non tamen omnes tribuunt jus ad distributiones quotidianas: qualis est v. g. absentia ex causa studii; sed contra, causæ absentiæ, quæ valent pro recipiendis distributionibus, valent pro residentia: ex quibus autem causis absens gaudeat distributionibus, dictum est n. 57.

Utrùm infirmitas vel impotentia per culpam propriam contracta excuset à residentia?

X. R. Non ita liquet: si quis in fraudem eam procuraverit, fraus ei patrocinari non debet: similiter qui justè excommunicatus, vel aliâ censurâ ob propriam culpam innodatus, vel justè incarceratus &c. à choro absens sit, non excusatur à residentia, saltem post sententiam: si verò injustè ei obveniant, currit ei tempus residentiæ, & gaudet omnibus fructibus & distributionibus.

Quid verò judicandum sit de illo, qui ex culpa sua, v. g. ebrietate, contraxit infirmitatem, per quam impeditur à frequentatione chori?

Responsum est supra Num. 39.

Cui cedunt fructus vel proventus absentium aut non residentium?

XI. R. Consulenda sunt statuta & consuetudines, quæ sunt circa eadem Beneficia: alibi enim proventus absentium accrescunt præsentibus, alibi remanent vel redeunt ad massam. Si nihil statutum sit, tunc dicendum, quòd proventus eorum, qui omittunt Horas Canonicas debeant juxta Constit. Pii. V. erogari in fabricas ipsorum Beneficiorum vel in pauperum eleëmosynas. Consule dicta n. 37. proventus verò Pastorum seu Curatorum, qui ob solum defectum residentiæ fructus non faciunt suos, erogari debent, pro rata absentiæ, fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus loci, juxta Con. Trid. sess. 23. cap. 12. de Ref.

N. 233. DE PLURALITATE BENEFICIORUM.

I. *Per se inordinatum est, quòd unus habeat plura Ben.* II. *Except. quatuor.* III. I. *Casus in quo potest accipere secundum.* IV. *Item tertium.* V. *An prim. dimittendum si secundum sit suffic.* VI. *Habens sufficiens, illicitè super accipit aliud.* VII. *Quantit. pro sust. honesta.* VIII. *Conditio extrins. consideranda non est.* IX. 2. *Casus quando Beneficia sunt unit.* X. 3. *Casus unum & deservitura secundi.* XI. 4. *Casus ex dispensatione Summi Pontificis.* XII. *Satisfac. unica recitatione horarum.* XIII. *Non sic, quando sine causa possidet plura.*

AN licet habere plura Beneficia Ecclesiastica?

R. Respondet Conc. Trid. his verbis sess. 24. c. 17. "Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, Sancta Synodus statuit, ut inposterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur."

I. Igitur per se loquendo inordinationem continet, ut loquitur S. Th. quòd unus habeat plura Beneficia, quia diminuitur cultus divinus, Ecclesia destituitur numero Ministrorum & servitio, fraudantur Fundatores intentione sua, denique pluralitas illa inducit ambitionem, luxum & evagationem, & propterea dici potest jure naturæ illicita, nisi inordinatio illa abstergatur per Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem.

Quibus in casibus igitur licitum est habere plura Beneficia?

II. R. In his quatuor casibus:

Primum casum profert Conc. Trid. loco citato prosequens: "Si Beneficium ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam" (incompossibilem nimirum) "non requirat, eidem conferre."

III. Igitur qui possidet Beneficium insufficiens potest accipere secundum compatibile ad insufficientiam sustentationis.

Quòd si secundum junctum primo necdum sufficiat ad sustentationem, an poterit accipere & retinere simile tertium?

IV. R. Negat Fagnanus l. 3. in c. "jam dudum" n. 44.

& 69. adjiciens collationem tertii esse irritam veluti inhabili factam ob Conc. Trid. Sylvius in 2. 2. 63. a. 2. Conc. 10, respondet ex consuetudine esse licitum, quia est eadem ratio & finis Concilii Trid. item Barbosa de Offic. Ep. part. 3. All. 62. n. 10. qui allegat stylum Curiæ. Vox "aliud" non excludit tertium.

V. An in casu præfato licitum est retinere simul primum insufficiens cum secundo, quando secundum solum per se sufficit ad sustentationem absque primo.?

R. Id licet spectato jure scripto Conc. Trid. sess. 24. c. 17. rationem explicat Fagnanus, quia licitè utrumque accepit: Sylvius tamen & Wig. dicunt unum in conscientia esse dimittendum, quia duo retinentur sine titulo sufficienti.

VI. Nullo jure licet ei, qui possidet pacificè unum Beneficium sufficiens ad sustentationem, accipere & retinere simul secundum quamvis insufficiens: obstat enim Conc. Trid.

Quales & quanti proventus sufficiunt pro taxa honestæ sustentationis?

VII. R. Hic unusquisque respondet, prout commoditas casûs & causæ sibi favent.

Dico igitur, quòd in hac patria centum patacones possint constituere honestam sustentationem Beneficiati simplicis sine cura & onere, cùm similis summa soleat haberi ut sufficiens pro sustentatione. Vicepastoris. Mille floreni videntur tribuere sufficientiam honestæ sustentationis Canonico Cathedrali.

Quid si iste Canonicus sit ex illustri familia, qui, ut vivat juxta conditionem familiæ, indiget multis millibus florenorum?

VIII. R. Ista conditio familiæ non est qualitas Beneficiati Ecclesiastici, adeoque hìc consideranda non est in distributione ecclesiastica. Prout observat Sylvius, 2. 2. q. 185. a. 7. concl. 5.

Mirare, quòd ii, qui plura possident Beneficia, dum super eo admonentur, exasperentur; ratio est, quòd nolint conscientiam dormientem excitari.

IX. Secundò, licet retinere plura Benficia, quando illa sunt legitimè unita. De quo supra Num. 224.

X. Tertiò, licet habere Beneficium unum in titulum, aliud in commendam temporalem sive deservituram; sic aliquando datur Pastori hujus Parochiæ deservitura alterius Parochiæ juxta Synod. Provin. Mechlin. tit 17. cap. 3.

XI. Quartò, plura licitè acquiruntur Beneficia per dis-

pensationem ob Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem: v. g. ob penuriam Ministrorum, ob prærogativam meritorum, fidei defensionem, &c. quo modo Episcopus Coloniensis plures obtinet Episcopatus: dispensat autem in pluralitate Beneficiorum Summus Pontifex, non Episcopus, ait Daelman, eò quòd sit dispensatio in lege Concilii: verumtamen Gonzales in lib. 3. t. 5. c. 28. n. 3. aliquid concedit Episcopis circa Beneficia simplicia, quem consule. Item Barb. de Potest. Episc. part. 3. alleg. 62.

XII. An iste, qui possidet plura Beneficia satisfacit unicâ recitatione Horarum Canonicarum in die?

R. cum S. Thom. quodlib. 1. a. 13.: si ex justo titulo possideat, satisfacit unicâ, juxta communem usum & sensum. Varia objicit Navarrus; sed ad ea respondetur, quòd obligationes Beneficiorum proveniant & dependeant à voluntate Ecclesiæ.

XIII. Si autem quispiam sine justa causa sive titulo possideat plura, non satisfacit recitando semel in die, imò nec recitando pluries eodem die; sed dimittere tenetur Beneficium sine justo titulo possessum.

N. 234. DE INCOMPATIBILITATE BENEFICIORUM.

I. *Definitiones.* II. *Divisiones.* III. *Incompatibilia primi generis.* IV. *Retinere præsumens privatur utroque.* V. *Incompatibilia secundi generis.* VI. *Opinio Fagnani* VII. *Zypæi Opinio.* VIII. *Beneficia sub eodem tecto.* IX. *Uniform.* X. *Difform.*

I. QUÆ Beneficia dicuntur imcompatibilia?

R. Ea quæ simul retineri non possunt ab eodem.

Compatibilia dicuntur, quæ simul retineri possunt ab eodem: ejusmodi sunt duo simplicia Beneficia, quorum neutrum est sufficiens ad sustentationem, & quæ non exigunt residentiam imcompatibilem.

II. Incompatibilia dividuntur in "incompatibilia primi generis," sive quoad titulum, & in "incompatibilia secundi " generis" sive "quoad retentionem."

Quænam sunt incompatibilia primi generis.

III. R. Ea, quæ ita repugnant, ut, obtentâ pacificâ possessione secundi Beneficii, ipso jure vacet primum; hujusmodi sunt duo Beneficia curata, item duæ dignitates, item duo uniformia sub eodem tecto, v. g. duæ Capellaniæ & Canonicatus ad cantandum in eodem choro, &c.

IV. Si quispiam hujusmodi duo Beneficia incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit, in pœnam privatur utroque, sed privatio secundi, ait Sylvius, videtur esse solùm sententiæ ferendæ, cum sit pœna: legatur Conc. Trid. sess. 7. cap. 4. & 5. Item Fagnanus lib. 3. in cap. "de multa." Quidam ulteriùs utuntur hac distinctione, ut quædam vacent de facto, quædam vacent de jure solùm, juxta cap 9. Litteras t. 8. de Conc. præb.

V. Incompatibilia secundi generis dicuntur quæ simul retineri non possunt licitè, attamen validè. Hujusmodi sunt duo Beneficia simplicia vel curatum & simplex requirentia personalem residentiam non compatibilem; huc referuntur Beneficia, quæ solùm sunt incompatibilia ex causa, quòd unum sit sufficiens ad sustentationem.

VI. Fagnanus tamen lib. 3. de Præb. cap. "cum jam dudum" n. 31, sine distinctione pronuntiat de quibuscumque Beneficiis incompatibilibus, quòd obtentâ pacificâ possessione secundi vacet primum, & per retentionem vacet utrumque; ratio ejus est, quod Conc. Trid. sess. 7. c. 4. dicat generaliter: "aut aliàs imcompatibilia......, quocumque nomine."

VII. Sed Zypæus ad jus Pont. Tit. de Cler. non resid. n. 11. existimat Beneficia non curata, quæ solùm ratione residentiæ sunt incompatibilia, posse simul retineri pro annis carentiæ fructuum.

VIII. An quæcumque Beneficia sub eodem tecto sive in eadem ecclesia sunt incompatibilia?

IX. R. Distinguendo: uniformia, quæ nimirum ad eumdem finem & idem munus sunt instituta, sunt incompatibilia, v. g. Canonicatus & Capellaniæ ejusdem chori.

X. Difformia, si aliàs sibi non repugnent, non sunt propterea incompatibilia de jure juxta Gonzal. Vall. Lay. Sylvium & Pauwels, qui adducit proprium exemplum, quo cum Plebanatu insufficiente possedit Canonicatum in eadem Ecclesia S. Petri Lovanii. Si autem, ait Vallensis, inveniantur in contrarium legitimæ declarationes Cardinalium usu receptæ, eis standum est.

N. 235. DE PENSIONIBUS.

I. *Definitio.* II. *Divisio.* III. *Pensio Ecclesiastica duplex.* IV. *Secunda divisio.* V. *Tertia pars grossorum.* VI. *Creat pensiones summus Pontifex.* VII. *Item Episcop.* VIII. *Obligat. Pensionarii.* IX. *Quibus modis pensio extinguatur.* X. *Pro Redemptione pensionis mediæ requiritur authoritas Eccl.*

QUID est pensio ex Beneficio?

I. R. Est moderata portio ex Beneficii alieni redditibus detracta, & alteri concessa.

II. Dividitur in Laïcam & in Ecclesiasticam seu Clericalem: hæc solis Clericis conceditur.

Pensio Laïca est, quæ ob temporale obsequium datur etiam Laïcis, v. g. Advocato, militi, &c.

III. Pensio Ecclesiastica subdividitur in purè spiritualem, quæ datur ob ministerium spirituale præstandum, v. g. Coadjutori Pastoris: & in mediam sive mixtam, quæ ratione statûs clericalis percipitur, licèt non ob ministerium præstandum, v. g. quæ datur alteri Clerico ratione permutationis Beneficii, litis extinguendæ, senii, paupertatis, &c. sed semper interveniente authoritate Papæ vel Episcopi.

IV. 2°. Pensio dividitur in realem & personalem.

Pensio personalis est onus Beneficiati, & non transit ad successorem suum.

Pensio realis est onus Beneficii, & transit ad successorem: hic tamen pendere non debet pensiones cessas tempore Prædecessoris, quia pensio annua censetur pars fructuum: neque etiam quamdiu omnes fructus sine culpa sua perierunt.

Quanta potest esse pensio?

V. R. Debet esse moderata, ita ut, juxta consuetudinem, tertiam partem grossorum non excedat; distributiones & accidentia non comprehenduntur nisi exprimantur.

Quis potèst creare sive imponere pensiones?

VI. R. Summus Pontifex imponere potest personales & reales, etiam in perpetuum.

VII. Episcopus ex consuetudine imponit pensiones Ecclesiasticas, non laïcas, personales, quandoque reales, ut docet Suarez de rel. t. 1. lib. 4. c. 51. num. 18. cum Layman & aliis: ex eo deducit Layman num. 4. quòd Episcopus cum Capitulo posset partem fructuum Beneficii adscribere fabricæ, sacristæ, debitis solvendis, &c.

Consensus Patroni Beneficii pro pensione super eo creanda non requiritur de jure, consultò tamen petitur in hac patria, quando Beneficium est patronatûs laïcalis.

VIII. Pensio Ecclesiastica, quantumvis non sit Beneficium, habet tamen obligationem recitandi Officium B. M. V. ubi Constitutio Pii V. recepta est, nisi recitetur Officium Canonicum, sub pœna amissionis fructuum.

Quomodo extinguitur pensio?

IX. R. Per pensionarii mortem, vel professionem solemnem.

Item Ecclesiastica pensio extinguitur per ejusdem matrimonium, hæresim, &c.

Insuper pensio merè personalis etiam cessat per mortem Beneficiati.

Denique pensio extinguitur per remissionem, item per redemptionem, dum scilicet pensionario datur in præsenti certa pecuniæ summa, ut extinguatur jus pensionis annuæ. Verumtamen ante pensionem creatam pacisci non licet de conditione redemptionis præfatæ.

Quæ pensio potest redimi, & cujus authoritate?

X. R. Pensio laïca potest privatâ authoritate redimi, imò & vendi, ait Wiggers.

Pensio purè spiritualis sub redemptione non cadit, cùm sit annua sustentatio Ministri.

Pensio media redimi potest authoritate Episcopi, ait Wiggers cap. 4. de Sim. n. 93. quando ab Episcopo creata est.

Imò Daelman de Simon, obs. 10. audet dicere, praxim habere, ut pensio dicta media redimatur quinque annatis sine authoritate Pontificis vel Episcopi, & adjungit eam posse vendi tanquam temporale; verùm pro eo nullum adducit Doctorem consentientem: cùm igitur Steyaert, Pauwels aliique ejusdem temporis & loci asserant consuetudinem recurrendi ad authoritatem Ecclesiæ, his practicè adhærendum est; ratio Theologica accedit, quòd illa pensio sit equidem aliquid annexum spirituali & clericali titulo.

N. 236. DE REGALIA.

QUID est regalia, quæ in Gallia obtinet?

R. Est facultas, Regi concessa, percipiendi omnes fructus Episcopatûs vacantes, & conferendi illo tempore omnia ejusdem Beneficia vacantia non curata.

Hujusmodi facultas necessariò provenire debet & con-

cedi à Summo Pontifice, quia Rex ut talis non habet potestatem in res Ecclesiasticas, cùm cæteri Reges eam non habeant.

Innoc. XI. Summus Pontifex inhibuit & irritavit extensionem Regaliæ. De qua historicè, utì & de origine & justitia regaliæ disertissimè scribit Card. Sfondrati in libro cui titulus, "Gallia vindicata."

TRACTATUS

DE

RELIQUIS VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ANNEXIS.

N. 237. DE PIETATE

S. Thom. 2. 2. *q.* 101.

ET OBSERVANTIA.

S. Thom. 2. 2. *q.* 102.

I. *Definitio Pietatis.* II. *Objectum materiale & formale.* III. *Circumstantia aggravans.* IV. *Definitio virtutis observantiæ.* V. *Objectum materiale & formale.* VI. *Duliæ,*

PIETAS duplex est; in Deum, & in parentes.

Pietas in Deum convenit cum Religione & cultu Dei. Vide etiam S. Thom. infra q. 121.

I. Pietas dicta in parentes est virtus per quam parentibus & consanguineis ac patriæ officium & cultus tribuitur.

II. Est specialis virtus habens pro objecto materiali cultum consanguineorum, & patriâ junctorum; pro objecto formali rationem debiti fundatam in ratione principii (post Deum) ortûs & educationis nostræ. De his latiùs ad quartum præceptum Decalogi.

III. Observa quomodo ex hoc capite peccata quædam commissa in consanguineos vel patriam aggraventur, ita ut in peccatis odii, contumeliæ, percussionis, injuriarumve gravium circumstantia consanguinitatis & affinitatis primi saltem gradûs, sit notabiliter augens & exprimenda in confessione.

S. Th. art. 4 ad 4. docet, quòd filii ad subveniendum

necessitati parentum debeant omittere ingressum Religionis, sed post professionem non possint propterea exire, quia sunt mundo mortui.

Quid est observantia?

IV. R. Est virtus quæ exhibet Superioribus, aliisque in dignitate constitutis cultum & honorem dignitati eorum correspondentem.

V. Est virtus specialis habens pro objecto materiali cultum exhibendum Superioribus & personis excellentibus, et pro objecto formali rationem debiti fundatam in ratione principii secundarii gubernationis & directionis, vel aptitudinis ejus.

Sub virtute observantiæ S. Th. collocat virtutes duliæ & obedientiæ.

VI. Dulia exhibet honorem creaturæ excellenti secundùm similitudinem alicujus dominii. Hic cultus duliæ defertur Sanctis, & differt à Religione sive cultu latriæ, qui defertur soli Deo.

N. 238. DE OBEDIENTIA.

S. Thom. 2. 2. q. 104.

1. *Obedientiæ materialis.* II. *Obedientiæ virtutis definitio.* III. *Objectum ejus.* IV. *Superioribus obediendum.* V. *Duplex exceptio.* VI. *Primus casus.* VII. *Secundus casus.* VIII. *Obediendum secundùm rationem superior.* IX. *Obj. ex epist. ad Col. 3.* X. *Clausura monialium.* XI *Bonitas actûs præcepti.*

QUID est obedientia?

I. R. Duplex solet distingui obedentia: una generalis, quæ & materialis dicitur, quâ præstamus actus ex cujusvis virtutis motivo debitos: hæc non est specialis virtus, sed pertinet potiùs ad quamlibet virtutem.

II. Obedientia, quæ est virtus specialis, definitur: virtus. moralis inclinans voluntatem ad implendum præceptum Superioris ex motivo satisfaciendi præcepto.

III. Objectum materiale obedientiæ sunt actus præcepti à Superiore: objectum formale est ratio debiti authoritati Superioris præcipientis.

Quibus oportet obedire? S. Th. a. 4.

IV. R. Suis Superioribus: & quidem Deo oportet obedire in omnibus.

An Superiori humano obediendum est in omnibus?

V. R. S. Th. art. 5. negativè; idque contingere potest ex duobus:

VI. Primò ex eo, quod iste Superior præcipiat aliquid repugnans voluntati altioris Superioris; ita servus non debet obedire in malis, aut quæ sunt contra legem Dei vel Ecclesiæ; miles non debet exequi mandatum Capitanei contra præceptum Ducis exercitûs.

Quomodo interim in dubio æquali sit tutius obedire Superiori instanter præcipienti, explicatur in Tract. de Conscientia 1a. 2æ.

Observat S. Thom. art. 3. ad 3. quantumvis ob præceptum Superioris nunquam liceat facere malum, quandoque tamen propter illud teneatur quis prætermittere bonum non necessarium.

VII. Secundus casus contingit, quando Superior aliquid, quantumvis bonum, præcipit in materia, in qua alter ipsi non subditur: hinc non tenetur servus domino, nec filius patri obedire in præstando voto castitatis: S. Thom. art. 5. in c. "secundùm ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, quia sunt naturâ pares."

In quibus ergo debet inferior obedire Superiori?

VIII. R. Per se in his, quæ pertinent ad rationem superioritatis ejus: sic miles duci in bellicis, servus domino in servilibus, filius patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vitæ & curam domesticam. S. Th. art. 5. in c.

IX. Obj. Ad Col. 3. v. 22. legitur: "Servi obedite per omnia dominis:" ergo in omnibus obediendum est dominis.

R. Id commodè accipi debet restringendo ad omnia, quæ pertinent ad rationem superioritatis dominorum.

X. Sylvius hic in q. 104. art. 5. sustinet, quòd omnes Moniales possint per obedientiam cogi ad observantiam clausuræ, quamvis eam directè non voverint. Vide etiam Billuart t. 5. diss. 2. art. 2. p. 18.

XI. Nota, quòd præceptum vel lex Superioris constituat totum præceptum in bonitate istius virtutis, ex cujus motivo formali præcipitur, adeoque transgressio ejusdem legis sit contra istam virtutem.

N. 239. DE INOBEDIENTIA.

S. Thom. 2. 2. *q.* 105.

I. *Inobedientia general.* II. *Inobedientia formalis est peccatum mortale.* III. *An possit esse veniale ex parvitate mater.* IV. *Qui agit scienter contra legem, vel quia res levis est.* V. *Interrogationes practicæ.*

QUID est inobedientia?

I. R. Duplex est inobedientia: una generalis vel materialis, quæ invenitur in transgressione cujuscumque præcepti absque contemptu: hæc non producit peccatum distinctum; ita fornicans ex infirmitate non facit peccatum contra obedientiam distinctum à peccato contra castitatem.

II. Inobedientia specialis & formalis est transgressio præcepti ex contemptu, nimirum quando quis renuens subjici agit contra præceptum directè ideo, quia præceptum est, vel quia præceptum est ab illo Superiore. Hæc inobedientia constituit speciale peccatum mortale, nam est contemptus perfectus, qui intenditur directè.

III. An inobedientia formalis potest aliquando ex parvitate materiæ esse veniale peccatum?

R. Ita existimat Silvius cum Billuart. t. 5. p. 24 in præcepto rei exiguæ, dum non adest contemptus Superioris absolutus in omnibus, sed tantùm secundùm quid in præcepto hoc rei parvæ cum voluntate subjectionis in reliquis.

Hoc magis obtinet, dum contemptus solùm est imperfectus, sive non directè intentus; tum enim inobedientia erit gravis vel levis secundùm præcepta; ut autem hæc inobedientia respectu præcepti humani censeatur gravis & peccatum mortale, debent concurrere hæc duo, materia gravis & voluntas Superioris obligandi graviter.

IV. Nota, quòd agens scienter contra legem, non semper agat ex contemptu perfecto formali, neque is, qui agit contra præceptum ideo quia res, quæ præcipitur, levis est. Frequentia tamen dispositivè inducit contemptum: Prov. 18. "Impius, cùm in profundum venerit, contemnit."

Plura circa hæc in Tractatibus de peccatis, de legibus, & in 4. præceptum Decalogi.

Super quibus interrogari possunt, qui confitentur se fuisse inobedientes parentibus?

V. R. In quali & quantâ materia fuerint inobedientes, ex quo fine præcepta fuerit.

An parentes præceperint sub gravi sive secundùm rigidam obedientiam, & an fuerint multùm offensi, irati, contristati, aut alia mala secuta sint: an frequens sit inobedientia, an ex contemptu, & contra utrumque parentem simul, &c.

N. 240. DE GRATITUDINE SEU GRATIA, ET VINDICATIONE,

S. Thom. 2. 2. *q.* 106, 107, 108.

I. *Definitio.* II. *Objectum formale & materiale.* III. *Quid ingratitudo.* IV. *Est peccatum veniale.* V. *Vindicatio virtus, vitia opposita.*

QUID est gratitudo?

I. R. Est virtus reddens gratiam benefactoribus debitam.

Objectum ejus formale est debitum morale honestatis ratione beneficii accepti.

II. Objectum materiale sunt officia gratitudinis, quæ juxta S. Th. reduci possunt ad tria: primum est in animo agnitio & grata memoria beneficii: secundum in verbis est actio gratiarum: tertium perficitur factis retribuendo beneficium tempore & loco secundùm facultatem; magis tamen gratitudo attendit affectum quàm effectum. S. Th. art. 5. in c.

Quid est ingratitudo?

III. R. Est benefactori officia gratitudinis denegare.

Sicut gratitudinis assignantur tria officia, sic ingratitudinis ponuntur tres gradus: ea, quæ est animi, pessima est.

IV. Ingratitudo est ut plurimùm peccatum veniale, nam violatur solùm debitum honestatis, nisi aliud accedat.

Quomodo per ingratitudinem dicantur peccata redire, explicatur in tract. de Pœnit. n. 40.

V. S. Th. q. 108. agit de virtute vindicationis, quæ est alicujus mali pœnalis inflictio pro peccato ad bonum aliquod; hæc vindicatio fit nomine Dei. Receditur ab hac virtute per excessum ob nimiam crudelitatem & sævitiam, et per defectum ob nimiam remissionem in puniendo. S. Th. a. 2. ad 3.

N. 241. DE VERITATE SEU VERACITATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 109.

I. *Definit.* II. *Objecta.* III. *Officia veracitatis.*

QUID est virtus veritatis seu veracitatis?

I. R. Est virtus moralis inclinans ad dicendum verum, conformiter ad mentem dicentis: & inde homo dicitur verax. S. Th. a. 1. in c.

II. Objectum ejus materiale proximum est veritas enuntiationis, remotum est veritas rei enuntiatæ.

Objectum formale est debitum honestatis in societate humana & convictu, ut homo homini tutò possit credere. S. Th. a. 3. ad 1.

III. Officia veracitatis sunt, 1. inquirere prius veritatem, 2. cavere præcipitantiam, temeritatem & ignorantiam; 3. fideliter exprimere mentem, dum ratio & occasio id postulant: hoc additur, quia officium veracitatis non postulat, ut semper & ubique veritas pandatur, cùm oporteat aliquando veritatem quampiam silere & occultare.

N. 242. DE MENDACIO, EJUSQUE DIVISIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 110.

I. *Definitio.* II. *Quis dicens verum mentiatur.* III. *Mendacium triplex.* IV. *Officiosum.* V. *Jocosum.* VI. *Perniciosum mendacium, ejus species.* VII. *Ex gen. suo mort.* VIII. *Officiosum & jocosum ex genere suo sunt venialia.* IX. *Explicatur Ps.* 5. X. *Explicatur Locus Sap.* 1.

I. VITIUM virtuti veracitatis oppositum est habitus mendacii; verùmtamen mendacium usurpatur frequentiùs pro actu istius vitii, & ita definitur: Locutio contra mentem loquentis.

Sub locutione comprehenditur quodcumque signum externum, & ita possumus mentiri per scriptum, per gestus, nutus aliave facta.

An quispiam dicens verum potest mentiri?

II. R. Affirm. si putet in mente id esse falsum; è contra dicens falsum non mentitur, si prudenter existi

met, id esse verum: ratio est quòd non loquatur contra mentem: posset tamen quis esse reus culpæ mendacii, si per defectum debitæ inquisitionis, per præcipitantiam aut multiloquium sese exponat periculo dicendi falsum.

Quomodo dividitur mendacium?

III. R. Dividitur ratione culpæ & finis in officiosum, jocosum, & perniciosum. S. Th. a. 2.

IV. Mendacium officiosum dicitur, quod committitur solùm causâ utilitatis propriæ vel alienæ: v. g. quis dicit, se non habere pecunias, ne iis spolietur a militibus.

V. Jocosum est, quod fit causâ delectationis tantùm: v. g. quis mentitur se esse Mechliniensem, ut ad risum moveat.

VI. Mendacium perniciosum dicitur, quod præter malitiam mendacii habet adjunctum nocumentum vel malum aliquod, ex quo contrahit malitiam aliam, proinde omnia mendacia perniciosa non sunt ejusdem speciei, sed assumunt speciem malitiæ ex nocumento seu malo, ex quo dicuntur perniciosa: sic mendacium perniciosum, quo detrahimus famæ proximi per impositionem falsi, habet malitiam injustitiæ; mendacium contra Fidem est perniciosum, & induit malitiam contra Fidem.

Quantum peccatum est mendacium? S. Th. a. 4.

VII. R. Mendacium perniciosum est ex genere suo peccatum mortale secundùm malum adjunctum.

VIII. Officiosum autem & jocosum sunt ex genere suo peccatum veniale: possunt interim hujusmodi mendacia ratione scandali, finis, damni, &c. fieri mortalia, sed eo casu non vocantur ampliùs merè officiosa vel jocosa, sed perniciosa.

IX. Obj. Ps. 5. "Perdes omnes qui loquuntur mendacium," ergo, omne mendacium est mortale.

R. S. Thom. a. 4 ad 1. quòd intelligatur de mendacio pernicioso juxta contextum: "Virum sanguinum & dolosum," &c.

X. Obj. Sap. 1. "Os quod mentitur occidit animam." Ergo omne mendacium est mortale.

R. Primò cum S. Thom. os, quod mentitur mendacium perniciosum detractionis, &c. occidit animam.

R. 2°. Peccata venialia occidunt animam dispositivè.

N. 243. AN MENDACIUM ALIQUO CASU POTEST ESSE LICITUM?

S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3.

I. *Mendacium est intrinsecè malum.* II. *Objectio.* III. *Mendacium ad evadendam mortem.* IV. *Objectio.* V. *Abraham non est mentitus.* VI. *Jacob excusatur à mendacio.*

I. RESP. Id Plato, Origenes & aliqui veteres existimarunt; sed responsio negativa certa est: ratio est, quòd omne mendacium sit intrinsecè malum, & lege naturali prohibitum, nam voces naturaliter sunt signa intellectûs, ait S. Th. Idem probatur ex SS. PP. Ambros. Aug. &c. et dicitur Eccli. 7. "Noli velle mentiri omne mendacium."

II. Obj. Ex duobus malis minus est eligendum, ergo licet mentiri, v. g. ad cavendum homicidium.

R. Nego cons. quia mentiri est formale peccatum; & ita mentiri est malum majus, quàm permittere homicidium merè permissivè. Et juxta Apost. ad Rom. 8. non licet facere mala, ut veniant bona.

III. Proinde non licet mentiri ad avertendum mortem aut interitum Republicæ, vel quæcumque alia mala: in hujusmodi perplexitatibus debent homines confugere ad auxilium Dei, Angeli Custodis, &c.

IV. Obj. Abraham, Jacob, David, Judith, Elisæus, Amos aliique sunt mentiti, qui nobis in Sacris Litteris proponuntur tanquam exemplum; ergo, &c.

R. 1°. Sancti homines potuerunt venialiter peccare, sed in eo non proponuntur imitandi.

R. 2°. Non omnes præfati sunt arguendi mendacii, super quo consule Interpretes Scripturæ Sacræ.

V. In primis Abraham Gen. 20. dicendo, Saram esse sororem suam, non est mentitus, eò quòd esset ejus consanguinea, quæ illo tempore vocabatur quoque soror: sicut in Evangelio consanguinei Christi vocati sunt ejus fratres. Matth. 12. v. 46.

VI. Secundò S. Aug. excusat à mendacio Jacob dicentem Gen. 27. v. 19. "Ego sum primogenitus tuus Esau," propter mysterium, & quòd esset jure primogenitus, nam jus primogenituræ in ipsum translatum fuerat venditione & divinâ ordinatione. Vide Wig. Tract. de Fide, quæst. 1. art. 3 num. 65.

Obstetrices Ægypti Exodi 1. non sunt excusandæ à mendacio: remuneratæ sunt à Deo temporaliter non ob mendacium, sed propter obsequium præstitum Hebræis.

N. 244. DE RESTRICTIONE MENTALI.

I. *Restrictio realis.* II. *Restrictio purè mentalis.* III. *Non excusat à mendacio.* IV. *Proposit. damnata.* V. *Casus restrictionis mentalis.* VI. *Quomodo Christus dixerit se nescire diem judicii.* VII. *Explicatur Textus Joan.* 7. v. 8.

RESTRICTIO mentalis dicitur esse duplex, pure mentalis, & non purè mentalis, sive realis.

I. Restrictio realis occurrit, dum enuntiatio, spectatis solis verbis, falsa est, sed circumstantiæ concurrunt, quæ significant, aliquid esse subintelligendum, quod loquens in mente tenet, &, quo subintellecto, enuntiatio est vera: v. g. Joannes quærens illicò in foro loqui Petro, petit à Paulo: an vidisti Petrum? Paulus respondet non vidi, quamvis illum viderit heri vel ante quatuor horas.

Hæc responsio sive restrictio realis non continet mendacium, quia per circumstantiam Joannis quærentis illicò loqui Petro, restringitur ad tempus propinquum; jam verò non sola verba faciunt enuntiationem esse veram, sed etiam externæ circumstantiæ seu signa concomitantia, usus, &c. consignificant.

Hinc collige, quomodo metaphora, hyperbolæ, aliæque figuræ rhetorices non contineant mendacia.

II. Restrictio purè mentalis committitur, dum profertur enuntiatio, quæ spectatis omnibus circumstantiis & signis externis falsa est, sed cui in mente loquentis internè adjicitur vel subintelligitur aliquid, per quod fieret vera, quod internum tamen nullo signo manifestatur aut connotatur. V. g. Joannes interrogatus, an hodie viderit Petrum, quem revera vidit; respondet: non vidi eum hodie, subintelligendo: non vidi eum hodie in Hispania, &c.

An restrictio purè mentalis excusat à mendacio?

III. R. Negativè, quia illa restrictio interna nullo externo signo manifestatur, adeoque non consignificat, ac ita enuntiatio externa manet simpliciter falsa.

Insuper per restrictionem purè mentalem turbaretur societas humana eodem modo, quo per mendacia.

IV. "Probatur etiam ex damnatione hujus prop. 36. Innoc. XI. si quis vel solus vel coram aliis, sive interro-

gatus, sive sponte propriâ, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum, revera non mentitur, nec est perjurus."

V. Prudenter quidem La Croix lib. 3. pag. 1. n. 295, refutans restrictionem pure mentalem, admonet post præfatæ prop. condemnationem cautè legendos esse quosdam, qui ante condemnationem scripserunt; sed interea non video ego evidenter, quomodo ipse Num. 228. satis ab eis recedat, dum dicit licitum esse homicidæ, qui interrogatur an illum hominem occiderit, respondere: non occidi, subintelligendo in mente: ita ut tibi fateri debeam: similiter licitum esse respondere interroganti, an latro hàc transierit "non transiit hàc, si simul iste manum in manicam inserat, intelligendo, quòd non transierit "per manicam;" nam illud signum supponitur occultum vel non perceptibile ut consignificativum; sicuti motus oculorum in loquendo non esset sufficiens signum consignificativum, ut subintelligatur externè: "non transivit per oculos meos."

Interim quando ista protensio manûs in manicam esset satis manifesta & cum verbis conjunctæ perceptibiliter seu intelligibiliter, tunc ipse Boudart excusat responsionem à mendacio.

VI. Obj. Christus videtur usus restrictione mentali, dum Marci 7. v. 32. dixit se nescire diem judicii, ergo est licita.

R. Nego ant. quia Christus id dixit tanquam Legatus Patris; notum autem est omnibus, quòd Legati Regum possint dicere, se nescire ea, quæ habent sub secreto legis, quia qualitas Legati consignificat & restringit.

Alii respondent, quòd Christus diem judicii ex principiis cognitionis naturæ humanæ non sciverit, & eatenùs dixerit se nescire, licèt sciverit ut Deus.

VII. Obj. Joan. 7. v. 8. dixit Christus discipulis: "Ego non ascendo ad diem festum istum:" & tamen postea ascendit; ergo, &c.

R. Discipuli petebant ut ascenderet primo die cum ipsis, ut patet ex Textu. Christus respondet verè, "ego non ascendo" ad diem festum illum, scilicet primum: consonat quòd in quodam Textu Græco legatur, ego "nondum" ascendo.

Secundò, Discipuli volebant ut manifestè ascenderet: id negavit Christus, & propterea Textus dicit, "ascendit non manifestè.

Ad Objectiones plures alias respondet Wiggers Tract. 8. de Religione cap. 5. dub. 13.

N. 245. DE AMPHIBOLOGIA ET ÆQUIVOCATIONE.

I. *Casus exponitur.* II. *Amphibologia est sine mendacio.* III. *Objectio.* IV. *Modus evadendi mendacia.*

AN licet loqui cum amphibologia sive æquivocatione?

I. Casus est, quando propositio vel verbum patitur duos sensus vel duas significationes, v. g. hæc propositio, dico latronem Petrum occidisse, potest significare quòd latro occiderit Petrum, & è contra quòd Petrus occiderit latronem: similiter vox "mundus" potest significare orbem terræ & munditiem, & ex eo æquivoca est hæc enuntiatio, mundus non est mundus.

II. R. Hujusmodi æquivocatio non continet mendacium, in quocumque sensu accipiatur, quia verba externa verè significant illum sensum, quem loquens in mente habet, & sic differt à restrictione purè mentali, in qua verba externa non continent sensum mentalem.

Igitur licet ex justis causis eâ uti in alterutro sensu: sic Angelus Tob. 5. locutus est metaphoricè: "Ego sum "Azarias, magni Ananiæ filius," id est, sum adjutorium Domini, filius adoptivus Dei. Polm. n. 1044.

III. Obj. Utens tali æquivocatione intendit alium fallere & decipere, atqui id est contra sinceritatem societatis humanæ, ergo non licet.

R. Negatur assump. sed intendit dicere verum, quod habet in mente; ad deceptionem alterius ex mala ejus intelligentia habet se permissivè, & propterea ut ab omni peccato excusetur, requiritur justa causa.

IV. Modus opportunus avertendi importunas hominum curiosorum interrogationes, est reciprocè apponere interrogationem: v. g. si petant, an scis hoc? an fecisti hoc? reponas: unde ego hoc scirem? quare hoc fecissem? &c. Simili modo Christus Luc 24. interrogationi Discipulorum euntium in Emmaüs replicuit dicens: *Quæ?*

N. 246. DE SIMULATIONE ET HYPOCRISI.

S. Th. 2. 2. *q.* 111.

I. *Mendacium per facta.* II. *Hypocrisis.* III. *Simulare largè acceptum.*

I. QUID est simulatio?

R. Est mendacium per facta, dum scilicet per signa factorum significatur contrarium ejus, quod est in mente: v. g. si quis signa amicitiæ exhibeat ex animo inimico; quo modo Judas osculatus est Christum.

II. Et quidem si sit simulatio sanctitatis, quam quis non habet, vocatur hypocrisis, quæ aliquando est peccatum mortale, prout fuit in Pharisæis; quando scilicet contemnitur sanctitas, vel quando procedit ex fine mortaliter malo. S. Th. art. 4.

Occultare sive tacere peccata sua, ne alium scandaliset, non est hypocrisis. S. Th. art. 1. ad 4.

III. Simulare, largè acceptum pro componere, non semper importat peccatum: sic Christus Luc. 24. "finxit se longiùs ire," id est composuit gressus, sicut is, qui longiùs iret, idque erat verum & aptum signum ad excitandos Discipulos ad hospitalitatem, quæ erat mens Christi: sic parentes se quandoque ostendunt quasi iratos, ut cohibeant pueros à malo.

S. Th. 2. 2. q. 112. jactantiam reducit ad mendacium, docetque eam aliquando esse peccatum mortale.

N. 247. DE AFFABILITATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 114 & 115.

QUID est affabilitas?

Est virtus efficiens conversationem cum proximo gratam & comem, in affatu & aliis rebus.

Vitia opposita per excessum sunt adulatio vel blanditia, quæ est nimia et indecora ad homines accommodatio.

Vitium per defectum est asperitas conversationis, adferens proximis molestiam & tædium.

Solent hæc vitia haberi ut peccata venialia ex genere suo, quatenùs affabilitati præcisè opponuntur.

N. 248. DE LIBERALITATE, AVARITIA ET PRODIGALITATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 117, 118, 119.

I. *Definitio.* II. *Vitia: avaritia, prodigalitas.* III. *Ex genere suo sunt venialia peccata, sed sæpe mortalia ex circumstantiis.* IV. *Avaritia inter peccata capital.* V. *Filiæ Avaritiæ.* VI. *Objectio.* VII. *Filiæ vitii possunt esse alterius speciei.* VIII. *Præcepta Decalogi.*

QUID est liberalitas?

I. R. Est virtus, quæ in elargiendis pecuniis moderatur affectum & usum secundùm rationis dictamen.

Sub pecuniis comprehenduntur omnes res externæ, S. Thom. a. 2.

II. Vitia opposita liberalitati sunt, avaritia sive illiberalitas per defectum, & prodigalitas per excessum.

Avaritia est inordinatus amor divitiarum.

Prodigalitas est superflua divitiarum erogatio.

III. Hæc vitia sunt ex genere suo peccata venialia, quatenùs opponuntur soli virtuti liberalitatis; frequenter tamen sunt mortalia ex circumstantiis; & ita prodigalitas est pectatum mortale, dùm ex ea quis negligit solvere debita aut alere familiam vel ad alia mala dilabitur, prout filius prodigus, Luc. 15.

Similiter avaritia induit culpam mortalem, dum quis ex ea perpetrat iniqua, vel in ea collocat finem ultimum, & ex hac ratione vocatur "Idolorum servitus" ad Eph 5. v. 5. scilicet similitudinariè, ait S. Thom.

IV. Hinc etiam dicitur Eccl. 10. "Avaro nihil scelestius, quia avaritia ducit in omnia scelera, & propterea connumeratur inter septem vitia seu peccata capitalia.

V. S. Thom. quæst. 118. art. 8. demonstrat esse septem filias avaritiæ, quæ sunt proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ & contra misericordiam obduratio. De his latiùs 1a. 2æ. in Tract. de peccatis capital.

VI. Obj. Illa peccata non sunt ejusdem speciei cum avaritia, ergo non sunt ejus filiæ.

R. Conc. ant. & nego cons. pro quo

VII. Observat S. Thom. q. 118. a. 7. ad 1. quòd ad hoc, ut peccatum aliquod vocetur filia alicujus vitii, sufficiat, quòd ex occasione istius vitii committatur, quamvis non

sit ejusdem speciei, proinde non est idem, esse species vitii, & esse filias ejusdem vitii.

VIII. S. Thom. 2. 2. q. 122. discurrit de præceptis justitiæ, & hâc ratione de Præceptis Decalogi; de quibus Scholastici agunt 1a. 2æ. in Tractatu de legibus: luculenter etiam eadem explicant Scriptores morales; propterea nos explicationem Decalogi hìc prætermittimus,

TRACTATUS

DE

FORTITUDINE

N. 249. TERTIA VIRTUTE CARDINALI.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 123.

I. *Definitio.* II. *Objectum materiale duplex.* III. *Objectum formale.* IV. *Vitia per excessum,* V. *Et per defectum.*

FORTITUDO generaliter accepta importat animi firmitatem in operando, & secundùm hoc est generalis virtus, vel potiùs conditio cujuslibet virtutis. S. Th. a. 2. in c.

I. Fortitudo, quæ est virtus specialis, dignitate tertia inter quatuor cardinales, residens in appetitu irascibili, describitur: "Virtus moralis, quæ in aggrediendis & sustinendis rebus arduis vel difficilioribus moderatur animi passiones, & inde subsequentes actiones." Ita Wiggers.

II. Objectum ejus materiale remotum sunt res arduæ vel difficiles, & præcipuè pericula mortis; objectum proximum est moderatio motuum timoris & audaciæ, item tristitiæ; dum enim difficultas superari non potest, fortitudo moderatur tristitiam in sustinendo, & patiendo, Wig. n. 5.

III. Objectum formale est honestas rationis, qnæ invenitur in firma animi constantia in aggrediendo & sustinendo ardua. Igitur duplex est actus fortitudinis, aggredi & sustinere cum firmitate animi.

IV. Vitia opposita fortitudini per excessum sunt intimiditas & temeritas, sive audacia. S. Thom. q. 127.

V. Vitia opposita per defectum sunt timiditas & sub ea ignavia. Ita Wiggers.

Sunt autem hæc vitia peccata mortalia vel venialia juxta rationem mali, quod ex eis committitur, vel obligationem boni, quod prætermittitur S. Thom. q. 125. a. 3.

Obiter nota ex S. Thom. hìc q. 127. a. 1. ad 3. quòd sint quædam virtutes & vitia, quæ non habent propria nomina specifica.

Principalis fortitudinis actus est martyrium, de quo sit Numerus sequens.

N. 250. DE MARTYRIO.

S. Thom. 2. 2. *q.* 124.

I. *Definitio.* II. *Martyrium infantium.* III. *Martyrium adultorum.* IV. *Mors pro fide vel pro quacumque virtute.* V. *Conditiones requisitæ.* VI. 1. *Mors.* VII. 2. *Fides.* VIII. 3. *Sine resistentia.* IX. *Sentent. Sylvii.* X. 4. *Fides & dispositio.* XI. *Effectus Martyrii.* XII. *Se sponte offerre ad Martyrium.*

QUID est martyrium?

I. R. Est toleratio mortis illatæ à Tyranno in odium Dei, sive Religionis veræ.

II. Ecclesia duplex martyrium agnoscit: unum est eorum qui ante usum rationis occiduntur in odium Dei; et valet ex speciali Dei gratia & privilegio, loco Baptismi, ad salutem & coronam: sic infantes ab Herode occisos causâ Christi, Ecclesia colit ut Martyres.

III. Alterum est martyrium adultorum, quod consistit in voluntaria acceptione & tolerantia tormentorum mortis, pro testificatione Fidei aut veræ Religionis, sive propter Deum, illatæ à Tyranno.

Hoc martyrium est actus virtutis fortitudinis elicitus, & imperatus à charitate aliisque virtutibus.

An Virgines peremptæ ob castitatem sunt Martyres?

IV. R. Affirm. Nam sub Fide & verâ Religione comprehenditur omnis virtus, vel omissio peccati, quatenùs à Fide, Religione, vel à Deo commendatur vel remuneratur: ita Joannes Bapt. est Martyr occisus propter reprehensionem adulterii.

Non tollit rationem martyrii, quòd Tyrannus fingat alium titulum ex malitia vel ignorantia, modò causa Religionis verè concurrat.

Si quis verò justè occidatur pro suo scelere, non erit Martyr, quia, ait S. Aug., pœna non facit Martyrem, sed causa. Wig. num. 15.

V. Quænam igitur sunt conditiones requisitæ pro martyrio?

VI. R. Prima est, ut mors verè sequatur, vel sufficiens causa mortis sit applicata, etsi miraculosè effectus mortis impediatur; quo modo S. Joan. Evangelista colitur tanquam Martyr.

VII. Secunda, ut mors, illata ex odio Fidei sive Religionis, acceptetur ex fide Divina; defectu hujus, Hæretici non sunt Martyres, etsi occidantur ab Infidelibus in odium Christi.

VIII. Tertia, ut Martyr non reluctetur aut repugnet contra Tyrannum, sed mortem sine resistentia patiatur; & propterea Ecclesia non solet milites, occisos in bello Religionis, colere tanquam martyres, quia non eligunt mortem perpeti pro fide, sed potiùs vivere & pugnare. Ita Wiggers.

IX. Sylvius tamen cum S. Thom. a. 2. ad 3. propendet in hoc, ut milites illi verè dicantur Martyres, si ex vero intuitu Religionis pugnam & mortem acceptent, quia causa martyrii cum morte concurrit. Possunt consequi meritum martyrii, dicit S. Thom. q. 188. a. 6. ad 2.

Si autem miles agat merè ob stipendium vel finem temporalem, non attingit causam martyrii.

X. Quarta: requiritur status gratiæ, vel saltem conveniens ad eam dispositio, qualis requiritur in susceptione Baptistimatis; nam etiam vocatur Baptismus sanguinis; fuit enim quovis tempore, ait Conc. Trid. sess. 14. c. 4. contritionis motus necessarius ad impetrandum veniam peccatorum.

XI. Qui sunt effectus martyrii?

R. Gratia Sanctificans prima, vel augmentum ejus, remissio omnis culpæ & pœnæ, item aureola gloriæ.

X. An licet se sponte offerre ad martyrium?

R. Regulariter loquendo non licet; S. Th. a. 1. ad 3. quia hoc est dare Tyranno occasionem peccati, & prodigere vitam propriam.

Licet tamen, si justa causa concurrat: v. g. conversio infidelium, roboratio vacillantium, &c. Item licet ex inspiratione Spiritûs Sancti.

Observa ex S. Thom. hìc a. 1. ad 3. quomodo actus quidam aliquando obligent solùm secundum præparationem animi.

N. 251. DE VIRTUTIBUS FORTITUDINI ANNEXIS.

S. Thom. 2. 2. *q.* 128. *& seq.*

I. 1. *Magnanimit.* II. *Vitia.* III. 2. *Magnificen.* IV. 3. *Patientia.* V. *Vitia.* VI. 4. *Perseverantia.* VII. *Vitia.* VIII. *Vitia illa sunt ordinariè venialia peccata.*

QUATUOR assignantur à S. Thoma virtutes annexæ fortitudini.

I. Prima est "magnanimitas," quæ versatur circa actus heroïcos, præcipuè quantùm ad honores.

II. Vitia huic virtuti opposita per defectum est "pusillanimitas, S. Thom. 2. q. 132. per excessum sunt præsumptio, ambitio, & inanis gloria." S. Thom. q. 130, 131, 132.

III. 2ª. Est "magnificentia," quæ versatur circa res magnas & sumptuosas juxta rationis dictamen. S. Thom. q. 134.

Vitia eidem opposita sunt "parvificentia" per defectum, & "nimia profusio" per excessum. S. Thom. q. 135.

IV. 3ª. "Patientia," quæ est virtus firmans animum in tolerantia afflictionum contra tristitiam & peccatum; ei adjungitur "longanimitas." S. Thom. q. 136.

V. Patientiæ opponuntur hæc vitia, "impatientia" per defectum, & "insensibilitas" per excessum.

VI. 4ª. Est "perseverantia," quæ est virtus conservans animum in bono contra molestiam diuturnitatis. S. Thom. q. 137. Virtus ei affinis est constantia.

VII. Vitia opposita sunt "pertinacia" per excessum & "mollities" seu tædium atque inconstantia per defectum. Consule Breviarium Polman.

De dono perseverantiæ agitur alibi.

VIII. Vitia præfata, opposita prædictis quatuor virtutibus, ordinariè ad peccata venialia terminantur, nisi dignitas materiæ, aut contemptus, vel alia circumstantia præcepti aut charitatis, &c. intercedat.

Similes casus per exempla explicat Sylvius scribens in prædictas S. Thom. quæstiones.

TRACTATUS

DE VIRTUTE TEMPERANTIÆ.

N. 252.

S. Thom. 2. 2. *q.* 141.

I. *Definitio.* II. *Objectum materiale remotum.* III. *Proximum.* IV. *Formale.* V. *Vitia.* VI. *Proposit. damnatæ.* VII. *Fundamentum.* VIII. *Obj. R.*

I. TEMPERANTIA, quæ est virtus specialis, quarta inter cardinales, describitur: " Virtus moderans delectationes usumque gustûs & tactûs.

II. Objectum materiale sive materia remota sunt esculenta, poculenta & venerea.

III. Materia proxima sunt delectationes cibi & potûs ad conservationem individui sive vitæ; item delectationes seu concupiscentia venereorum, ad conservationem speciei humanæ, quæ delectationes sunt vehementissimæ præ aliis, & ideo requirunt specialem virtutem ad moderamen.

IV. Objectum formale est ratio moderationis convenientis naturæ rationali humanæ.

V. Vitia generatim opposita temperantiæ sunt "insensibilitas" per defectum, "intemperantia" per excessum. S. Th. q. 142.

VI. Annectenda hìc est condemnatio daurum propositionum sequentium ab Innoc. XI.

" Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini. Quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui." Est 8.

" Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni " penitus culpâ caret ac defectu veniali."

VII. Ratio fundamentalis hujus justæ damnationis est, quòd naturalis ordo invertatur, quando opus ordinatur ad

delectationem ut finem, siquidem natura ordinet delectationem ad opus; annexa enim est delectatio, ut opus debitum non negligatur; igitur delectatio non potest esse finis. Ita P. Antoine tom. 2, pag. 284.

VIII. Putavit nuper quidam Professor ictum condemnationis evadere docendo, quòd præfata opera liceant ob delectationem, quando illa delectatio est moderata; sed idipsum implicat, quòd delectatio illa sit moderata, quæ non ordinatur ad opus, sed quæ è contra est finis operis.

Deinde Author illarum propositionum damnatarum idem voluit, quod Professor iste: ille enim Author non ita insanivit, ut dicere voluisset, actus illos ob immoderatam voluptatem exercitos carere omni culpâ, ergo voluit loqui de actibus exercitis ob voluptatem moderatam.

N. 253. DE VIRTUTE ABSTINENTIÆ.

S. Thom. 2. 2. *q.* 143.

I. *Partes subjectivæ sive species.* II. *Partes potentiales.* III. *Definitio abstinentiæ.*

SANCTUS Thomas hìc docet, virtutis temperantiæ triplices esse partes, scilicet integrales, subjectivas, & potentiales.

Integrales sunt hæ duæ: honestas, & verecundia; hæc non est virtus, sed passio sub timore. S. Th. q. 144. & 145.

I. Partes subjectivæ sive species sub virtute temperantiæ sunt:

Abstinentia circa cibum & potum non inebriativum;

Sobrietas circa potum inebriativum;

Pudicitia circa oscula, tactus, &c. S. Th. q. 143.

II. Partes potentiales temperantiæ sunt virtutes secundariæ circa materias minùs difficiles, quarum delectationes moderantur.

Sunt autem hæ: continentia, mansuetudo, clementia, modestia; hujus species sunt humilitas & studiositas; addit Antoine eutrapeliam & circumspectionem.

Quamvis aliquæ harum versentur circa materias alias, vocantur tamen partes potentiales temperantiæ ob modum similem moderandi.

Quid est abstinentia?

III. R. Est virtus moderans concupiscentiam usumque alimentorum, convenientèr ad bonum rationis,

Hæc abstinentia variis modis & gradibus in actum deduci potest, vel ut abstineatur ab omni cibo, quo modo Christus abstinuit 40 diebus Matth. 4. vel à solis carnibus aut ab alia cibi specie, vel à pluribus refectionibus, &c.

Abstinentiæ præcipiuus actus est jejunium de quo cum S. Thoma 2. 2. q. 147. agemus in seq.

N. 254. DE JEJUNIO EJUSQUE DIVISIONE.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 147.

I. *Divisio.* II. *Jejunium spirit.* III. *Morale.* IV. *Cadit sub præcepto juris naturalis.* V. *Jejunium naturale.* VI. *Cujus Virtutis sit actus.*

I. POLMAN plures vocis jejunii acceptiones explicat & ita dividit jejunium in philosophicum, medicinale, pœnitentiale, morale, spirituale, naturale & ecclesiasticum.

II. "Jejunium spirituale," seu metaphoricum est absti nere à peccatis. S. Aug. Tract. 17. in Joan.

III. "Jejunium morale" est potus cibique abstinentia juxta rationis naturalis dictamen ad finem moralem, v. g. ad concupiscentiam refrænandam. IV. Hoc jejunium potest jure naturali obligare quemcumque etiam infidelem per se vi præcepti temperantiæ, vel per accidens ratione alterius virtutis: ratio enim naturalis dictat, quòd unusquisque debet uti remedio congruo ad evitandum peccatum; hoc autem remedium obvium crebrò est jejunium: propterea dicit S. Thom. a. 3. quòd jejunium in communi cadat sub præcepto juris naturalis.

Theologi præcipuè hic agunt de jejunio, quod cadit snb præcepto Ecclesiæ, & illud dividunt in jejunium "naturale " & ecclesiasticum."

V. Quid est jejunium naturale?

R. Est abstinentia ab omni cibo & potu in stomachum transmisso, sive ab omni, quod sumitur per modum cibi, aut potûs aut medicinæ à media nocte.

VI. Observa, quòd illud jejunium naturale, quod præcipitur ante sumptionem Eucharistiæ, non sit propriè actus virtutis abstinentiæ vel temperantiæ, sed actus virtutis Religionis, quia præcipitur ab Ecclesia ob finem reverentiæ Sacramenti; sed jejunium ecclesiasticum est actus virtutis abstinentiæ.

N. 255. DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

I. *Definitio.* II. *Constituitur ex tribus partibus.* III. *Tripliciter peccari potest.* IV. *Jejunia imperfecta.*

QUID est jejunium ecclesiasticum?

I. R. Est "certis diebus juxta morem & præscriptum Ecclesiæ, abstinere à carnibus, sub unica in die refectione, ante horam competentem non sumenda."

II. Igitur jejunium Ecclesiasticum continet tres partes; scilicet, 1. abstinentium à carnibus, sub quibus intelliguntur ova, & lacticinia, quia à carne originem trahunt; 2. abstinentiam à pluribus refectionibus, præter unicam ex aliis cibus; 3. ut certa refectionis hora non preveniatur; & ita hoc tempore refectio non sumatur ante meridiem.

III. Hinc patescit, quòd possit hoc jejunium tripliciter violari, & sic tripliciter peccari mortaliter, 1. comedendo cibos vetitos; 2. sumendo plures refectiones; 3. præveniendo horam refectionis. Propterea qui confitetur, se violasse jejunium, interrogandus est, quam ex tribus partibus jejunii violaverit.

IV. Nota, quòd quædam jejunia non obligent ad illas tres partes observandas: sic jejunia feriis sextis & sabbatis per annum obligant ad solam abstinentiam à carnibus juxta consuetudinem loci; jejunia dierum Rogationum non prohibent refectionem secundam post meridiem; sed hæc jejunia vocantur jejunia imperfecta.

DE JEJUNIIS QUÆ SUNT IN PRÆCEPTO.

I. *Abstinentia à carne feriis sextis & sabbato.* II. *Diebus sabbati post Nat. Domini licet edere carnes.* III. *Item Fer. sexta in Natali Domini.* IV. *Jejunium in diebus Rogationum.* V. *Jejunium in 4. temporibus & quibusdam Vigiliis.*

QUÆ jejunia in Diœcesi Mechliniensi observanda sunt ex præcepto?

I. R. 1°. Servanda est abstinentia à carnibus, non à pluribus refectionibus, feriis sextis & sabbatis per annum: consuetudo tamen introduxit, ut in Diœcesi Mechliniensi diebus sabbati, nisi eodem die occurrat aliud strictum jejunium, permittatur jusculum carnis coctæ, ejusque pinguedo stillata, quorum usus in Diœcesi Antuerpiensi contigua non licet.

II. Item ex consuetudine licet vesci carnibus diebus sabbati occurrentibus à Nativitate Domini ad Purificationem B. M. V. utrimque inclusivè, ob gaudium Nativitatis Domini; non ob infirmitatem B. M. V. ex puerperio, ut falsò plebs divulgat; nam sine dolore peperit & sine infirmitate.

III. Item licitum est edere carnes in die Natalis Domini incidentis in feriam sextam Cap. 3. "explicari" tit. 46. de observ. jejun. lib. 3. Decretal. nisi quis ex voto aut aliter prohibeatur. Syn. Diœc. Mechl. tit. 22. c. 7.

IV. Secundò: observanda sunt jejunia diebus Rogationum, & S. Marci sub abstinentia à carnibus tota die, & dilatione refectionis usque ad meridiem, post quem plures refectiones permittuntur.

V. Tertiò: jejunium integrum servandum est in quatuor anni temporibus, & in vigiliis Festorum sequentium, Nativitatis Domini, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Laurentii, Assumptionis B. M. V., S. Matthæi, SS. Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, & S. Andreæ. Juxta Syn. Prov. Mechlin. 1. tit. de jejuniis cap. 1. alibi jejunatur etiam in vigiliis aliis.

Dum vigilia incipit in diem Dominicum, jejunatur Sabbato præcedenti. Idem dicit Sylv. 2. 2. q. 147. a. 4. in fine, de vigilia incidente in solemnitatem Patroni civitatis, vel Festum Corporis Christi.

Dixi jejunium integrum secundùm tres partes Numero præcedenti expositas: verumtamen

Notandum, quòd in his omnibus jejuniis præfatis non prohibeantur in hac Patria ova nec lacticinia, extra Quadragesimam.

N. 256. DE JEJUNIO QUADRAGESIMALI.

I. *Status Jejunii Quadragesimalis.* II. *Abstinentia à Lacticiniis.* III. *Diebus Dominicis non jejunatur.* IV. *Abstinentia ab ovis sub gravi.* V. *Objectio.* VI. *Objectio.*

I. JEJUNIUM Quadragesimale est solemnissimum per universam Ecclesiam, quod originem suam trahit ab Apostolis ad exemplum Christi, quamvis varias subinde passum sit mutationes; olim enim usque ad tempora S. Bernardi jejunabatur usque ad vesperam; sæculo decimo tertio tempore S. Thomæ usque ad horam tertiam pomeridianam; paulò post à tempore Durandi & his temporibus licitum est per consuetudinem sumere unicam refectionem circa meridiem, & vesperi collatiunculam: antiquæ consuetudinis interim vestigium servatur adhuc in Ecclesia, dum in Quadragesima Vesperæ cantantur ante meridiem seu ante refectionem.

II. Tempore Quadragesimæ abstinendum, etiam diebus Dominicis in ea occurrentibus, non solùm à carnibus, sed & ab ovis & lacticiniis, scilicet butyro, lacte, caseo, &c., quæ ex carnibus originem ducunt: ex consuetudine tamen in hac Patria hodiedum esus lacticiniorum, exceptis paucis diebus ab Episcopo designatis, permittitur, modò certis precibus, vel eleëmosynâ indulgentia illa compensetur; hujus verám obligationem admittit Steyart in pp. dam. apud me pag. 79. Vide Syn. Diœc. Mech. tit. 12. cap. 4.

III. Diebus Dominicis in Quadragesima licèt abstineatur à carnibus, non obligat tamen abstinentia à pluribus refectionibus, nec certa refectionis hora servanda; generatim diebus Dominicis reliquis non jejunatur ob lætitiam Resurrectionis Christi, quantumvis eo die id licitum sit; olim quidem aliqui SS. Patres inhibuerunt jejunia die Dominico, sed ad evitandos errores hæreticorum, putà Manichæorum: hinc observatur in Ecclesia, ut, dum vigilia, in qua jejunatur, incidit in diem Dominicam, jejunetur Sabbato præcedenti: verumtamen dies festivus extra Dominicam non mutat jejunium, nisi sit Festum Corporis Christi, vel solemnitas Patroni Civitatis, ait Sylvius.

An obligatio abstinendi ab ovis & lacticiniis est gravis?

IV. R. Videtur, quia in illis potest dari materia gravis; attamen sæpe levis est. Accipe pp. 32. damnatam ab Alex. VII. "Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget."

V. Objiciunt hæretici, quòd nulla de jejunio Quadragesimæ exstent testimonia in litteris Apostolorum.

R. Per Traditionem Apostolicam illud jejunium propagatum est: pro istius probatione sufficit aurea illa S. Aug. lib. 4. contra Donat. regula: quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Qui Curiosus desiderat cognoscere initium, progressum & mutationes præfatorum jejuniorum, adeat opus R. P. Cozza, tomum in folio de jejunio.

VI. Obj. Marci 2. v. 19. dicit Christus, quòd filii Sponsi non possint jejunare, atqui Christiani sunt filii Sponsi Christi; ergo, &c.

R. Locutio est parabolica: filii Sponsi intelliguntur Discipuli Christi, & significatur, quòd non conveniat, ut Christus, quamdiu in terris cum ipsis morabatur, faceret eos jejunare seu lugere, ut exprimit Matth. cap. 9. ast post mortem Christi jejunaverunt, ut testatur de se S. Paulus. Duas alias Responsiones adfert S. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 3.

N. 257. DE ABSTINENTIA A CARNIBUS.

S. Thom. 2. 2. *q.* 147. *a.* 8.

I. *Ratio prohibendi esum carnis.* II. *Vinum non prohibetur.* III. *Explicatur Textus Matt.* 15. IV. *Item Luc.* 10. V. *Item* 1. *ad Cor.* 10. VI. *Item Ep. ad Tit.* 1. VII. *Est peccatum mortale.* VIII. *Materiæ parvitas.* IX. *Peccat toties quoties edit.*

QUARE prohibetur esus carnium die jejunii?

I. R. Quia jejunium institutum est ad macer ationem carnis, sive ad reprimendam concupiscentiam gustûs & venereorum. Esus autem carnium plus habet delectationis & provocat ad venerea subministrando abundantiores humores seminis. S. Th.

Sub carnibus comprehenditur jusculum carnium, & ea quæ ex carne originem trahunt, ut ova, &c.

Quorum animalium carnes prohiberi censeantur, meliùs ex usu communi discernitur: carnes testudinum, ranarum & similium, quæ in aquis nutriuntur, non comprehenduntur, quia, cùm sint frigidioris naturæ, non ita generant sperma.

Quare non prohibetur vinum, in quo est luxuria Prov. 20?

II. R. Quia vinum alibi est potus ordinarius & necessarius.

Respondet S. Th. art. 8. ad 1. quia vinum libidinem solùm excitat ratione caloris, qui cito transit, sed carnes eam promovent ratione humoris, qui diu manet.

Alibi antiquitus vinum etiam prohibitum fuit.

Calvinistæ & Lutherani, resuscitantes errorem Joviniani, objiciunt contra jejunium.

III. Obj. Matth. 15. v. 11. dicit Christus: "Non quod intrat in os, coinquinat hominem;" ergo esus carnis non coinquinat.

R. Distinguo consequens; ergo esus carnis non coinquinat ex sua natura hominem, aut ex eo, quòd fiat non lotis manibus, concedo totum; non coinquinat ratione inobedientiæ & intemperantiæ propter prohibitionem, nego cons. sic esus fructûs vetiti coinquinavit Adamum; similiter legimus quod Deus V. L. prohibuerit carnem porcinam: & in N. L. Apostoli imposuerunt fidelibus abstinere a sanguine & suffocato. Act. 15.

IV. Obj. Luc. 13. "Manducate quæ apponuntur vobis."

R. Christus mandat Discipulis, ut sint contenti cibis, qui apponuntur, non autem ut edant cibos vetitos, quia nec Christus nec Discipuli unquam comederunt cibos vetitos; ita ut acceptio sit commoda.

V. Obj. 1. Cor. 10. v. 27. "Omne quod vobis apponitur, manducate."

R. Docet solùm Apostolos, fidelibus licitum esse manducare idolothyta, quando apponuntur; non loquitur de cibis vetitis.

VI. Obj. ad Tit. 1. v. 15. "omnia munda mundis."

R. Similiter agitur de idolothytis, quæ licitè comedebantur à mundis, sive à fidelibus, qui non laborabant conscientiâ erroneâ.

Quantum est peccatum edere carnes die jejunii vel abstinentiæ.

VII. R. Est ex genere suo peccatum mortale, quia datur in eo gravis materia, & finis legis similiter gravis est, & quia sic habet sensus fidelium.

An potest fieri veniale ex parvitate materiæ?

VIII. R. Affirm. quia una buccella carnis v. g. non est in se materia gravis cibi vel nutritionis: nec fit gravis ex parte finis legis; ergo, &c.

Passim tamen ejus esus erit peccatum mortale propter

conscientiam erroneam & scandalum, & ob actionem contra Professionem fidei; populus enim apprehendit esum carnis die jejunii tanquam indicium & signum hæresis: & hâc ratione Tannerus non admittit materiam levem.

IX. Observa, quòd toties quis peccet, quoties carnes comedit die jejunii; nam præceptum non comedendi carnes est negativum.

N. 258. DE UNICA REFECTIONE.

S. Thom. q. 147. *art.* 6.

I. *Ratio unicæ Refect.* II. *Objectio.*

QUARE Ecclesia permittit unicam tantùm refectionem die jejunii?

I. R. S. Thom. art. 6. in c. quia per unicam refectionem salvatur hominis natura, ne intereat, & simul concupiscentiæ aliquid subtrahitur.

Dies intelligitur naturalis ab hora duodecima nocturna usque ad duodecimam noctis sequentis.

Observa 1°. quomodo quæcumque cibi sumptio sine causa die jejunii extra refectionem & collatiunculam, pariat peccatum vel mortale, si materia sit respectivè notabilis; vel veniale, si materia sit levis.

Observa 2°. quòd plura modica sumpta eadem die jejunii, inter se coalescant ratione effectûs nutritionis, & ita possint constituere materiam gravem ad mortale, sicuti plura parva furta coalescunt: hinc damnata est ab Alex. VII. hæc Prop. 29. "In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium."

II. Obj. modica diversis diebus jejunii sumpta non coalescunt, ergo modica eodem die sumpta non coalescunt.

R. Conc. antec., nego conseq. Ratio disparitatis est, quòd sumpta eodem die sint contra unum idemque præceptum in individuo; sed quæ diversis diebus sumuntur, sunt contra diversa præcepta singularia; lex enim jejunii quadragesimalis est virtualiter totiplex, quot sunt dies, & ideo modica diversis diebus sumpta sunt disparata, & non constituunt peccatum mortale.

N. 259. DE PECCATIS CIRCA REFECTIONEM UNICAM.

I. *Tripliciter peccatur.* II. *Protrahendo refectionem ultra duas horas.* III. *Casus.* IV. *Dividens refectionem.* V. *Interruptio refectionis per semihoram.* VI. *Ex justa causa licet.* VII. *Ex causa negotiorum.* VIII. *Quomodo Ministrantes excusentur.* IX. *Peccatur mortalit. absque contemptu.* X. *Materia levis.* XI. *Materia gravis.* XII. *Poma, pyra, &c. sunt cibus.*

I. TRIPLICITER peccari potest ex causa unicæ refectionis; 1. sumendo plures refectiones, aut plures partes refectionis.

2. Dividendo refectionem, sive interrumpendo per notabile tempus.

3. Protrahendo nimium refectionem in longum tempus, sic enim virtualiter multiplicatur refectio.

Quanto tempore potest protrahi refectio?

II. R. Rationabiliter dicitur, quòd ultra duas horas continuas non possit protrahi. Addit Henno tunc monendos esse convivas, ut abstineant ab esu.

An quispiam, qui tempore semi-horæ festinanter absolvit suam refectionem, possit post spatium unius horæ iterum manducare titulo, quòd duæ horæ refectionis necdum sint elapsæ?

III. R. Negativè; quia iste supponitur intentione & re absolvisse refectionem suam completam, adeoque posterior manducatio illa non est pars prioris completæ refectionis, sed potius pars secundæ refectionis.

An dividens per notabile temporis spatium refectionem in duas partes, peccat, dum illæ duæ partes æquivalent ex parte cibi unicæ solùm refectioni integræ?

IV. R. Affirm. Ratio est, quòd non servetur unitas refectionis: deinde prohibentur non solùm plures integræ refectiones, sed etiam plures semi-refectiones sive partes refectionis.

Quantum temporis spatium censetur hìc facere notabilem interruptionem?

V. R. Id facit spatium dimidiæ horæ, juxta Cozza p. 3. 3. n. 86. maximè si desit justa causa, vel si quis cessaverit sine intentione refectionem inceptam prosequendi postea: imò existimat Cozza p. 3. a. 1. d. 6. n. 81. eum, qui surgit è mensa animo & voluntate non reassumendi comestionem,

sive, quod est æquivalens, qui dixit orationem gratiarum cum intentione finiendi refectionem, non posse comestionem reassumere, licèt post breve tempus : aliqui tamen putant, mutatâ voluntate, id licere. Vide La Croix lib. 3. p. 2. n. 1281.

VI. Ex justa causa licebit sine ullo peccato refectionem interrumpere per breve tempus, per quadrantem vel dimidiam horam (ait Cozza) & ita, VII. si quis inceperit refectionem, & necessitatis vel negotiorum causâ avocetur, poterit rediens perficere refectionem unicam inchoatam ante.

VIII. Eodem titulo Diana excusat ministrantes mensæ, & lectores tempore mensæ, qui aliquid cibi sumunt immediatè ante mensam, quia isti intendunt cum edentibus incipere refectionem, & post ministerium præstitum immediatè eam perficere.

Alii eosdem excusant titulo necessitatis contra debilitates, ut debitè fungantur suo officio. Bill. t. 5. p. 174. neutrum causam universaliter sufficientem arbitratur, sed eosdem excusat per consuetudinem communiter receptam.

IX. Docuerunt quidam, non peccari mortaliter per violationem jejunii, nisi fiat ex contemptu: sed eorum doctrina damnata est ab Alex. VII. in hac prop. 23: "Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto."

X. *Quæ* quantitas cibi, extra refectionem & collatiunculam sumpta, censetur esse gravis sive sufficiens materia pro peccato mortali : quæ autem materia levis?

XI. R. Certum est quòd circa jejunium Ecclesiasticum detur parvitas materiæ, & ita buccella una aut altera panis habetur materia levis, sive ut ait Cozza p. 3. a. 1. d. 5. n. 61. & Antoine t. 2, una uncia vel duæ, v. g. libum unius quadrantis, quod pendit unciam & mediam, est materia levis; sed puto hic iterum aliquid respectivè esse considerandum. Vide infra n. 262.

Jentaculum hominis, quo ipse satis nutritur usque ad meridiem, est certò materia gravis.

Similiter quantitas collatiunculæ descriptæ numero 262. est materia gravis. Meminerint, quòd parvæ quantitates coalescant secundùm ante dicta n. 258.

XII. Poma, pyra, nuces, uvæ aliique fructus connumerantur inter cibos ; verumtamen, cùm sint communiter cibi leviores, major requiratur quantitas pro constituenda materia gravi : consequitur, quòd non liceat, nequidem causâ

sedandæ sitis, edere poma, uvas, &c., sicut non licet sic bibere cessante necessitate. Vide latiùs Cozza p. 3. a. 1. dub 5. qui ibidem n. 59. improbat modum, quo conterendo dentibus poma vel uvas, succus solùm videretur sumi: mustum interim censetur merus potus.

N. 260. DE PECCATIS TERTIÆ ET QUARTÆ REFECTIONIS.

I. *Peccatur sumendo tertiam refec.* II. *Objectio.* III. *Peccatur mortaliter.* IV. *Qui die Jejunii lautiùs manducat.* V. *Objectio.* VI. *Objectio.* VII. *Objectio.* VIII. *Objectio.* IX. *Peccat contra temperantiam.*

AN is qui violavit jejunium per secundam refectionem, peccet sumendo tertiam & quartam eodem die?

I. R. Affirm. nimirum toties peccat, quoties deinde manducat, vel saltem peccatum suum auget; quia præceptum Ecclesiasticum jejunii includit hoc negativum: non sumes plures refectiones; quod prohibet æquè tertiam ac secundam, sicuti quis toties peccat, quoties comedit carnes die jejunii. Ita Sylvius 2. 2. q. 147. a. 6. concl. 3. quæst. 3. Antoine t. 2. de jejun.

II. Obj. Jejunium eo die est ipsi impossibile observatu; quia jam violatum est per secundam refectionem: ergo &c.

R. Dist. ass: jejunium est ipsi impossibile, ut integrè & inviolatè illud observet; conc. ass. est ipsi impossibile observare præceptum jejunii quoad ulteriores refectiones, neg. ass: sicut qui comedit semel carnes, potest & debet abstinere ab ulteriori esu ejusdem.

III. Busenbaum putat, quòd iste, licèt in secunda refectione peccaverit mortaliter, in tertia & reliquis peccet solùm venialiter; sed dicti sui rationem non reddit, nec solida reddi potest, dum materia tertiæ & reliquarum comestionum gravis est; ut docet Sylvius cum citatis à La Croix lib. 3. p. 2. n. 1265. Opinio Busenbaum fortè admitti posset, dum materia reliquarum comestionum est ita levis, ut non adferat notabile augmentum ad materiam primæ transgressionis.

An violat jejunium, qui die jejunii vel anteriori die plus solito manducat in refectione, ut faciliùs sustineat onus jejunii?

IV. R. Non videtur directè violare præceptum jejunii; quia quantitas cibi juxta S. Th. 147. a. 6. ad. I. in refectione non taxatur lege jejunii. Probant responsionem

Bonac. de præc. Eccl. q. 1. p. 2. n. 7. Abul in 6. Matth. q. 166. mihi t. 13. p. 139, & modernus Cozza hac ratione: quia iste servat totum quod præceptum est, unicam refectionem, horam, & abstinentiam à carnibus.

V. Nec obstat, quod iste peccet contra temperantiam: quia equidem observat præceptum quoad substantiam, cum jejunium non debeat esse actus in substantiam supernaturalis.

Quidam, inter quos Billuart, docent, eum agere contra legem jejunii, &

VI. Objiciunt: S. Thom. in 4. d. 15. q. 3. a. 4. q. 1. ad 1. dicit; "legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit:" atqui iste plus manducat in fraudem legis jejunii; ergo, &c.

R. Neg. min. solùm enim intendit evadere difficultatem famis & debilitatis; quæ non sunt de essentia jejunii.

VII. Instant. 1°: iste agit contra intentionem & finem objectivum, neg. ant. agit contra finem & intentionem, legis; ergo, &c.

R. Dist. ant. agit contra intentionem & finem objectivum, neg. ant. agit contra intentionem remotam finalem extrinsecam, conc. ant.

VIII. Instant. 2°: agit contra finem objectivum, quia intendit positivè excludere finem intinsecum, qui est mortificatio carnis.

R. Negatur; quia finis intrinsecus legis est mortificatio quæ generatur per abstinentiam à secunda, tertia & aliis refectionibus: jam autem iste mortificat se per abstinentiam à secunda & tertia refectionibus.

IX. Id interim facilè admittitur, quòd agat aliquo modo indirectè contra finem legis, & contra temperantiam, & eatenus possit peccare. Imò hujusmodi repletio reddit jejunium onerosius, dum cibi nimii aggravant corpus & animam, malos generant humores & phlegmata, ubi moderata refectio reficit & fortificat corpus & animam.

N. 261. DE HORA UNICÆ REFECTIONIS.

I. *Hora refectionis meridiana.* II. *Circiter.* III. *Anticipare notabiliter est peccatum mortale.* IV. *Ob justam causam licet prævenire.* V. *Casus triplicis peccati.* VI. *Interrogandus pœnitens.*

QUÂ horâ diei, tempore jejunii, licet sumere refectionem?

I. R. Circa horam duodecimam meridianam juxta consuetudinem hodiernam: seriùs expectare licet, & antiquitus erat in præcepto exspectare vesperam, postea horam tertiam, ut supra n. 256. dictum est.

Prævenire horam non licet.

II. Dicitur circa horam meridianam, accipiendo horam moraliter, non physicè: nam in quibusdam Monasteriis ad medium duodecimæ refectio sumitur: & foris rustici solent prandere horâ undecimâ, sed hoc ideo quia leviores cibos sumunt, & solent esse operarii.

Quantum peccatum est anticipare horam refectionis?

III. R. Respondet Sylvius quæst. 147. art. 7. Concl. 3. anticipationem mediæ horæ esse leve peccatum, sed duarum horarum esse grave: quia est notabilis anticipatio, veluti si quis circa horam nonam aut decimam matutinam reficiatur: sic enim Lessius lib. 4. c. 2. n. 13. cum aliis.

Cozza tamen p. 3. a. 5. n. 40. non est ita indulgens, dicens, quòd prævenire horam prandii taxatam à consuetudine, per horam unam, sit notabile tempus & peccatum mortale.

IV. Sine peccato anticipatur refectio unica ob justam causam, v. g. ob iter arripiendum, quod negabit refectionem convenienti tempore, & ob similia negotia & necessitates. Sylv. Cozza, Regin.

V. Igitur observa, quomodo quis, die jejunii sine causa manè reficiens se carnibus cum intentione sumendi secundam refectionem, committat triplex peccatum mortale vel unum æquivalens tribus.

VI. Quapropter is, qui confitetur, se violasse jejunium, interrogandus est quam vel quas partes jejunii violaverit, an sine justa aliqua causa, an scandalum dederit sive occasionem peccandi aliis.

N. 262. DE COLLATIUNCULA VESPERTINA.

I. *Origo Collationis.* II. *Consentiente Ecclesiâ.* III. *Descriptio.* IV. *Quantitas cibi pro collatiuncula, non absoluta.* V. *Sed respectiva.* VI. *Quarta pars cœnæ.* VII. *Qui non esurit, an potest collationem sumere?* VIII. *Qualitas cibi pro collat.* IX. *Non pisces.* X. *Nec cibi calidi.* XI. *Sorbitiuncula non licet.* XII. *Sentent. mitior.*

I. COLLATIUNCULA vespertina, quæ etiam refectiuncula, cœnula, & collatio nuncupatur, antiquitus ignota,

quia refectio circa vesperam sumebatur, incepit à tempore, quo refectio cœpta est sumi circa meridiem : nomen sortitum est à collationibus seu conferentiis & lectionibus spiritualibus vespertinis, quando fideles conveniebant; ubi tunc primùm sumpsêre aliquid potûs ; deinde ne iste potus noceret vacuo stomacho, per modum medicinæ cum potu simul aliquid cibi accepêre ; paulatim iste usus ita increvit, ut ista collatiuncula hodie sumatur ad aliquam nutritionem, II. relaxante eatenus Ecclesiâ legem suam. Nullum quidem Ecclesiæ decretum super ea relaxatione emanavit ; sed consuetudine lex moderata est connivente Ecclesiâ : quam Ecclesiæ remissionem cognoscimus ex unanimi Theologorum interpretatione & praxi fidelium.

III. Collatiuncula ergo describi potest, quòd sit modici cibi sumptio, ne potus corpori noceat, & ut corpus simul modicè reficiatur.

Observandum, quandoquidem collatiuncula introducta sit per consuetudinem, quòd illa solummodò sit licita, inquantum illam approbat consuetudo legitima timoratorum fidelium.

Quantùm cibi sumi potest pro collatiuncula ?

IV. R. Quidam statuerunt certam quantitatem pro omnibus, seu determinatas panis uncias ; S. Car. Borr. determinavit unciam panis & mediam, Cozza octo uncias, Concina tres vel quatuor ; sed, ut videtur, non satis convenienter ; quia quod uni v. g. Germano exiguum est, foret alteri v. g. Italo nimium : igitur spectari debent personarum complexiones, cibi conditiones, etc. Quapropter

V. rectiùs quantitas collatiunculæ determinatur per respectum & proportionem ad quantitatem, quâ indigeret iste homo pro moderata cœna, sive refectione: juxta hunc modum Van den Bosch restringit quantitatem collatiunculæ ad septimam vel sextam partem refectionis : VI. Layman lib. 4. tr. 8. c. n. 9. Filliuc. Busenb. aliique extendunt ad quintam vel quartam partem integræ cœnæ; & non reperi ullos, licet laxissimos, qui regulariter indulgeant ultra quartam partem integræ refectionis. Igitur juxta hunc laxiorem computum, si indigeam pro refectione unciis cibi sexdecim, potero pro collatione sumere uncias panis quatuor.

Usus in Monasteriis obtinuit, ut in collatione distribuatur unicuique libum duorum quadrantum, quamvis omnes non edant integrum.

VII. An is qui ex refectione prandii satis est confor-

tatus, vel qui non esurit vesperi, potest sumere collatiunculam vespertinam?

Respondet Cozza affirmativè propter consuetudinem, & propter anxietates continuas obventuras, ait Azorius.

VIII. Quales cibos in collatiuncula sumere licet?

R. Consuetudo, ex qua collatiuncula ortum habet, id docet: igitur licet sumere fructus, herbas, panem vel libum; in hac Patria butyratum cum caseo, IX. ait Sylvius 2. 2. q. 147. a. 6. q. 2. qui docet non esse licitum sumere pisces, adeoque minùs ova, quia sunt cibi soliti & proprii refectionis perfectæ: Sylvium sequuntur moderni, Antoine t. 2, Cozza p. 3. a. 2. d. 5. item d. 8. n. 81. Concina pag. 65.

Præfatam Sylvii opinionem acriter defendit, quamtumvis Princeps laxistarum, Diana t. 1. p. 1 tr. 9. ref. 1. & pro ea adducit agmen Doctorum.

Verum quidem est, quòd in hac Patria usus multorum habeat, ut cum butyrato modicum piscis sumant, sed utrùm iste usus præscripserit legi, inquirendum foret: certè usus iste necdum invasit refectoria Religiosorum aut Monialium, neque etiam mensam omnem omnium timoratorum; sed quia materia levis est in cibo non vetito die illo, parùm curatur, & sic a multis usurpatur.

X. Ob eandem rationem non licent cibi cocti calidi; proinde apparatus mensæ cum diversi generis cibis & ferculis calidis pro collatiuncula, abusus est, non timoratorum usus nec consuetudo. Antoine t. 2.

An ergo quispiam solitus pro collatione sumere libum & bibere pintam cerevisiæ, non possit illa miscere, & inde coquere sorbitiunculam, eamque sumere pro collatiuncula in eadem quantitate?

XI. R. Neg. quia forma collatiunculæ sive qualitas cibi non observatur; nam tale coctum est cibus ordinarius refectionis; pro collatiuncula verò consuetudo solùm permittit frigida, quæ extra refectionem sumi solent; calida enim cocta magis sunt delectabilia & magis nutriunt. La Croix lib. 3. p. 2. n 1303. Antoine t. 2. de jej. q. 3.

XII. Aliqui tamen in hoc consentiunt, quòd, si non excedatur quantitas collatiunculæ, non peccetur mortaliter; quia aiunt, collatiuncula respicit magis quantitatem, quàm qualitatem cibi. Wigg. Bonac. &c.

Certè in hac Patria sensus omnium communis judicat in collatione obligationem servandæ qualitatis cibi tanquam non gravem, dum scilicet sumuntur cibi usuales, seu non prohibiti, in quantitate exigua collatiunculæ.

N. 263. DE TEMPORE COLLATIUNCULÆ SUMENDÆ.

I. *Circa Vesperam. Inversio collationis cum refectione non licet.* II. *Nisi ex justa causa.* III. *Manè sumere non licet.* IV. *Casus.* V. *Qui manè jentaculum sumpsit, vana distinctio Casuistarum.*

QUO tempore licet sumere collatiunculam?

I. R. Circa vesperam: quia sic eam induxit consuetudo. Propterea non licet capere collatiunculam in meridie & transferre refectionem ad vesperam; illa inversio tamen non infert peccatum mortale, quia observantur quantitas & qualitas cibi, & tempora.

II. Imò nullum erit peccatum, si inversionis istius sit aliqua causa rationabilis, v. g. si fiat causâ itineris, vel negotiorum agendorum meridie, putà in die mercatûs. Item si quis non possit noctu dormire, nisi vesperi reficiatur, poterit vesperi sumere cœnam sive refectionem, & in meridie collatiunculam, non refectionem duplicem. La Croix lib. 3. p. 2. num. 1325.

III. Manè collatiunculam sumere non licet, quamvis vesperi solùm unica capiatur refectio, eò quòd præveniatur hora præcepti substantialis.

IV. Quid faciet is, qui die jejunii manè sumpsit jentaculum, sive cum culpa, sive sine culpa, putà ex ignorantia inculpabili, vel ex eo, quòd intenderet arripere iter vel opus laboriosum à quo impeditur?

V. R. Distinguendo; si manè sumpserit jentaculum æquivalens refectioni non potest ulteriùs sumere nisi collatiunculam vespertinam: si verò jentaculum fuerit solùm æquivalens collatiunculæ, poterit plenam refectionem capere vesperi, vel etiam in meridie si ratio quædam requirat ut v. g. Communitati se conformet, omissâ vesperi collatiunculâ; quia debet salvari unica refectio, quantùm fieri potest: si denique jentaculum æquivaleat semiplenæ refectioni, poterit solùm eo die ulteriùs sumere collatiunculam, non refectionem; nisi fortè iste insuetus illi abstinentiæ pateretur nimia incommoda, vel debilitates. Hæc sunt conformia doctrinæ Sylvii, Billuart, &c.

Indignationem meretur insana quorumdam Casuistarum distinctio, quâ liberant ab observatione jejunii eum, qui malitiosè illud violavit, non illum, qui sine culpa inadvertenter idem omnino fecit: si enim observantia ulterior

sit utilis & rationabilis pro uno, erit etiam pro altero. O cæcitas in re morali!

Obj. Matth. 11. v. 30 dicit Christus quòd jugum suum sit suave & onus leve; ergo in L. N. mitior sententia præponenda.

R. Est perversa interpretatio textûs: non enim ideò dicitur suave, quasi in lege nova non essent sustinenda jejunia, adversa, cruces, persecutiones, mortificationes; sed quia gratia Christi facit ea esse levia & grata & suavia.

Si quis post prandium ante tempus collationis aliquid cibi sumat, peccat; sed abstineat à collatiuncula; si tamen exiguum quidpiam sumpserit, La Croix n. 1287. concedit, ut possit sumere vesperi collatiunculum tantò minorem.

Parvus excessus in collatiuncula non potest esse defectus nisi venialis.

N. 264. DE SUMPTIONE POTUS ET MEDICINÆ.

S. Thom. 2. 2, q. 147. art. 6.

I. *Quid veniat sub nomine cibi.* II. *Quid nomine medicinæ.* III. *Ne potus noceat; distinguendum.* IV. *Quid nomine potûs.*

TRIA distinguenda sunt pro causa jejunii, scilicet cibus, potus & medicina.

I. Cibus hic vocatur omne quòd per se vel principaliter ordinatur ad corpus alendum, seu nutriendum, sive sumatur edendo, sive bibendo aut sorbendo; ut puls, lac, mel, jusculum, &c.

Similia sive sint solida sive liquida, frangunt jejunium, si sumantur sine justa causa extra refectionem unicam & collatiunculam. Hæc omnia cibi nomine veniunt, ait Antoine ex Bellarm. uti & ea, quæ pariter sunt cibus & potus.

II. Nomine medicinæ veniunt ea, quæ de se ordinantur ad medicationem corporis, & quæ accipiuntur ad promovendum operationem medicinæ, ut sorbitiuncula calida: hæc non prohibentur propter necessitatem servandi corpus incolume. S. Thom. art. 6. ad 3.

Ita etiam permittuntur electuaria sacharo condita in parva quantitate in digestionem & per modum medicinæ.

Similiter permittitur aliquid cibi ad sedandum graves

capitis dolores, capitis vertigines, &c. Ita Cozza p. 3. art. 1. num. 32. Item quando quis aliter non posset functiones aut munera mentis vel corporis obire. Antoine tom. 2. de jej. mihi pag. 259.

An licitum est aliquid cibi sumere die jejunii hoc titulo "ne potus noceat?"

III. R. Distinguo: si potus iste sit necessarius, isque noceret stomacho, liceret aliquid sumere per modum medicinæ: si potus non sit necessarius, sed cibus solùm accipiatur, ne abundantia potus noceat; tunc dicendum, quòd peccetur dupliciter, & contra temperantiam per excessum in potu, & contra legem jejunii per sumptionem cibi.

Quid nomine potûs intelligitur?

IV. R. Intelliguntur liquida illa, quæ ordinantur per se, non ad corpus alendum, sed ad juvandam cibi digestionem, & ad extinguendam sitim; ut aqua, cerevisia, vinum, thè, caffè, & similia quatenùs talia; nutrimentum, quod ex tali potu percipitur, censetur per accidens concomitari. De hoc potu quæritur,

AN POTUS FRANGAT JEJUNIUM?

I, *Merus potus non frangit jejunium. S. Thom. in summa.* II. *S. Thom. in* 4. III. *Quomodo immoderatè potitans peccat.* IV. *Bibens ad extinguendam famem.*

AN potus, sumptus extra refectionem & collationem, frangit jejunium Ecclesiasticum?

I. R. Negativè per se loquendo, & intelligendo de potu propriè dicto sine fraude. Hujus responsionis rationem allegat & deducit S. Th. 2. 2. 147. art. 6. ad 2. dicens: "Ecclesia non intendit indicere abstinentiam potûs, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis inordinatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere: sicut etiam si immoderatè cibum in una comestione assumat: nimirum si peccet mortaliter, perdet totum meritum; si venialiter, partem amittet.

II. Et in 4. d. 15. q. 3. art. 4. q. 1. ad 1: dicendum, "quòd quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad dispositionem bonam eorum, quæ nutriunt ut scilicet per membra deducantur & in stomacho non comburantur;

unde sumptio potûs manducatio non dicitur: & ideò ille qui potat extra horam unicæ refectionis, non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit, nisi in fraudem faciat; quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit.

"Et ibidem ad 2: aqua, etsi solvat jejunium naturæ, quia aliquo modo nutrit; non tamen solvit jejunium Ecclesiæ, quia Ecclesia non attendit in statuendo id, quod quocumque modo nutrire potest, sed id, quod principaliter ad nutriendum ordinatum est.

"Et ibidem ad 4. odor non nutrit, sed aliquo modo confortat, unde non solvit jejunium naturæ, nec Ecclesiæ."

III. Obj. S. Thom. admittit, quòd immoderatè potitans extra refectionem peccet; ergo iste agit contra legem.

R. Dist. ant: admittit, quòd peccet directè contra legem Ecclesiasticam jejunii, nego ant. quòd peccet contra legem naturalem temperantiæ, concedo; item facilè admittitur, quòd venialiter possit peccare ratione temporis jejunii, cui disconvenit immortificatio illa; similia sunt etiam contra perfectionem jejunii.

IV. An is violat jejunium, qui extra refectionem bibit causâ sedandæ famis?

R. Affirm. Reginal. lib. 4. p. 3. n. 153. ex hac ratione, quia iste agit in fraudem legis jejunii.

Bonac. t. 2. de ppt. Eccl. q. 1. p. 1. n. 8. aliique negant, quia, is observat integrè tres partres jejunii; negant autem, quòd agat in fraudem jejunii; nam in ipso potu non est fraus, cùm supponatur merus potus.

In hanc rem dicit S. Th: statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum: deinde sentire famem est de essentia jejunii, nec finis ejus intrinsecus: imò Lessius lib. 4. c. 2. n. 10. excusat eum, qui bibit fine nutritionis.

Verùm in his salva maneat doctrina S. Th. dicentis in 4. d. 15. art. 4. ad 3. quòd sit trangressor præcepti, si quis in fraudem sumeret electuaria; addit 2. 2. quæst. 147. art. 6. ad 3. in magna quantitate, aut si eis quasi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam. Intelligit autem Billuart ly *aut*, non disjunctivè, sed explanativè.

N. 265. DE SUMPTIONE CHOCOLAT.

I. *Edere chocolat frangit jejunium.* II. *Quando sumitur dilutum, disputatur.* III. *Est tutius abstinere.* IV. *Datur ratio.* V. *Axioma, liquidum non frangit Jejunium.* VI. *Ex parvitate Materiæ.* VII. *Disparitas à Cerevisia.* VIII. *Obj. usus Romæ.*

AN sumptio chocolat frangit jejunium Ecclesiasticum?

I. R. Certum est, quòd manducare chocolat non dilutum frangat jejunium, consentientibus cunctis, quia cibus est & per modum cibi sumitur.

Quæstio est de potu chocolat, quando scilicet chocolat cum aqua mixtum & dilutum & coctum bibitur, seu potiùs sorbetur.

II. Cozza p. 3. a. 1. num. 100. & La Croix lib. 3. p. 2. n. 1291. proponunt hanc quæstionem veluti controversam per suos utrinque patronos, quos citant.

III. Luculentam etiam super hac quæstione dissertationem edidit Benedictus XIV. Summus Pontifex, qui tamen resolvit esse tutius abstinere à chocolat die jejunii, cui adhæremus cum Billuart.

IV. Ratio est, quòd talis potio per se & principaliùs serviat ad nutritionem, & non propriè ad refrigerationem, vel ad sitim extinguendam; est enim quoddam concoctum calidum. Confirmatur ex eo, quòd per illam potionem debiles nutriantur per septimanas & menses.

V. Obj. Potus, sive liquidum non frangit jejunium; ergo, &c.

R. Potio chocolat non est merus potus juxta prædicta.

Nota, quòd illud axioma "liquidum non frangit jejunium," non sit universaliter verum; nam lac, mel & similia liquida sumpta frangunt jejunium.

Obj. Una uncia chocolat, prout ordinariè sumitur, præbet exiguum nutrimentum.

VI. R. Non disputamus, quin parvitas materiæ possit excusare à peccato mortali. Propterea Cozza p. 3. a. 1. n. 129. licèt Patronus adversæ sententiæ, cavet, ne potus chocolat sæpius, quàm semel in die jejunii sumatur.

Denique Antonius De Leone apud Cozza dicit chocolat multùm nutrire.

Obj. Cerevisia fortis est etiam concoctum ex aqua & farina granorum; atqui iste potus non frangit jejunium; ergo nec concoctum chocolat.

VII. R. Negatur assumptum; est enim cerevisia solum extractum ex granis; in cerevisia enim defæcata non est crassa materia granorum, sed solùm spiritus granorum, & hinc est merus potus, qui per accidens parum nutrit, quod innotescit ex eo, quòd ii, qui copiosè bibunt sine cibo, deveniant cachectici. Revera qui hoc objicit, non intelligit artem braxatoriam; puls est concoctum ex farina & liquido, sed non cerevisia.

Obj. Romæ sub conspectu Summi Pontificis permittitur usus chocolat: ergo, &c.

VIII. R. Retulit mihi vir eruditus, quòd ipse Romæ existens diligenter inquisierit de illo usu, qui testatus est, quòd aliqui ibidem utantur, aliqui verò non.

Summi Pontifices fortè ex justis causis permittunt; fortè, impletâ temporis mensurâ, contradicent: quo modo usus Romæ & ferè ubique habebat, ut quando dispensabatur pro esu carnis in Quadragesima, in refectione cum esu carnis miscerent esum piscium: & tamen Summus Pontifex Benedictus XIV. declaravit illum usum esse & semper fuisse abusum.

Inde Concina pag. 149. ponit regulam; opinio probabilis permissa & tolerata à Papa sciente, non censetur implicitè approbata; multæ enim propositiones post longum tempus solùm sunt damnatæ: sic et pater-familias permisit crescere zyzania.

N. 266. DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A JEJUNIO.

I. 4. *Causæ excusantes.* II. *Quæcumque causa non eximit à toto Jejunio.* III. *Causa debet esse proportionata.* IV. *Excessus casuistarum.* V. *Qui obligentur lege Jejunii.*

QUÆ causæ excusant a jejunio Ecclesiastico observando?

I. R. Assignari solent hæ tres vel quatuor causæ; 1. impotentia, v. g. infirmitas corporis,

2. Necessitas, ut labor gravis,

3. Pietas, seu majus bonum, veluti onerosa assistentia infirmo præstita cum vigiliis,

4. Dispensatio Superioris. Aliqui omnes illas causas reducunt ad unam impotentiam sive incompossibilitatem.

II. Bene observandum, quòd cùm jejunium contineat

tres partes, quædam causæ excusent ab observatione unius partis, non tamen ab observatione aliarum partium v. g. dispensatus ut comedat carnes, non ideò potest plures refectiones capere, nec prævenire horam; sic causa laboris permittens plures refectiones non permittit esum carnis; similiter causa aliqua præveniendi horam, non permittit esum carnis, nec semper plures refectiones.

Generaliter: qui non potest observare perfectum jejunium, debet servare id, quod potest; quia jejunium constat partibus divisibilibus; adeoque una pars sine alia observari potest & debet.

Ita ut falsa sit hæc aliquorum Casuistarum regula: cui permittitur esus carnium, permittuntur plures per diem refectiones.

III. Observa insuper, quòd causa debeat esse rationabilis & proportionata, ita ut major causa requiratur pro esu carnis, quàm pro anticipatione refectionis.

Urbanitas, ut cum amico manduces, non excusat à jejunio.

IV. Indignationem potiùs, quàm Theologicam refutationem meretur multiplicitas excusationum à jejunio, quas fingunt Casuistæ, Probabilistæ, ita ut vix ullus homo vivat, qui ex illis aliquam sibi adsciscere non posset: refert enim Concina de jej. ex Hurtado, quomodo Pasqualigus numeret circiter 50 hominum status seu ordines, quos à præcepto jejunii solutos esse declarat.

V. Quinam igitur obligantur lege Ecclesiasticâ jejunii?

R. Omnes Baptizati, qui ad usum rationis pervenerunt, nisi ex aliquo titulo excusentur vel eximantur à toto vel à parte.

An etiam Hæretici?

R. affirm. si sint baptizati; quia subsunt Ecclesiæ, quæ non videtur relaxare legem suam in gratiam ipsorum.

Infideles non baptizati, non obligantur, quia non subsunt Ecclesiæ.

N. 267. DE CAUSA INFIRMITATIS EXCUSANTE A JEJUNIO.

I. *Infirmit. Corporal. excusat.* II. *In dubio judicium Medici.* III. *Sub infirmitate veniunt languidi, &c.* VI. *Si jejunans non possit dormire.* V. *Difficultas non excusat.* VI. *Infirmitas ex culpa.*

QUÆ infirmitas corporalis excusat à jejunio?

I. R. Illa, cum qua jejunium non potest observari abso-

lutè, vel non sine periculo notabilis incommodi corporis vel valetudinis: v. g. si timeantur defectus naturæ, debilitates virium, duratio morbi longior, reincidentia, retardatio sanitatis, &c. Infirmitates quædam graviores exigunt etiam esum carnium.

II. In dubio recuritur ad judicium medici timorati: sed medici aliqui sæpe nimis adulatoriè sensualium hominum desideriis indulgent, quandoque timore lucri cessantis.

III. Sub infirmis veniunt etiam languidi, debiles, valetudinarii, reconvalescentes à morbo, quibus multum cibi simul sumere non licet; quibus Sylvius annumerat illos, qui tam infirmæ sunt complexionis, ut vacuo stomacho capitis dolores aut vertigines patiantur, vel inepti reddantur ad sua negotia vel opera; quibus præfatis licitum est sumere id, quod est necessarium ad evadenda incommoda, non plus. Adeoque uni plus, alteri minus juxta necessitatem, & infirmitatis exigentiam; quæcumque enim infirmitas levior non excusat à toto jejunio, quamvis liberet à parte.

IV. Quid licet ei, qui, dum vesperi jejunat, noctes ducit insomnes, sive necessarium naturæ somnum capere nequit?

R. Is vesperi sumat refectionem, & collatiunculam circa meridiem. In hanc rem, ad instantiam Episcopi Gand. damnata est prop. ab Academia Lov. 1657. Vide Billuart 230. t. 5.

V. Jejunandi difficultas non excusat per se à jejunio, utì nec fames, neque macies, aut pallor ex eo proveniens; verumtamen contra famem caninam sumitur aliquid, per modum medicinæ. La Croix lib. 3. p. 2. n. 1324.

Quid statuendum de illo, qui ex labore illicito vel per suam culpam contraxit infirmitatem?

VI. R. Potest infirmitas ratione impotentiæ vel necessitatis illum excusare à jejunio præsenti; quia jus naturæ obligans ad conservationem naturæ prævalet: ille tamen peccavit in causa contra legem jejunii, inquantùm potuit prævidere impedimentum ex culpa sua obventurum.

N. 268. LABOR EXCUSANS A JEJUNIO.

I. *Labor incompossibilis excusat.* II. *Labor levis vel incompatibilis non excusat.* III. *Labor agricolarum, &c. excusat.* IV. *Labor spiritualis.* V. *Labor gravis respectivè consideratur.* VI. *Labor levior liberat debiliorem.* VII. *Non debet totum, quod potest.* VIII. *Labor per breve tempus.* IX. *Operarii otiantes tenentur ad jej.* X. *Labor ex honesta causa excusat.* XI. *Labor in fraudem non liberat.* XII. *Utì nec labor ultro assumptus.* XIII. *Nec labor inhonestus.* XIV. *Impedimenta jejunii prohibentur.*

QUINAM excusantur à jejunio Ecclesiastico ratione laboris?

I. R. Illi soli, quorum labor honestus cum jejunio moraliter est incompatibilis.

Dicitur incompatibilis non absolutè, sed moraliter: dum ille labor æquè aut magis debilitat & mortificat, quàm ipsum jejunium moraliter faceret.

II. Proinde si labor sit talis ut possit consistere cum jejunio sine notabili incommodo, non excusat à jejunio. Confirmatur ex hac Prop. 30. damnata ab Alex. VII. "Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio." Circa quam propositionem observat Steyaertius, officiales idiotismo Hispanico positos pro operariis manualibus.

III. Supponitur communiter, quòd labor agricolarum, fabrorum & operariorum, qui operibus multùm defatigantibus incumbunt, sit incompatibilis & excusans, quantùm ad plures refectiones & horam refectionis; non quoad abstinentiam à carnibus, prout consuetudo docet.

IV. Labor spiritualis per ingenium & memoriam potest esse multùm fatigans, & exhauriens spiritus vitales, & ita excusans à jejunio: v. g. studium & attentio concionatoris quotidiani, &c.

An is excusatur à jejunio, qui specialiter ita robustus est, ut cum labore gravi commodè possit observare jejunium?

V. R. La Croix lib. 3. p. 2. n. 1329. eum excusat, quia lex, ait, respicit quod communiter est; provocat Patronum Reginaldum; sed hic lib. 4. n. 216. contrarium docet cum Abulensi in c. 6. Matth. quæst. 143. tom. 13: eò quòd iste robustus jam contraxerit obligationem legis, & iste labor

censeatur pro ipso levis in ordine ad mortificationem corporis, propterea malumus dicere, quòd communiter supponendum sit, quòd gravis labor excuset: quòd autem labor excusans respectivè considerandus sit, convincitur ex eo, quòd, fatente La Croix VI. quispiam levior labor possit debiliorem excusare à jejunio propter particularem fatigationem & debilem complexionem personæ, non tamen robustiorem.

VII. Observat ibidem Abulensis, quòd homo non teneatur præcisè facere totum, quod potest, ad conjungendum cum labore jejunium; quia id violentum est, & durare non potest.

VIII. Labor gravis, per paucas horas protractus, non semper excusat à jejunio totius diei.

Observat Cozza p. 3. art. 2. n. 93. quòd labor vel exercitium aliqualiter fatigans, licèt non excuset à toto jejunio, possit tamen præbere causam sumendi collationem aliquando majorem consuetâ: quæ regula servire potest, quando dubitatur, an labor vel alia causa sit sufficiens ad excusandum à jejunio.

An operarii, à jejunio excusati ob laborem gravem quotidianum, debent jejunare eo die, quo non laborant, v. g. die Festo concurrente cum jejunio?

IX. Respondet Sylv. 2. 2. quæst. 147. art. 4. affirmativè: quia pro eo die cessat causa, & contra fatigationem præcedentis diei plenè tunc refecti fuerunt, nisi fortè debilitas ex præterito labore perseverans quempiam excusaret; aut quis per hanc abstinentiam redderetur ineptus ad laborem necessarium diei sequentis.

Ex hac causa Cozza cum aliis excusat præfatos operarios, si una solummodo dies intercedat; non autem si plures dies vacationis à labore simul sint intermedii; & benignus Diana liberat eos, eò quòd illi homines, non assueti jejunio, nimiùm affligerentur.

An labor præfatus excusans à jejunio debet esse necessarius pro victu, aut aliter?

X. R. Non videtur; sed sufficere videtur, quòd quis faciat id, quod esset rationaliter sive ex honesta causa facturus, supposito quod non esset tempus jejunii: tunc enim non censetur agere in fraudem legis; proinde divites non debent propterea cessare à labore suo consueto, & otiari, ut jejunent. In hanc rem La Croix lib. 3. p. 2. num. 1335. ex aliis provocat declarationem Eugenii IV. decernentis, opifices & agricolas, laboriosa opera exercentes, sive pauperes sive divites, non teneri ad jejunium.

Obj. Authoritas S. Thomæ 2. 2. quæst. 147. ad 3. & veterum.

R. S. Thomas excipit: "Nisi fortè ubi ita est assuetum;" jam autem consuetudo hìc videtur habere, quòd divites ex honestà causa exercentes defatigantia opera non teneantur jejunio.

Respondet Billuart t. 5. 232. jus antiquum in eo fuisse magis severum, sed illud mitigatum per Eugenium IV. & per praxim modernam.

XI. Illud admittitur ex communi sententia, quòd is, qui in fraudem legis laborat, id est, qui ideo merè, ut non jejunet, vult laborare, quod aliter non faceret, non liberetur à lege jejunii; quia fraus nulli patrocinatur, & quia is propriè non vult servare præceptum jejunii. La Croix lib. 1. n. 784.

XII. Similiter Steyaertius in prop. 31. dam. ab Alex. VII. non liberat à lege jejunii illum, qui ultrò sine causa, sed merè recreationis vel delectationis gratiâ assumit laborem gravem, v. g. per venationem, lusum pilæ, piscationem, &c. cui consentit Cozza & alii ab ipso citati, art. 7. n. 120. & 133. Item Tamb. apud La Croix, n. 1335.

Hi tamen, labore facto & fatigatione gravi contractâ, permittunt eidem refectionem aliam ob incompatibilitatem jam positam; quamvis, aiunt, peccaverit contra legem jejunii ponendo causam fatigationis seu incompossibilitatis; verùm illa defatigatio communiter non est tanta ut pariat positivam incompossibilitatem, sed solùm majorem difficultatem in jejunio, quam sibi imputare potest. Billuart t. 5. 235. adeoque iste jejunare potest; & si illud propositum ante fatigationem concipiat, non peccabit.

XIII. Multò minus excusatur à lege jejunii, qui ex labore inhonesto, licèt gravi, defatigatur, v. g. ex operibus furtivis, rixosis, luxuriosis: pro quo iterum Billuart 235. refert prop. dam. ab Academia Lovaniensi.

Obj. Præceptum jejunii non prohibet venari nec furari; ergo qui ea agit, non agit contra præceptum jejunii.

XIV. R. Distinguo & dico, quòd præceptum jejunii ea aliquando prohibeat indirectè, quando sunt impedimenta indebita jejunii: idque secundùm generalia principia: nam lex obligans ad aliquid, obligat ad media necessaria assumenda ad observationem illius; & è contra prohibet opponere impedimenta observationi; sic v. g. prohibitum est assumere somnum die festo tunc quando Missa debet audiri. Ita Cozza supradicit. La Croix lib. 3. n. 1334. secundùm illud axioma: "qui tenetur ad finem, tenetur ad media."

N. 269. DE ITINERE EXCUSANTE A JEJUNIO.

I. *Iter graviter fatigans excusat.* II. *Non sic iter in fraudem.* III. *Nec iter meræ delectationis.* IV. *Judicium Billuart.* V. *Iter equestre non excusat.* VI. *Quantum iter pedestre excuset.*

I. ITER excusat à jejunio, sicuti labor, scilicet honestum & moraliter incompatibile cum jejunio, quoad plures refectiones, vel horam, non quoad esum carnis.

II. Proinde iter illud non potest assumi in fraudem legis jejunii; imò, juxta Steyaert, nec ultrò delectationis causa merè potest esse assumptum, quod probat ex hac prop. 31. dam. ab Alex. VII.

III. "Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illa qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant."

IV. Billuart tamen, diss. 2. art. 11. à jejunio etiam excusat itinerantem; ubi defatigatio est gravis; uti & laborantem honestæ recreationis gratiâ: addit antem "aliove fine honesto;" adeòque, puto, non meræ delectationis causâ: hæc enim causa meræ delectationis non concordat cum pœnitentiali jejunio; sed simul adsit alia, v. g. exercitii corporalis ad recuperandam vel conservandam valetudinem, ad relaxandum animum studio defatigatum, ad invisendum ex honestate amicum infirmum, &c. tum enim commiscetur titulus quispiam sive necessitas convenientiæ: similiter excusat eum, qui instituit peregrinationem ex devotione.

V. An iter, quod peragitur equo, currù aut rhedâ liberat à jejunio?

R. Ordinariè non liberat; quia illud non multùm fatigat aut debilitat; aliquando tamen posset excusare, dum est iter grave, difficile & multùm defatigans, maximè pro eo, qui non est assuetus equitare.

VI. Quantum iter pedestre liberat è jejunio?

R. Aliqui determinant illud per leucas quatuor, quinque, &c. Sed id rectè rejicit Cozza p. 3. a. 7. n. 129. cum enim itinerantes supponantur eximi à jejunio eodem titulo incompossibilitatis, quo liberantur operarii, respectivè res consideranda est, & attendi debet personarum vigor, robur, complexio & debilitas, viæ asperitas, &c.; et ita iter bre-

vius causat uni, non alteri, gravem fatigationem excusantem a jejunio.

Similiter iter pomeridianum non liberat à jejunio antemeridiano, nec è contra.

N. 270. DE ÆTATE EXCUSANTE A JEJUNIO.

S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4.

I. *Abstinentia à carnibus obligat ab initio usûs rationis.* II. *De amentibus.* III. *Præceptum jejunii obligat post annum ætat.* 21, *non antè.* IV. *Fundamentum.* V. *Objectio.* VI. *Attenditur quod fit ut in pluribus.* VII. *Obligat ad jejunium ex lege naturali.* VIII. *Ex Voto, &c.*

IN qua ætate incipit jejunium Ecclesiasticum obligare?

I. R. Incipit obligare quoad abstinentiam à carnibus, quando incipit usus rationis, adeoque circa annum ætatis septimum: ante illum rationis usum licet eis esus carnium, quia lex positiva humana eos non obligat; laudabiliter tamen parentes carnes ipsis subtrahunt, ut à teneris annis assuescant se subjicere legibus Ecclesiæ.

II. Idem est de perpetuò amentibus; non sic de amentibus per intervalla, quibus lex promulgata fuit, & quibus caro mortificanda est, etiam pro tempore quo redeunt ad rationis usum.

III. R. 2°. Jejunium Ecclesiasticum perfectum secundùm tres partes supra n. 255, expositas, obligat eos, qui annum ætatis vigesimum primum compleverunt.

Ante annum ætatis 21. completum non videntur obligati vi præcepti Ecclesiastici ad abstinendum à pluribus refectionibus, vel ad servandam refectionis horam, sed solùm quoad abstinentiam à cibis vetitis.

IV. Fundamentum hujus responsionis est communis Doctorum interpretatio legis jejunii, innixa authoritati S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 2. ubi dicit: "In pueris maximè est evidens causa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quòd indigeant frequenti cibo, & non multo simul sumpto, tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti: & ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia ob-

servanda. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore jejunent secundùm modum suæ ætatis."

V. Obj. Ratio, ob quam eximerentur à jejunio, est quòd sint in statu augmenti; atqui aliqui ante annum 21 pervenerunt ad statum augmenti perfecti; ergo illi tenentur lege Ecclesiasticâ jejunii ante annum ætatis 21.

VI. R. Nego conseq.: ratio est, quòd Ecclesia in ferenda jejunii lege non attenderit ad causam particularem, sed ad id, quod fit in pluribus, & secundùm hoc determinavit tempus legis certum pro incerto, scilicet ætatem anni 21, sive tunc habeant statum augmenti, sive non, ut etiam sic excluderentur anxietates & laxitates.

VII. Observa 1°. quòd hujusmodi juniores ante annum 21. possint obligari lege naturali ad quædam jejunia tanquam media opportuna & ordinaria contra illecebras carnis & peccata: hinc piorum consuetudo observat, ut ex judicio Confessarii in quadragesima quædam jejunia assumant.

VIII. Observa 2°., quòd illa junior ætas non liberet à jejunio ex alia causa debito v. g. ex voto, vel ex imposita satisfactione sacramentali, vel ad lucrandum Jubilæum, &c.

N. 271. UTRUM SENES EXCUSENTUR A JEJUNIO.

I. Pro senibus non est determinatum tempus. II. *Disparitas à junioribus.* III. *Non rectè annus 60.* IV. *Quandonam senectus excuset à jejunio.*

I. AN similiter determinata est quædam ætas senectutis, in qua lex jejunii Ecclesiastici desinit obligare?

R. Negativè: quia nec Ecclesia nec consuetudo determinavit tempus illud.

Quare potiùs determinatum est certum tempus, quo lex incipit obligare juniores, quàm tempus legis cessantis pro senioribus?

II. R. Ratio disparitatis est, quòd status sufficientis augmenti obveniant junioribus, ut in pluribus, anno vigesimo primo; sed senectus non ita, ut in pluribus obveniat in determinata ætate; aliqui enim sexagenarii sæpe sunt vegetiores quàm quidam quinquagenarii; deinde senes per experientiam jejunii, magis quàm juniores, possunt discernere, quandonam incommoda senectutis impediant jejunium.

III. Proinde non rectè ab aliquibus assignatur annus 55, 60, 65, pro termino finiendæ obligationis legis jejunii.

Dicit interim Sylvius, quòd post annum 60. communiter possint excusari, nisi appareant satis vegeti ad jejunandum. Sic refertur Navarrus de se dixisse, quòd octogenarius jejunaret.

IV. Quandonam igitur senes liberantur à lege jejunii?

R. Quando ratione senectutis censentur esse infirmi seu debiles, aut impotentes ad jejunium, vel per jejunium amitterent vires necessarias ad perferenda incommoda & defectus senectutis. Cùm enim in senibus minuatur calor naturalis stomachi, indigent frequentiori cibo, sed non multo simul sumpto, sicut pueri.

N. 272. DE PRÆGNANTIBUS ET PAUPERIBUS, &c.

I. *Quomodo prægnantes & lactantes excusentur.* II. *Qui pauperes excusentur.* III. *Pauperibus non licet esus carnis in Quadragesima.*

I. AN & quomodo mulieres prægnantes & lactantes excusantur à jejunio?

R. Ordinariè excusantur ab observatione unicæ refectionis ex causa necessitatis, quâ tenentur sibi & fœtui vel proli subministrare alimentationem, pro qua indigent abundantiori & frequentiori cibo, non tamen carnibus, prout experientia probat.

An pauperes excusantur à præcepto jejunii?

II. R. Cum S. Th. 2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 4. pauperes, qui frustatim eleëmosynas mendicant, qui non possunt simul habere, quod eis sufficiat ad victum sive ad plenam refectionem, non videntur restringendi ad unicam comestionem; pauperes verò, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unicam plenam refectionem, non excusantur propter paupertatem à jejunio; addit La Croix lib. 3. p. 2. n. 1321. nisi fortè per solum siccum panem aut olera, aut id, quod habent, non possent satis reficere debilitates ex inedia profluentes. Pontas jej. cas. 5.

III. Layman asserit in patria sua tolerari consuetudinem, ut pauperes in Quadragesima absumant reliquias carnium ex diebus bacchanalibus relictas; verùm assero ego, ante hac per octo annos plebanus Mechliniæ, quòd

hic eam consuetudinem non repererim, sed quòd carnes reliquæ dentur vesperi ante diem Cinerum consumendæ, vel postea solis infirmis pauperibus.

Quomodo peregrini obligentur præceptis jejunii, explicatur in Tractatu de legibus.

N. 273. DE DISPENSATIONE IN LEGE JEJUNII ECCLESIASTICA.

I. *Dispensat Papa.* II. *Item Episcop.* III. *Superior Regularis.* IV. *Parochi in particulari.* V. *Superior secum.* VI. *Non confessarii nec Medici.* VII. *Legitima causa.* VIII. *In dubio requirit. dispens.* IX. *Dispensatus pro esu carnis non est pro aliis.* X. *Objectio.* XI. *Cui carnes permittuntur & ova.* XII. *Dispensati pro esu carnis non possunt edere pisces.* XIII. *Rescripta Pontificia.* XIV. *Regulæ pro dispensatione generali.* XV. *Dispens. pro hero non liberat famulos.* XVI. *Stuferus pro Lacticiniis pendendus per edentes.*

QUIS in lege Ecclesiastica jejunii potest dispensare?

I. Summus Pontifex in Ecclesia universali.

II. Episcopus cum suis Diœcesanis, aliquando etiam pro tota sua diœcesi, ait Tamb. apud Cozzam: quia ad ipsum pertinet dispensatio juris communis in casibus, qui frequenter occurrunt.

III. Dispensat cum suis Religiosis Superior Regularis, Abbas, Guardianus, Prior, non Supprior præsente Priore; nec Abbatissa, ait Cozza: posset tamen ei concedi executio per commissionem vel privilegium, prout Paulus III. fecit.

IV. Parochi, ait Sylvius 2. 2. q. 147. a. 4. ex consuetudine solent dispensare cum suis parochianis, sed solùm cum particularibus, saltem ubi Episcopus non est præsens: imò in urbe Roma, ubi Papa & ejus Vicarius resident, Parochi id practicant, ait La Croix lib. 3. p. 2. n. 1311.

V. Superior in iis communitatibus, in quibus potest dispensare cum aliis, potest secum dispensare, quia ipse est pars communitatis, nec deterioris conditionis quàm alii. Ita Cozza p. 465.

VI. Confessarii vel Medici dispensare non possunt, sed solùm judicare & declarare causas dispensandi subsistere: cautè caveant, dum à delicatis decipiuntur, ne ipsi illis assentiendo eosdem decipiant.

VII. Pro dispensatione legitima requiritur justa causa, sed non tanta, per quam lex cessat; nam tunc dispensatione opus non est: quamvis & tunc pii soleant licentiam petere, ad recognoscendam Ecclesiæ authoritatem & suam subjectionem.

VIII. Ordinariè in dubio, utrùm causa sit plenè sufficiens, dispensatio locum habet & liberat; sed, cessante causâ dispensationis, cessat dispensatio; hinc si cesset in medio Quadragesimæ, reliqua ejus pars debet observari in jejunio.

VIII. Dispensatus pro esu carnium non ideo est dispensatus pro pluribus sumendis refectionibus, nec è contra, quia potest esse ratio præbens causam dispensationis pro uno; non pro alio.

IX. Multos invenies Casuistas docentes oppositum, nixos hoc argumento: sublato esu carnis tollitur essentia jejunii; ergo tollitur totum jejunium; ergo dispensatus in esu carnis liberatur à toto jejunio.

R. Negatur assump. quia jejunium habet tres partes divisibiles, ut supra dictum est n. 255. & ita potest dari obligatio ad unam illarum, non ad alias.

X. Verumtamen cui permittuntur carnes, permittuntur & ova & lacticinia tanquam minora, ex carne habentia originem, non è contra. Sylvius, Billuart, La Croix lib. 3. n. 1259.

An dispensati, ut edant carnes, possunt eodem die simul comedere pisces?

XII. Respondet Sylvius 2. 2. quæst. 147. art. 4. quòd possint spectando rei naturam; quia Superior non videtur velle dispensato auferre, quod ipsi de jure licet, nisi sub tali conditione dispenset.

Verùm Benedictus XIV. Summus Pontifex respondet negativè, & supponit id provenire ex natura præcepti jejunii ac dispensationis, quæ non datur neque unquam data fuit, ut deliciæ quærantur vel capiantur per commixtionem carnium & piscium in epulis tempore jejunii; & ex hac causa præfata permixtio ciborum ab antiquo sub pœnâ excommunicationis vetita fuit per Synod. Hispal. & in Diœcesibus Toletana & Abulensi, ut refert Daniel Concina in Commentario ad rescriptum Benedict XIV. §. 5.

XIII. In hac re præfatus Pontifex, finem imponens multis quæstionibus, edidit Breve ad uuiversos Episcopos de 30. Maii 1741. quod incipit: "Non ambigimus;" item aliud, "in Suprema," de 22. Aug. 1741. Vide Suppl. La Croix pag. 92.; item Epist. Encyclicam de 10. Junii 1745

& demum responsionem ad Episc. Compostellæ de 8. Junii 1745. ubi statuit conclusiones sequentes: denominat autem præfatas suas Litteras "Apostolicæ Sedis Constitutiones & Leges."

1. Dispensatus ut edat carnes die jejunii, non potest eodem die quo edit carnes, comedere pisces, idque sub gravi, ne quidem diebus Dominicis Quadragesimæ: ostreas & cancros repone inter pisces & quidem delicatos quibus adde conchas.

2. Nec potest ipse in vespertina refectiuncula edere carnem, ne quidem in ea parva quantitate, quæ permittitur in alio cibo.

3. Neque potest ille dispensatus ideo prævenire horam, nec plures refectiones sumere.

An iste dispensatus diebus Dominicis Quadragesimæ, pluries possit manducare carnes, non discutit Pontifex: attamen respondendum affirmativè: quia licitè eo die sumit plures refectiones, atque non licet ei edere pisces, dum edit carnes; ergo licet ei in illis refectionibus edere carnes, alioquin in secunda refectione non posset edere nec carnes, nec pisces.

Idem ego puto judicandum de eo, cui ex justis causis licitum est sumere aliis diebus jejunii plures refectiones integras; verumtamen Eminentissimus Dominus Archiepiscopus Mechliniensis, quando anno 1755 indulsit esum carnis in Quadragesima, restringit ad unicam in die (exceptis Dominicis) comestionem carnis, ita ut operarii in secunda sua refectione non potuerint edere nec carnes nec pisces, sed solùm ova, herbas, &c.

4. Dispensatus, ut comedat ova, potest simul manducare pisces.

His præfatis regulis non ligantur, qui graviter infirmi aut simili necessitate sunt impotentes.

XIV. 5. Summus Pontifex ibidem assignat duas causas, ob quas Episcopus potest super esu carnis concedere dispensationem multitudini, seu toti communitati aut civitati.

Prima est aëris intemperies vel infectio afferens periculum morborum omni ætati & statui.

Secunda est penuria & inedia piscium & ovorum.

Explicat Pontifex etiam, quomodo non sit sufficiens causa pro generali dispensatione, quòd fortè pisces caro pretio vendantur, eò quòd hæc ratio non militet pro opulentis & divitibus.

Sed quid si caritas ista proveniat ex magna penuria sive ex raritate piscium?

R. Tunc recurrit secunda ratio præfata.

XV. An est licitum petere vel concedere dispensationem edendi carnes pro tota familia, eò quòd, hero comedente carnem, res familiaris non ferat duplicem mensam?

R. Negativè; quia causa dispensationis tenere se debet ex parte personæ dispensatæ, cùm obligatio jejunii sit personalis. Igitur iste herus diminuat alias expensas vel fortè avaritiam suam.

XVI. Hinc consequitur, quòd stuferus pro esu lacticiniorum pendi debeat, non per herum, sed per famulos ipsos edentes lacticinia, quia abstinentia lacticiniorum, in cujus redemptionem succedit stuferus, est personalis; alioquin famuli satisfaciant legendo Orationes Dominicas præscriptas disjunctivè.

N. 274. DE UTILITATIBUS JEJUNII.

I. *Utilitat. ex S. Thom.*

I. SANCTUS Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. in c. "assumitur jejunium principaliter ad concupiscentias carnis reprimendas; secundò ad hoc, quòd mens liberiùs levetur ad sublimia contemplanda; tertiò ad satisfaciendum pro peccatis." Hinc legimus in Scriptura Sacra, jejunium fuisse adhibitum tanquam commune medium ad impetrandum à Deo quæcumque bona, & ad avertendum quæcumque mala. Ascetici & Concionatores præfatas utilitates ampliant, pluresque alias ex Scriptura Sacra &SS. PP. adjungunt, ad quos lectorem remittimus.

N. 275. DE PECCATIS ALIENIS IN CAUSA JEJUNII.

I. *Non licet cibos dare violaturis Jejunium.* II. *Caupones peccant.* III. *Objectio.* IV. *Exceptio.* V. *Opinio Reginaldi circa Famulos.* VI. *Non licet publicè vendere omnibus.* VII. *Ignoranter manducans monendus.*

AN licet die jejunii dare cibos ei, qui per eos violabit jejunium?

I. R. Non licet per se loquendo, quia cooperarêris peccato alterius; sicuti non licet dare ensem ei, qui per eum se interficiet. Vide Billuart t. 5. dissert. 2. a. 9.

Hinc sequitur, quòd non possis offerre cœnam aut jentaculum ei, quem prævides violaturum jejunium per illam comestionem.

II. Similiter sequitur, quòd caupones non possint in Patria Catholica ministrare Hæreticis carnes die vetito.

Quid si petant carnes?

R. Oportet respondere, quòd leges Patriæ prohibeant; sicut autem illi debent hìc observare leges alias Patriæ, sic & illas. Adde quòd aliquando id petatur in contemptum Religionis, & eo casu nullo modo licet.

III. Obj. Subministrare cibos est actio de se bona vel indifferens: ergo non est mala.

R. Dist. ant. est actio indifferens considerata sine circumstantiis, conc. considerata cum circumstantiis, neg. nam dare cibos ad esum illicitum non est res indifferens.

IV. Mutatur casus, dum tempore belli exercitus Hæreticorum occupant Patriam; tum enim leges Ecclesiæ vi, timori & necessitati cedunt, uti etiam in ditione Hæreticorum, ubi caupones petentibus dant carnes, quia negantes haberentur perturbatores Reipublicæ.

Generatim in casibus præfatis subintelligitur secundùm regulas ordinarias: nimirum nisi fortè mala majora sequerentur, sive, nisi causæ justæ excusent, quas quis intendit habendo se permissivè ad peccatum.

V. Reginal. lib. 4. c. 61. n. 194. excusat famulos & ancillas ministrantes cibos domino, quem sciunt per eos formaliter frangere jejunium, hoc titulo, quòd præstent obsequium solitum tanquam jure debitum: sed timeo, ne damnatio prop. 51. ab Innoc. XI. id non patiatur, prohibens famulo deferre domino luxurianti scalas; propterea consulerem illis ut deserant famulatum impii domini quamprimum, nisi aliæ justæ causæ obstent.

An in Quadragesima licitè exponuntur carnes venales publicè & palam omnibus?

VI. Respondent Cozza p. 3. a. 6. n. 56. & Regin. lib. 4. c. 16. n. 202. negativè, quia sic compluribus offertur occasio peccandi, & propterea Magistratus debet uni vel alteri prudentibus committere, qui vendant carnes pro infirmis & aliis licentiam habentibus.

Quid agendum, dum vides quempiam ex ignorantia vel inadvertentia diei jejunii manducare quidpiam contra præceptum jejunii?

VII. R. Obligaris ex debito justitiæ legalis eum reddere memorem obligationis suæ, sive impedire; nisi fortè iste

prosequeretur & de peccato materiali deveniret ad formale, aut aliæ excusationes concurrant.

Sylvius q. 147. art. 2. vult excusare à mortali eos, qui imaginario titulo seipsos putant excusatos à jejunio, dum non concurrit ignorantia crassa: sed rigidior hìc est La Croix lib. 3. p. 2. 1351.

N. 276. DE GULÆ VITIO.

S. Thom. 2. 2. q. 148.

I. *Definitio.* II. *Licet uti, non frui delectat.* III. *Divisio.* IV. 5. *Modi seu species gulæ.* V. *Moderatio.* VI. *Quale peccatum sit gula ex genere suo.* VII. *Mortale ex circumstantiis.* VIII. *Inter peccata capitalia.* IX. 5. *Filiæ Gulæ.*

QUID est gula?

I. R. Est inordinatus appetitus cibi vel potûs, quatenùs delectationem adfert: & ita est vitium oppositum temperantiæ.

II. Inordinatio illa consistit in eo, quòd inhæreatur delectationi ut fini, vel plus quàm oportet; nam inordinatum est frui delectatione cibi vel potûs; eâ tamen uti licet ad justum corporis alimentum.

III. Gula dividitur in gulam strictè sumptam, seu crapulam, quæ opponitur virtuti abstinentiæ, & definitur: "Inordinatus appetitus cibi vel potûs non inebriativi;" & in ebrietatem, quæ est circa potum inebriativum, et opponitur sobrietati.

Quibus modis peccatur peccato gulæ?

IV. R. His quinque, qui à S. Th. a. 4. nuncupantur species gulæ, & exprimuntur hoc versu:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.
S. Thom. art. 4.

"Præpoperè," ante vel extra tempus congruum.

"Lautè," quærendo cibos delicatos, vel nimis pretiosos, attento statu ejus.

"Nimis," si in quantitate excedatur in edendo.

"Ardenter," voraciter & nimis avidè.

"Studiosè," dum quæruntur cibi nimis accuratè & sapidè præparati.

V. Nota, quod aliquando ob justas causas, v. g. sanitatis,

hospitalitatis, excellentiæ vel conditionis personarum, liceat apponere cibos pretiosiores, lautiores, &c. Tunc enim intervenit honestas virtutis, in recognitione dignitatis, vel virtus magnificentiæ, &c.

VI. Quantum peccatum est gula condistincta ab ebrietate?

R. Plures docent esse ex genere suo peccatum solùm veniale.

Steyaert & Billuart dicunt esse mortale, idque in exemplo, dum quis tam violenter se ingurgitat, ut natura per vomitum cogatur ejicere cibum intolerabilem.

Notandum tamen, quòd vomitus evenire possit sine vitio gulæ ex cibi qualitate, vel ex personæ aut stomachi indispositione.

VII. Certò ex circumstantiis peccatum gulæ potest fieri mortale, præsertim si graviter noceat sanitati, si aliena quis concupiscat, si cum Epicuræis finem ultimum in ea collocet; quapropter dicitur ad Phil. 3. "Quorum Deus venter est."

VIII. S. Thom. a. 5. exponit, quâ ratione gula connumeretur inter peccata capitalia, de quibus in prima secundæ.

IX. S. Thom. a. 6. explicat quinque gulæ filias, quæ sunt; inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium & hebetudo mentis, quarum malitiam & conditiones luculenter exponit Sylvius ibidem.

N. 277. DE SOBRIETATE ET EBRIETATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 149. & 150.

I. *Definitio.* II. *Vitium est Ebrietas.* III. *Ebrietas est ex genere suo mortale.* IV. *Probatur.* V. *Objectio.* VI. *Differentia somni ab Ebrietate.* VII. *Objectio.* VIII. *Ebrietas venialis ex inadvertentia.* IX. *Ex levitate materiæ.* X. *Potentes ad bibendum, quomodo peccent.*

QUID est sobrietas?

I. R. Est virtus moderans affectum & usum potûs inebriativi.

S. Thom. a. 4. demonstrat, quomodo sobrietas magis sit commendanda juvenibus & mulieribus, senibus & superioribus.

II. Vitium oppositum virtuti sobrietatis, est ebrietas.

Quid est ebrietas?

R. Est excessus in potu inebriativo usque ad violentam privationem usûs rationis.

Quantum peccatum est ebrietas?

III. R. Est ex genere suo peccatum mortale.

Probatur ex Script. S. quia ad Gal. 5. v. 21. ebrietas recensetur inter peccata, quæ excludunt à regno Dei: "Ebrietates......& his similia......qui talia agunt, regnum Dei non consequentur."

IV. Probatur à ratione, quia homo per ebrietatem privat se præstantissimo bono, quo distinguitur à brutis; nimirum usu rationis. Adde pericula malorum, quæ ex ebrietate nata sunt sequi.

V. Obj. Gen. 43. Joseph, & alibi alii Sancti leguntur in Script. S. inebriati; ergo.

R. In Script. S. vox inebriari frequenter accipitur pro satiari & exhilarari sine peccato excessûs.

Obj. Dormiens privat se usu rationis per somnum, & non peccat, ergo nec qui per potum.

VI. R. Nego cons. disparitas est, quòd somnus impediat usum rationis naturaliter non violentè nec medio inordinato, nam in somno cessat usus rationis mediante quiete sensuum; sed per ebrietatem privatio usûs rationis inducitur violente, sensibus & passionibus sæpe vigilantibus et indomitis, & sic homo constituitur in statu, in quo ratio gubernatrix suum officium exequi non potest: deinde somnus solùm impedit actualem usum, non privat potestate seu aptitudine propinquâ usûs rationis, quod facit ebrietas, dum vapores calidi ex potu in cerebro nimiùm agitati perturbant phantasmata.

VII. Obj. Ex. odore lupuli vel fumo tabaci quis redditur rationis impos, sicut ex potu; ergo.

R. Non solent illæ causæ tollere rationis usum, sed inferre solùm vertigines capitis transeuntes; Si autem supponantur inebriare sicut potus, eodem modo vitandæ forent.

VIII. Ebrietas dupliciter potest esse peccatum veniale.

Primò ex imperfectione voluntarii per quandam inadvertentiam actûs, vel ex ignorantia conditionis potûs: imò sic absque peccato obvenire posset: quo modo putatur excusandus Noë Gen. c. 9. dum tamen quis frequenter est ebrius, sub his palliis tutus non erit, quia debuit prævidere.

IX. Secundò ex levitate materiæ sive ex levi excessu, dum ebrietas non est perfecta, sed imperfecta, turbans leviter rationis usum: verùm in hoc casu Confessarius inquirat, utrùm iste se non exposuerit periculo majoris ebrie-

tatis, prout non rarò accidit, ut post levem excessum incipiant abundantiùs bibere.

X. Quomodo peccant potentes ad bibendum, qui, sumentes abundantem copiam potûs inebriativi, non inebriantur?

R. Certò peccant peccato gulæ juxta dicta Num. 276.

Insuper crebrò illi facto suo & exemplo inducunt alios ad ebrietatem, sicque peccant peccatis scandali & ebrietatis alienæ: propterea apud Is. 5. v. 22. in illos evibratur: "Væ qui potentes estis ad bibendum."

Denique isti nonnunquam peccant corrumpendo corpus, vires & naturam.

Qui autem per potum vitam abbreviant, sunt suicidæ.

N. 278. DE SIGNIS EBRIETATIS.

I. *Signa Ebrietatis.* II. *Signa ambigua.* III. *Remedia contra Ebrietatem.* IV. *Ebrietas prohibita sub pœnis.*

Ex quibus signis dignosces, utrùm ebrietas sive excessus fuerit sufficiens ad constituendum materiam peccati mortalis, supposito sufficienti voluntario?

R. Ex his præcipuè:

1. Si ratio ex potu ita fuerit turbata, ut non potuerit discernere inter bonum & malum morale; & hæc est ebrietas perfecta.

2. Non solùm illa perfecta usûs rationis privatio, sed etiam notabilis seu gravis ex potu rationis perturbatio, sive notabilis læsio, est ebrietas sufficiens ad mortale peccatum; cujusmodi est in eo, qui ex potu non est aptus ad dirigendum communia & levia negotia, aut incapax ad ordinaria & leviora artis suæ opera, v. g. errat in communi pretio, pondere vel mensura suarum mercium quotidianarum. Non repente idem judicandum, quamvis fortè non possit facere computum arithmeticum, divisionem, substractionem, &c. quia minima turbatio vel distractio obest similibus subtilioribus attentionibus: hæc serviunt, dum quis confitetur, se fuisse semiebrium.

3. Si quis faciat ea, quæ suî compos nunquam faceret, v. g. juret, turpia loquatur, rixas moveat, vasa confringat, uxorem percutiat, &c.

4. Si quis non recordetur die sequenti dictorum aut factorum notabilium, v. g. quas rixas excitaverit, quomodo domum sit reversus, quâ viâ, cum quo socio. &c. Aliud

est, si solùm res minutæ, quæ vix advertenter fiunt, non statim recurrant.

5. Si usus sensuum & membrorum deficiat, v. g. visus, gressus, loquela.

II. 6. Signa ebrietatis ambigua sunt gressûs vacillatio aliqua, linguæ titubatio, rerum apparens gyratio, aspectus duplicatorum; quia & ea aliquando obveniunt manente sufficienti rationis præsentiâ.

Simile judicium esto de vomitu, qui provenire potest ex vitio potûs, vel ex indispositione stomachi aut corporis.

Vesanum & fœdum est, quòd aliqui inter signa ab ebrietate eximentia collocent: si quis in via potuerit discernere domum ab arbore; si potuerit declinare à curru transeunte; pro iis enim non requiritur judicium rationis, cùm & bruta id faciant.

Gobat t. 2. tr. 5. 21. latè discurrit de signis ebrietatis, quæ ponuntur à Theologis, à Juridicis & à Medicis.

Idem ibidem cap. 51 congessit remedia contra ebrietatem & physica & moralia: sed unum inter illa validissimum est fuga occasionum: si occasio sit necessaria, tunc juxta consilium S. Aug. parum vel medietatem bibat; si verò & hoc ei adferat periculum non servandi medium, tunc vel non bibat, vel aquam bibat sub alio prætextu v. g. sanitatis; si offeratur potus ab aliis, recuset, vel fingat se bibere.

Et cap. 13. probat, quòd sit prohibitum jure ecclesiastico & civili, provocare ad æquales haustus.

IV. Denique cap. 21. rectè disserit de pœnis canonicis & civilibus statutis & statuendis contra ebrios.

N. 279. AN EBRIETAS POTEST ESSE LICITA?

I. *Nullo casu licet ebrietas.* II. *Nec datur justa causa.* III. *Objectio.* IV. *Bonum rationis prævalet vitæ corporis.* V. *Objectio.*

I. AN. nullo casu licet se aut alium inebriare?

R. Nullo casu: quia ebrietas est intrinsecè mala contra jus naturæ sicut fornicatio vel mendacium: proinde nec ex præscripto medici, nec ex mandato tyranni licita fieri potest.

II. An equidem ex justa causa ebrietas non est licita, v. g ad evadendum mortem, vel aliud majus malum evitandum?

R. Negatur suppositum: quia non potest dari justa causa ad faciendum malum seu peccatum minimum. Ita Sylvius, Bill. contra Lessium, &c.

III. Obj. Regula temperantiæ requirit, ut potu utamur quantùm exigit corporis valetudo: atqui corporis valetudo exigit potum ad ebrietatem; ergo, &c.

R. Nego maj. quia addi debet: quantùm exigit corporis valetudo "secundùm bonum rationis": ebrietas autem est contra bonum rationis: negari etiam potest minor.

IV. Nota, quòd bonum rationis sit præstantius quàm vita corporalis. Hinc S. Cæs. dicit; "melius erat tibi, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur." Serm. in app. S. Aug.

V. Obj. Dabitur infirmo potio inebriativa, ipso ignorante; atqui tunc ipse non peccabit; ergo, &c.

Resp. Ipse infirmus non peccabit formaliter ob defectum voluntarii; faciet tamen peccatum materiale, quod erit peccatum formale respectu porrigentis potum inebriativum, utpote huic voluntarium, cujus fuit causa voluntaria; sic enim peccat peccato ebrietatis alienæ.

N. 280. DE PARTICIPATIONE IN EBRIETATE ALIORUM.

I. *Contra solam charitatem.* II. *Inducens ad ebrietatem multipliciter peccat.* III. *Exempla.* IV. *Caupones.* V. *Quandoque potest quis se habere permissivè.* VI. *Non licet potu miscere herbas inebriativas.* VII. *Popinæ bibitoriæ tollendæ.* VIII. *Inducens amentem ad ebrietatem.*

DUPLICITER potest quispiam peccare ob alterius ebrietatem: primò influendo in ejus ebrietatem positivè vel privativè, secundò non impediendo eam.

I. Hoc secundo modo peccatur contra charitatem, quia charitas Dei & proximi nos obligat, ut dum convenienter possumus, impediamus peccatum sive ebrietatem ejus & omnia mala & damna inde secutura.

II. Priori modo peccatur multipliciter: primò iste influens peccat peccato scandali, quia est causa peccati proximi; secundò peccat peccato ebrietatis in altero; tertiò fit reus omnium malorum & damnorum, quæ debuit timere secutura ex ista ebrietate; & consequenter ad eorum restitutionem tenetur post principales; ratio est, quia est eorum causa vel cooperans.

III. Talis est, qui provocat alium ad æquales, vel in

vitat ad frequentes haustus; item qui præbet alteri tantam abundantiam potûs, ex qua prævidet eum inebriandum.

An ergo caupones licitè non promunt vinum & cerevisiam omnibus petentibus?

IV. Resp. Non licitè promunt illis, quos prævident ex eo potu inebriandos, nisi ex aliis justis causis excusentur.

V. Nota igitur, quòd ex rationabilibus causis aliquando liceat dare alteri petenti potum, ex quo ille se inebriabit: quia dare alteri potum per se non est actus malus; & ideo is qui habet justas causas ponendi illum actum, potest se permissivè habere ad malum ebrietatis alterius: ejusmodi justæ causæ esse possunt majora mala alioquin secutura, rixæ, blasphemiæ, pugnæ, damna, periculum vitæ, &c.

Item necessitas publica; sic mercatores licitè advehunt vina in patriam; braxatores conficiunt cerevisiam, quamvis exinde aliqui se inebriabunt.

VI. A gravibus interea delictis eximi nequeunt illi vini polæ, braxatores vel caupones, qui vino aut cerevisiæ intermiscent liquores aut herbas inebriativas.

VII. Rectè Gobat t. 2. p. 2. tr. 5. c. 11. demonstrat, juxta disciplinam veterum Romanorum, è Republica tollendas esse popinas merè bibitorias, quas Claudius Imperator dictitabat omnis nequitiæ lustra; & esse permittenda sola peregrinorum hospitia. Saltem perniciosus vini adusti usus coarctandus foret, etiam per vim & violentiam; sed eheu! quæstus tributorum excæcat videntes.

VIII. Qualiter peccat inducens amentem vel infantem, nondum usus rationis compotem, ad ebrietatem?

R. Peccat peccato ebrietatis in altero, & efficitur reus omnium malorum quæ prævidere debuit alterum commissurum contra jus naturæ; nam peccata materialia alterius sunt formalia respectu inducentis

Inducere canes vel animalia ad ebrietatem non continet ebrietatis malitiam.

N. 281. DE MALIS COMMISSIS IN EBRIETATE.

I. *Mala ex ebrietate inculpabili, non sunt peccata.* II. *Mala secuta vel prævisa ex ebrietate voluntaria imputantur in culpam.* III. *Indeliberatio excusat.* IV. *Imperfecta deliberatio facit veniale peccatum.* V. *Ebrietas imperfecta non excusat.* VI. *Quid infirmitas ex ebrietate faciat.*

I. AN malum in ebrietate commissum imputatur ebrio in culpam?

Resp. Distinguendo: vel illa ebrietas est voluntaria, vel est involuntaria seu inculpabilis: si sit involuntaria & perfecta ebrietas, quæ scilicet privat toto rationis usu, non imputatur in culpam coram Deo, quod ex ea committitur; quia illud nullo modo est voluntarium liberum, nec in se, nec in causa.

II. Si ebrietas sit voluntaria & perfecta, subdistinguendum est: vel enim illa ebrietas est sufficienter voluntaria sive moraliter mala, & tunc omnia mala, quæ potuit & debuit prævidere aut timere fortè secutura, imputantur ebrio in culpam gravem, vel levem, inquantum sunt voluntaria in causa, & culpam illorum contraxit quando posuit causam sive ebrietatem: v. g. qui solet iu ebrieiate blasphemare, impudica agere aut loqui, ille se inebrians, ultra peccatum ebrietatis contrahit malitiam blasphemiæ, impudicitiæ, &c. & quamvis quandoque per accidens illa mala in ebrietate non sint secuta, equidem eandem malitiam contraxit in causa, ponendo causam.

An mala illa ex ebrietate patrata possunt dici esse peccata?

R. Possunt dici peccata formalia, quatenùs procedunt à voluntate ponendi causam: & propterea per illa aliquando potest quis contraxisse casum reservatum, irregularitatem & censuram.

III. Verumtamen si non soleat similia mala in ebrietate committere, & remotè admodum aut vix potuerit talia mala prævidere secutura, posset fortè quoad illos effectus excusari à mortali; quia non satis sunt voluntarii, eò quòd non satis potuerint prævideri.

Imò posset excusari à tota malitia, si nullo modo, nequidem in generali, potuerit prævidere.

Collige, quomodo grave malum ex ebrietate perfecta & plenè voluntaria secutum, imputetur quandoque ad mortalem, quandoque ad venialem culpam, & quandoque non imputetur ad culpam.

IV. Si ebrietas perfecta fuerit solùm imperfectè voluntaria, sive non satis deliberata, & propterea venialiter solùm mala, tunc mala inde secuta, quamvis in se gravia, solùm possunt esse venialiter peccaminosa, ob imperfectum voluntarium liberum: nam illa mala voluntaria non sunt, nisi in causa seu in ebrietate: atqui causa est solùm imperfectè seu non satis voluntaria; ergo, &c.

V. Hucusque de ebrietate perfecta, quæ excludit rationis usum: si autem ebrietas sit imperfecta & relinquat sufficientem rationis usum, tunc malum, quod ex ebrietate agit, erit non solùm voluntarium in causa, sed erit etiam in se voluntarium, & peccatum mortale, vel veniale secundùm gravitatem materiæ & usum rationis præsentem.

VI. Quomodo rei sunt illi, qui ex ebrietate prævidere potuerunt secuturam infirmitatem, per quam impedirentur à suis obligationibus, ab auditione Missæ, à recitatione Officii Divini, a jejunio, &c. colligitur ex antedictis N. 39. & 267: nimirum contraxerunt malitiam omnium omissionum in causa, quas prævidere potuerunt & debuerunt; sed si ipsos facti pœniteat, seu causam retractent, jam propter impotentiam excusantur à novo peccato.

N. 282. DE CASTITATE ET VIRGINITATE.

I. *Definitio.* II. *Pudicitia.* III. *Castitas triplex.* IV. *Conjugalis.* V. *Vidualis.* VI. *Virginitas quæ est Virtus specialis.* VII. *Virginitas in anima non nisi voluntariè amittitur.* VIII. *Quomodo amittitur.* IX. *Virgo intendens nubere.* X. *Materialis Virginitas.* XI. *Quomodo amittatur.* XII. *Status Virginalis anteponendus conjugali.* XIII. *Explicatur textus Apostoli.*

QUID est castitas?

I. R. Est virtus, quæ affectum usumque venereorum excludit, vel debitè moderatur.

II. Pudicitia connotat pudorem in actibus externis venereis.

III. Quomodo dividitur castitas?

R. In virginalem, vidualem & conjugalem.

IV. Castitas conjugalis est, quæ proponit abstinere à delectationibus illicitis, & utitur moderatè licitis in matrimonio.

V. Castitas vidualis est, quæ post usum actûs venerei

voluntarium, quo virginitas corporalis ablata est, proponit abstinere ab omnibus venereis in posterum.

VI. Castitas virginalis sive virginitas est, quæ à præfato actu venereo voluntario abstinuit & proponit abstinere ab omni venereo in perpetuum: & hæc dicitur virtus virginitatis. S. Thom. art. 3. ad 4. requirit votum, sed loquitur de perfectissimo statu virginitatis. Sylvius ibidem.

VII. Hæc virtus virginitatis secundùm suum formale non amittitur in anima, quamvis integritas corporis per copulam violentam, aut alium actum involuntarium tollatur: neque aureola virginitatis ob id subtrahetur in Cœlo, juxta illud S. Luciæ: "Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam."

VIII. Virtus virginitatis in anima amittitur per quodcumque peccatum mortale venereum, & per propositi mutationem. Sylvius 2. 2. q. 152. a. 3. Et iterum recuperatur (si integritas materialis amissa non sit) per pœnitentiam & per reassumptionem perpetui propositi.

IX. Quid si virgo proponat solùm ad tempus abstinere à venereis, donec occurret occasio nubendi?

R. Hæc dicitur solummodo habere statum castitatis communis ad instar conjugalis, sed virtutem virginitatis non habet ob defectum propositi perpetui.

X. Virginitas vulgariter solet accipi pro ipsa materiali integritate carnis, cum qua nascimur; & eatenus non est virtus, sed dos naturæ.

XI. Hæc materialis virginitatis integritas amittitur non solùm per carnalem copulam, sed etiam per libidinosam resolutionem seminis, seu pollutionem libidinosam. Item in femina per violentam penetrationem vasis digito aut alio instrumento. Sic authores communiter cum medicis. Vide Sylvium 2. 2. q. 152. a. 3. Sic corruptæ possunt accipere velum professionis, sed non velum consecrationis ab Episcopo. Ita Wig. c. 3. n. 9. qui tamen exceptionem Cajetani admittit.

XII. Concilium Trid. Sess. 24. can. 10. definivit contra Hæreticos, statum virginitatis vel cælibatûs esse meliorem & beatiorem statu conjugali; quod idem docet Apost. Paulus 1. ad Cor. 7. dicens: "qui non jungit virginem suam meliùs facit."

Obj. Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 2. dicit "propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat;" ergo, &c.

XIII. R. Perversè ab Hæreticis textus objicitur: quia Apostolus non loquitur in illis verbis de virginibus, sed de

conjugatis: & permittit eis usum copulæ, propter fornicationem vitandam, secundùm indulgentiam; ita ut verbum "habeat" accipiatur pro "utatur;" ita SS. Hieron. Chrys. juxta phrasim Scripturæ Sacræ.

Reliquas Hæreticorum objectiones, & earum solutiones reperies passim apud Scholasticos, Sylv. Supp. q. 41. a. 2. Wigg. de Temp. c. 3. d. 3. Bellarm. controv. &c.

N. 263. DE LUXURIA.

S. Thom. 2. 2. 153.

I. *Definitio.* II. *Filiæ octo interiores luxuriæ.* III. *Et quatuor exteriores.* IV. *Actus venerei per bona matrimonii honestantur.* V. *Prohibita luxuria jure divino & naturali.*

QUID est luxuria?

I. R. Luxuria, prout est vitium castitati oppositum, definitur: "Inordinatus appetitus venereorum."

Vox luxuria quandoque latiùs accipitur pro quocumque excessu in vestibus, epulis, &c. prout & vox libido; sed communi usu significant cupiditatem venereorum. S. Th. art. 1.

II. S. Thom. a. 4. luxuriam recenset inter peccata capitalia, & a. 5. ex S. Greg. enumerat ejus filias octo interiores quæ sunt; 1. cœcitas mentis, 2. præcipitatio, 3. inconsideratio, 4. inconstantia, 5. amor suî, 6. odium Dei, 7. affectus præsentis sæculi, 8. & horror futuri; III. & ibidem ad 4. quatuor exteriores ex S. Isidoro, turpiloquia, scurrilia, ludicra, & stultiloquia.

An omnis actus venereus spectet ad vitium luxuriæ, sitque peccatum?

IV. R. S. Th. a. 2. negativè; scilicet quando iste actus ordinatur debitè ad propagationem generis humani inter matrimonio junctos; quia talis actus fit secundùm ordinem rectæ rationis, & per bona matrimonii honestatur.

Dicitur debitè; nam conjugati multis modis possunt inter se simul vel soli peccare peccato luxuriæ: sed de iis in Tract. de Bonis Matrim.

V. Quo jure prohibita est luxuria?

R. 1°. Jure Divino: nam prohibita est sexto Decalogi præcepto innovato per Christum.

2°. prohibetur jure naturali: quia, ut ait S. Aug., includit

de se concupiscentiæ inordinationem, & turpitudinem contra rectum rationis ordinem ac naturalem pudorem.

Et propterea non solet in hac materia venerea admitti ignorantia practicè invincibilis.

Responsio confirmatur ex damnatione prop. 48 & 49. inter damnatas ab Innoc. XI., quæ continebant, quòd fornicatio & mollities solùm essent malæ, quia prohibitæ.

N. 284. DE GRAVITATE PECCATI LUXURIÆ.

I. *Peccatum mortale ex genere suo.* II. *Probatur ex Scrip. S.* III. *Non datur parvitas materiæ.* IV. *Fundamentum petitur ex dispositione proxima.* V. *Prævenitur objectio.* VI. *Prop. damnat.* VII. *Exceptio.* VIII. *Exceptio secunda, inter conjuges.* IX. *Delectat. conjugis extra compartem.* X. *Periculum pollutionis.* XI. *Distinctio delectationis venereæ à sensuali.*

QUANTUM peccatum est luxuriæ peccatum?

R. Est peccatum mortale ex genere suo, quia versatur circa rem gravem. Id evidenter probatur ex Epist. ad Gal. 5. v. 19. ubi recensetur inter opera, quæ excludunt à Regno Cœlorum; II. "Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria; &c.... qui talia agunt Regnum Dei non consequentur."

An datur levitas materiæ in luxuria?

III. R. Communior sententia docet non dari levitatem materiæ, sive non dari peccatum veniale ex parvitate materiæ in re venerea *directè* in se volitâ extra Matrimonium.

Hanc sententiam PP. suppressæ Societatis Jesu docere & sequi debebant ex mandato Generalis Aquaviva sub pœna excommunicationis. La Croix lib. 3. p. 1. n. 911

IV. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd minima delectatio venerea plenè deliberata contineat dispositionem sive periculum proximum ulterioris delectationis & consensûs; nam passio venerea indomita est & lubrica propter specialem corruptionem naturæ, & propterea semel admissa rapit voluntatis assensum, sicut scintilla ignis missa in pulverem bellicum: quod ita non accidit in aliis passionibus. & inde exurgit ratio disparitatis, ob quam in his faciliùs admittatur materia levis.

V. Confirmatur ex damnatione hujus propositionis 40. Alex. VII. "Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem &

sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis."

Peccat hæc propositio in eo, quòd ponat conditionem moraliter impossibilem; nam illa delectatio deliberata continet periculum proximum consensûs: ita Steyaertius. Addit La Croix lib. 3. p. 1. n. 893, illam propositionem excedere in eo, quòd generaliter loquatur etiam de delectatione venerea directè volita cum consensu in illam.

VI. Dictum est non dari levem materiam in re venerea directè vel in se volita, quia multi materiæ levitatem admittunt in illa, quæ indirectè solùm censetur esse volita; dum scilicet ex causa non graviter mala exoriuntur quædam leves carnis commotiones, quibus voluntas resistit; sed alii has commotiones excusant à mortali ob insufficiens voluntarium, de quo alibi.

Obj. Inter conjuges admittitur levitas materiæ in re venerea; ergo etiam inter solutos admitti debet, quia utrobique invenitur par periculum consensûs ulterioris.

VII. R. Concedo ant. & nego cons. disparitas est, quòd principalis actus sive copula carnalis sit inter conjuges licita, & ideo eorum delectatio venerea continet quidem occasionem consensûs ulterioris, sed de re inter eos per se licita; verùm delectatio venerea inter personas alias continet periculum sive occasionem proximam consensûs ulterioris rei illicitæ & mortaliter malæ.

VIII. Observa interim bene, quòd similis delectatio venerea personæ matrimonio junctæ concepta de alia persona à conjuge distincta, vel de alio objecto, non excusetur à mortali ob materiæ levitatem, quia objectum istius delectationis est extramatrimoniale.

IX. Observa secundò, quòd delectatio venerea etiamsi circa propriam conjugem, si inducat periculum morale sive propinquum pollutionis, quod evitari non potest per actum conjugalem proximè sequentem, eò quòd v. g. conjux sit absens, ex eo periculo contrahat culpam mortalem duplicem.

X. Observa denique distinctionem delectationis venereæ à delectatione sensuali: venerea enim est, quæ oritur ex commotione spirituum generationi subservientium, & sentitur circa partes pudendas: sensualis delectatio est quæ oritur ex proportione objecti ad sensus: v. g. delectatio ex gustu cibi sapidi, ex tactu rei mollis, &c. in quibus solet admitti levitas materiæ: verumtamen sensualitas tactûs magis disponit ad delectationem veneream, & ita tactus sensualis v. g. manûs aut faciei femineæ periculum habet pro utraque persona.

N. 285. DE SPECIEBUS LUXURIÆ.

S. Th. 2. 2. *q.* 154.

I. *Septem species luxuriæ.* II. *Divisio secundùm diversos gradus.* III. *Tactus, aspectus &c. reducuntur ad speciem ad quam disponunt.*

I. QUOT & quæ sunt species luxuriæ ?

R. Sunt hæ septem : 1. fornicatio simplex, 2. stuprum, 3. raptus, 4. adulterium, 5. incestus, 6. sacrilegium, & 7. vitium contra naturam.

II. Hæc divisio non fit in condistinctas species, sed secundùm diversos gradus, ita ut una possit includere aliam, quo modo adulterium includit fornicationem, & hâc ratione Christus Matth. 5. adulterium exprimit per fornicationem, dicens " exceptâ causa fornicationis," id est adulterii.

III. Nota, quòd malitia venerearum delectationum, tactuum, aspectuum, &c. reduci debeat ad illam speciem, ad quam illi actus disponunt vel referuntur : v. g. osculum libidinosum uxoris alienæ ad adulterium : tactus suî ipsius ad peccatum contra naturam.

N. 286. DE FORNICATIONE.

I. *Definitio.* II. *Est peccatum mortale.* III. *Repugnans juri naturæ.* IV. *Prop. dam.* V. *Ratio S. Aug.* VI. *Ratio S. Thom.* VII. *Disputatio.* VIII. *Objectio.* IX. *Objectio.* X. *Objectio ex Osea.* XI. *Explicatur textus.* XII. *Duplex malitia in fornicatione.* XIII. *Meretricium.* XIV. *Concubinatus.* XV. *Objectio.* XVI. *Resp. secundariæ uxores vocabantur concubinæ.* XVII. *Prop. damn.*

QUID est fornicatio simplex ?

I. R. Est copula carnalis naturalis libera liberi cum libera nec virgine nec proquinqua.

II. Probatur esse peccatum mortale, quia Apostolus ad Gal. 5. v. 19. de ea dicit : " qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur."

III. Probatur, eam esse contra legem naturæ IV. ex hac prop. 48. damnatâ ab Innoc. XI. " Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, &

solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur."

V. Probatur idem ratione S. Augustini, quia includit de se concupiscentiæ turpitudinem contra rationis ordinem.

VI. Probatur denique ratione S. Thom. 2. 2. q. 134. a. 2. in c. quia fornicatio est contra bonum prolis.

VII. Disputari tamen solet, utrùm hæc ratio S. Th. sola sufficienter probet, fornicationem simplicem repugnare legi naturali; &

Respondetur affirm. quia bonum prolis requirit non solùm debitam generationem, sed etiam legitimam educationem, quæ ex fornicatione per se non obtinentur.

Et ex hac ratione fornicarii, secutâ prole, tenentur inter se contrahere matrimonium, ut scilicet prolem simul educent & legitiment.

VIII. Obj. Educationi prolis provideri potest per alia media, prout fit circa illegitimos Regis, ergo, &c.

R. Nego ant. quia id in Rege per accidens habetur, non vi copulæ fornicariæ.

IX. Obj. Antidotum paratum excusat sumptionem veneni; ergo, &c.

R. Nego paritatem, quia antidotum est ejusdem rationis tollens per se totum illativum mortis, quod est in veneno.

X. Obj. Deus Oseæ præcepit fornicationem dicens: " Sume tibi uxorem fornicationum ; ergo, &c.

R. Neg. ant. præcipitur enim ei, ut fornicariam accipiat in legitimam uxorem.

XI. Instabis: addit Deus: "fac tibi filios fornicationum," ergo agit de vera fornicatione.

R. Nego cons. solùm enim significatur, quòd filii istius mulieris præcedentes, ex fornicatione nati, sunt futuri tanquam sui, quia eorum vitricus erat futurus per matrimonium subsequens; vel fortè quòd ejus filii legitimi sint vocandi filii fornicationis à matre ante fornicaria.

XII. Notandum, quòd peccatum fornicationis, & sic quæcumque peccata cum complice, præter malitiam contra castitatem, habeant malitiam contra charitatem, inquantùm quis est causa peccati & mortis animæ complicis, vel saltem ei consentit.

XIII. Meretricium agitur, dum quædam se exponit omnibus ad libidinem; meretrix autem debet id exponere in confessione: Pauwels existimat etiam in confessione esse exponendum, quòd quispiam accesserit ad meretricem; sed Sylvius id probabiliùs negat cæteris paribus.

XIV. Concubinatus dicitur, dum quispiam habet mulie-

rem sive domi sive alibi, quâcum solet fornicari; & hæc circumstantia cum duratione temporis certò in confessione exprimenda est propter continuatum affectum & statum peccati actualis.

XV. Obj. Jacob & alii Patriarchæ habuerunt concubinas; ergo, &c.

XVI. R. Nego ant. verum quidem est, quòd habuerint plures uxores, & quòd secundariæ uxores vocarentur concubinæ, sed non erant concubinæ fornicariæ, quia erant vero matrimonio junctæ; illo autem tempore licebat habere plures uxores.

XVII. Pro praxi observa, ab Alex. VII. damnatam esse hanc propositionem: "Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens: commissi cum soluta peccatum grave contra castitatem, non explicando copulam."

Schema practicum infra Num. docebit modum interrogandi fornicarios.

N. 287. DE STUPRO.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *a.* 6.

I. *Definit.* II. *Quæ sit Virgo.*

QUID est stuprum?

I. R. Stuprum strictè & theologicè sumptum, est illicita virginis defloratio, sive fornicatio cum virgine.

II. Virgo hìc vocatur ab integritate corporali, quæ scilicet claustrum sive signaculum virginale non amisit per copulam carnalem, vel fortè per alios æquivalentes impudicos actus.

Stuprum apud Juridicos solet aliter accipi pro violento concubitu cum muliere invita.

Sed Theologi concubitum cum muliere invita, vel invitis ejus parentibus aut tutoribus, referunt ad raptum, de quo infra N. 288. sed quæritur:

DE CIRCUMSTANTIA VIRGINITATIS.

I. *Sententia affirmans.* II. *Objectio.* III. *Objectio.* IV. *Opinio negans.* V. *Practica resolutio.* VI. *Objectio.* VII. *Methodus interrogandi super Virginitatis circumstantiam.* VIII. *Praxis circa masculos.* IX. *Circa cogitationes.* X. *Virginitas masculi non est circumstantia exprimenda.*

AN illa circumstantia virginitatis femineæ sit de se circumstantia notabiliter augens peccatum fornicationis, etiam tunc quando virgo liberè consentit & aliæ circumstantiæ non concurrunt?

I. R. Affirmant Sylvius in 2. 2. q. 154. a. 6. & alii ab ipso citati, item Steyaert, Braunman, Antoine, &c., & putant sibi favere S. Thomam, "qui hìc a. 6. indicit, quòd in virgine...quædam deformitas specialis occurrit, si corrumpatur, quæ ex hoc...impeditur à legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret."

Ratio igitur responsionis est, quòd virginalis integritas sit donum naturæ notabile, necessarium virgini ad honestatem vitæ: nam eâ amissâ ponitur in via meretricandi, eò quòd per primam fornicationem removeatur frænum & repagnulum cohibens.

II. Obj. Per secundam & tertiam fornicationem magis ponitur in via meretricandi; ergo ratio non subsistit.

R. Dist. ant. per secundam magis ponitur in via meretricandi ratione usûs, & dependenter à prima ob frænum sublatum in prima, conc. ant. independenter à prima, neg. ant.

III. Obj. Virgo, quæ est sui juris, consentiens nulli facit injuriam; ergo, &c.

R. Solummodo inde inferri potest, quòd non peccet contra justitiam; quamvis committat speciale peccatum contra virtutem castitatis ob circumstantiam virginitatis.

IV. Negativam opinionem sequuntur Wigg. tr. 2. c. 4. d. 1. & alii ab eo citati, item Daelman, Boud. Billuart.

Pro ratione simul & responsione ad argumenta prioris sententiæ dicunt, quòd in amissione libera virginitatis præfata, nullum interveniat peccatum, nisi prodigalitatis: illa autem non est peccatum mortale.

S. Th. verò solùm dicit, stuprum esse speciem distinc-

tam, pro qua sufficit deformitas peccati venialis; nullibi autem asserit eam esse mortalem.

Periculum autem meretricandi non videtur tam notabile, quia in secunda & sequentibus fornicationibus illud videtur esse majus.

V. In hoc opinionum certamine practicè ultimatò resolvit Suarez in 3. p. d. 22. sect. 4. n. 6. tom. 4. scribens: "Femina, quando virginitatem perdidit, securiùs faciet, hanc circumstantiam in confessione declarando, tum quia probabilissimum est, illam mutare speciem, tum quia saltem multùm aggravat: hinc assero eum, qui virginem defloravit, moraliter obligari ad hanc circumstantiam aperiendam." Hactenus Suarez,

VI. Obj. Hæc praxis imponit onera pœnitentibus, dum filia in peccatis carnis obligabitur aperire sæpius, utrùm sit virgo, an non.

R. 1°. Hæc sunt intrinseca confessioni, & non excusant ab integritate fideli confessionis.

VII. R. 2°. Confessarius prudens omnem evadet invidiam hâc methodo: dum confitetur se esse fornicatam, Confessarius petat, an primâ vice, quâ simile peccatum commisit, exposuerit circumstantiam amissæ virginitatis?

Si respondeat categoricè ita vel non, cessat difficultas; & quidem si jam sint primæ vices, statim reponet, jam fuisse primas vices, adeoque solùm ei dici debet, ut conteratur de illa circumstantia, & eam confiteatur: si taceat, instruatur, illam circumstantiam tutiùs semel exprimendam, adeòque si id nunquam fecerit, jam desuper doleat & se accuset.

VIII. Circa masculos praxis non invenit difficultatem; solummodo enim inquirendum est an putaverit filiam circa quam peccavit, esse honestam; eo enim ipso peccavit ratione circumstantiæ virginitatis secundùm suam conscientiam, sive rectam, sive erroneam.

IX. Circa cogitationes internas difficilior est praxis: interim si accesserit voluntas fornicandi in vel cum virgine, circumstantia virginitatis eodem modo videtur exponenda: si solùm steterit in delectatione morosâ, aliqui existimant non exprimendam circumstantiam, nisi fortè directè delectatio tenderet in virginitatis circumstantiam.

X. Virginitas masculi, juxta communem sententiam, non æstimatur circumstantia notabilis in fornicatione aut delectationibus; quia non æstimatur respectu viri virginitas esse specialis dos custodienda pro matrimonio, vel pro

fræno non fornicandi; adeòque in confessione necessariò non est exprimenda.

Utrùm circumstantia sponsæ alterius in fornicatione, exponi debeat in confessione, plurimi affirmant: quia est abusus corporis alteri obstricti, & quasi imperfectum adulterium: hæc autem circumstantia est notabilis, cùm propter eam altera pars justè resilire potest à promissione matrimonii data.

N. 288. DE RAPTU.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 157. *a.* 7.

I. *Definitio.* II. *Explicatur.* III. *Differt ab aliis raptibus.* IV. *Raptus improprius.* V. *Quid agere debeat mulier, quæ vim patitur.* VI. *An teneatur clamare.*

QUID est raptus quatenùs hìc dicitur species luxriæ?

I. R. Est violenta arreptio personæ causâ explendæ libidinis.

II. Sufficit ad raptum præfatum, quòd violentia, sive vis, vel metus gravis inferatur, vel ipsi personæ, mulieri aut masculo, vel eorum parentibus vel aliis tutoribus, sub quorum custodia degit; & comprehenditur violenta copula illata in eodem loco sine abductione.

III. Hic raptus itaque quatenùs est species luxuriæ differt à raptu, qui vocatur plagium aut furtum hominis: item à raptu impedimento matrimonii, qui est abreptio mulieris sub sua potestate in ordine ad matrimonium: item differt tanquam magis communis à sua minùs communi, à raptu casu reservato, qui est violenta defloratio virginis; sed de his latiùs in tractatu de imped. matrimonii

Raptus præfatus continet ratione violentiæ malitiam injustitiæ, supra malitiam luxuriæ.

An est raptus, si filia consentiens abducatur à juvene, nescientibus parentibus vel tutoribus?

IV. R. Negativè: quia nulla propriè concurrit violentia, & propterea ab aliis vocatur raptus seductionis, fuga vel furtum: solet tamen eatenùs peccari inquantùm violatur jus custodiæ, quod habent parentes & tutores.

V. Quid agere debet mulier, dum vi opprimitur?

R. Interiùs debet dissentire.

Exteriùs debet resistere, vel fugiendo, vel vim repellendo manibus, pedibus aliisque instrumentis; occidere tamen invasorem non potest.

Insuper clamare tenetur, si sit spes auxilii.

An tenetur clamare cum periculo vitæ?

VI. R. Virtuosè aget clamans; nam si occidatur, Martyr erit.

Non tenetur clamare, quia non tenetur bonum vitæ altioris ordinis exponere pro minori: interea consentire non potest interiùs, nec quidquam exteriùs positive agere, quo in actum obscœnum influerit, quantumvis mors subeunda foret.

N. 289 DE ADULTERIO.

S. Th. 2. 2. *q.* 154. *a.* 6.

I. *Definit.* II. *Circumstantia injustitiæ.* III. *Triplex adulterium.* IV. *In adulterio conjugatæ.* V. *Praxis.* VI. *Consensus mariti non excusat ab adulterio.* VII. *Objectio.* VIII. *Objectio ex S. August.*

QUID est adulterium?

I R. Est injusta thori conjugalis violatio, sive, est copula carnalis inter personas non conjuges, quarum una saltem est conjugata alteri.

II. Adulterium igitur continet ad minus duas malitias mortales, unam fornicationis contra castitatem, aliam injustitiæ contra innocentem, quia ejus jus violatur; nam ipse habet jus & dominium corporis conjugis, quo abutitur adulterans.

III. Adulterium tripliciter committitur, conjugati cum soluta, soluti cum conjugata, & conjugati cum conjugata: hoc ultimum dicitur adulterium duplex.

IV. Nota deinde, quòd adulterium conjugatæ, quando proles ex eo nata est, vel ipsa est in statu sive capax concipiendi prolem ex ea copula, insuper contrahat malitiam injustitiæ ex circumstantia damni temporalis inferendi marito ejus & proli, dum proles spuria nata sic aleretur, & hæreditatem acciperet cum prole legitima.

V. Practicè igitur in adulterio conjugatæ semper Confessarius inquirere debet, utrùm ipsa ex tali copula poterat concipere; utrùm verò sciret eam sterilem vel infecundam.

VI. An concubitus cum uxore alterius viri consentientis liberetur à circumstantia adulterii sive injustitiæ?

R. Negativè: quia est similis propositio damnata ab Innoc. XI. Num. 50. Et Apostolus ad Rom. 7. v. 3. generatim dicit de muliere: "vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro."

VII. Obj. Axioma juris habet: "scienti & volenti non fit injuria."

R. Addi debet: & suo juri cedere volenti; maritus autem nec potest nec valet cedere suo juri propter indissolubilitatem matrimonii.

VIII. S. Augustinus non excusat factum famosum mulieris Antiochenæ ab adulterio, sed malitiam extenuat propter bonum mulieris finem liberandi virum captivum. Vide Daelman quæst. 3. obs. 1. & q. 4. obs. 19.

N. 290. DE INCESTU.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 144. *art.* 9.

I. *Definitio.* II. *Malitia duplex.* III. *Proquinquitatis linea & gradus exponi debent.* IV. *Reducuntur ad incestum.* V. *Peccatum Confessarii cum Pœnitente.* VI. *Peccatum Pastoris cum Parochianis.* VII. *Actus venerei inter proquinquos ejusdem sexus.*

QUID est incestus?

I. R. Est copula carnalis extramatrimonialis habita inter consanguineos vel affines intra gradus prohibitos.

II. Incestus igitur continet ad minus duplicem malitiam mortalem, unam fornicationis contra castitatem, alteram contra virtutem pietatis, sive honorificentiam & reverentiam debitam consanguineis & affinibus, cui adversatur turpitudo venerea, partim ex jure naturæ, partim ob prohibitionem Ecclesiæ.

III. Utrùm omnes incestus sint ejusdem speciei, disputationi relinquitur: certum est, quòd incestus inter consanguineos sit gravior, quàm inter affines cæteris paribus; item in linea recta quàm in laterali; item quòd incestus in gradu magis proquinquo sit deterior; ita ut in confessione distinctim exprimendus sit gradus saltem primus & secundus.

IV. Ad incestum reducitur copula inter personas, inter quas obstat impedimentum publicæ honestatis, vel impedimentum cognationis spiritualis aut legalis.

V. Quidam etiam ad incestum reducunt peccatum carnale Confessarii cum sua pænitente; verùm ex Sacramento Pœnitentiæ non oritur cognatio spiritualis: Henno interim contra Billuart existimat, circumstantiam Confessarii esse notabiliter aggravantem; idque verum est, quando illud peccatum committitur occasione confessionis: quia tunc directè agit contra debitum officii sui, et abutitur Sacramento: super quo pœnitens, confitens peccatum carnale cum Sacerdote patratum, interrogandus est: quia tenetur Confessarium sollicitantem denuntiare Ordinario.

VI. Certum itidem est, quòd peccatum Parochi, etiam extra confessionem, cum suis Parochianis, contrahat insuper circumstantiam malitiæ contra justitiam, quia ex justitia Pastor tenetur Parochianos retrahere à peccatis.

An actus venerei inter cognatos vel affines ejusdem sexûs induunt malitiam incestus?

VII. R. Affirm. si scilicet se contingant in gradibus prohibitis, etiam probabiliùs in gradibus solo jure positivo prohibitis; quia Ecclesia lege suâ statuit propinquitatem inter illas personas tam ejusdem quam diversi sexûs; nam & se cognatos appellant, ex qua debent sibi mutuò honorificentiam quæ læditur per inverecundos & turpes actus.

N. 291. DE SACRILEGIO CARNALI.

S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 10.

I. *Definitio.* II. *Divisio.* III. *Quæ persona sacra.* IV. *Unum sacrilegium majus alterò.* V. *Sacrilegium ex circumstantia objecti.* VI. *Persona sacra est causa libidinis personis liberis.* VII. *Objectio.* VIII. *Locus sacer strictè accipitur.* IX. *Non comprehenduntur loca non Benedict.* X. *Quæ peccata in loco sacro contrahant mortalem malitiam.* XI. *Oscula, turpiloquia in Templo.* XII. *Copula conjugum in Templo.*

QUID est sacrilegium carnale?

I. R. Est violatio rei sacræ per actum venereum.

II. Triplex est hoc sacrilegium; personale, locale & reale; secundùm quod violatur vel persona sacra, vel locus sacer, vel alia res sacra. Vide dicta Num. 195.

Quæ persona hìc dicitur sacra?

III. R. Ea, quæ obstricta est castitatis voto: non comprehenduntur Novitiæ, nec constituti in minoribus solum Ordinibus.

IV. Sacrilegium hoc per violationem voti solemnis majus est, (si non specie differat) quàm per violationem voti simplicis, vel solemnizati Diaconi vel Subdiaconi. Sylvius existimat Sacerdotem Religiosum per actum venereum committere duplex sacrilegium, ratione voti & ordinis; propterea hæ cirumstantiæ omnes exprimendæ sunt in confessione.

V. Persona non sacra concupiscens aut violans personam sacram fit rei sacrilegii, non ratione suî, sed ratione objecti: utì etiam si quocumque modo sit causa eis personis voto obstrictis peccati libidinis, v. g. per turpiloquia; quia violatio voti aliorum ipsi tanquam causæ scandalizanti imputatur.

An quispiam, voto castitatis obstrictus, facit contra suum votum, si aliis personis liberis sit causa libidinis, v. g. si consulat aliis, ut illi inter se fornicentur?

VI. R. Peccat peccato scandali, & fit reus fornicationis aliorum; verumtamen non videtur violare votum proprium, merè ob fornicationem aliorum, si absit complacentia propria; quia non vovit servàre castitatem alienam, sed propriam, sicuti conjugatus id consulens non peccat contra fidem matrimonii suì.

VII. Obj. Vovens castitatem vovet non cooperari aut consentire ulli peccato contra castitatem.

R. Id negatur: enimverò si quispiam hujusmodi votum castitatis emiserit, tunc admitti debet, quòd iste consulens violet votum, sicuti per turpiloquia violat, & sicuti Religiosus consulens furtum agit contra votum paupertatis.

Quis locus hìc dicitur sacer in ordine ad sacrilegium carnale locale?

VIII. R. Locus sacer hìc accipitur, non latè prout in favorabilibus, sed restrictè pro loco consecrato vel benedicto ad Sacrificium vel Officium divinum peragendum, aut ad sepulturam Christianorum, cujusmodi sunt Ecclesia, Cœmeteria benedicta, Sacristia in eodem loco: IX. non comprehenduntur hìc sub nomine loci sacri, oratoria privata, vel cubicula non benedicta, quamvis Episcopus concesserit licentiam celebrandi ibidem Missam; neque etiam hortus, cellæ aut alia ædificia, licèt intra claustrum Monasteriorum sita.

X. Nota secundùm dicta Num. 195., quòd peccata merè interna non videantur ex loco sacro mutuare malitiam mortalem.

Sed fornicatio, pollutio voluntaria, & omnes luxuriæ species consummatæ in loco sacro contrahunt ex eo malitiam

mortalem sacrilegii, etiamsi peccata illa essent occulta, &, si insuper forent notoria, Ecclesia violaretur.

XI. De aspectibus, osculis, turpiloquiis aut tactibus impudicis in Ecclesia, non ita constat; quando interim ea continent periculum proquinquum pollutionis, contrahitur malitia sacrilegii ratione periculi: hinc consultò semper in his peccatis exprimitur in confessione circumstantia loci sacri.

XII. Concubitus carnalis conjugum in loco sacro, sine necessitate, induit malitiam sacrilegii, ut colligitur ex cap. "Ecclessiis" dist. 68. dicitur sine necessitate, quia aliqui excusant conjuges, dum coguntur, v. g. tempore belli, diu morari in Templo, si copulentur ad vitanda majora mala.

N. 292. DD PECCATO CARNALI CONTRA NATURAM.

S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 11. *&* 12.

I. *Definitio.* II. *Divisio in 5 Species.* III. *Possunt aliæ species accedere.* IV. *Prop. damn.*

QUID est peccatum carnale contra naturam?

I. R. Est actus libidinosus contra naturam seu finem actûs venerei: hic enim ex natura sua ordinatur ad generationem prolis; & ideò hoc peccatum contra naturam censetur esse gravius cæteris speciebus, inquantùm scilicet illæ sunt contra virtutem castitatis. Ex alio tamen capite possunt aliæ speeies esse majoris malitiæ.

II. Quinque assignantur species seu modi peccati contra naturam, nimirum: 1. bestialitas, 2. sodomia perfecta, 3. sodomia imperfecta, 4. pollutio, 5. modus inordinatus in concubitu naturali: hic ordo enumerationis designat quoque ordinem gravitatis peccati. S. Th. a. 12. ad 4.

III. Observa, quòd ratione circumstantiarum peccatum contra naturam possit etiam pertinere ad alias luxuriæ species; sic sodomia conjugati ad adulterium, sodomia cum consanguineis ad incestum, &c.

IV. Pro praxi observa damnationem propositionis 24. inter damnatas ab Alex. VII. "mollities, sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem."

N. 293. DE BESTIALITATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 12.

I. *Definitio. Gravitas criminis.* II. *Congressus cum Dæmone.* III. *Cum cadavere.*

I. BESTIALITAS est coïtus carnalis cum bestia aliqua.

Hujus sceleris immanitatem probant pœnæ in illud latæ: Levit. 22. mandatur, ut bestia & homo coëuntes interficiantur; apud Christianos flammis absumuntur.

II. Ad hoc crimen reducitur congressus carnalis cum dæmone in corpore assumpto, quod scelus aggravatur per circumstantiam contra Religionem, quatenùs includit sosietatem cum dæmone, ideòque gravius est & gravissimum peccatum contra naturam: consideranda est etiam forma corporis vel hominis vel bestiæ, in qua apparet dæmon; item repræsentatio personæ virginis, monialis, &c. Verùm plerumque præsumendum est, talia solùm fieri per fortem imaginationem, quâ decipiuntur homines.

III. Quidam ad bestialitatem reducunt copulam cum cadavere mulieris mortuæ, quia aiunt, illud specie differt ab homine vivo; alii reducunt ad pollutionem qualificatam.

N. 294. DE SODOMIA.

S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11.

I. *Definitio.* II. *Sodomia minor.*

I. QUID est sodomia perfecta?

R. Est congressus carnalis inter personas ejusdem sexûs, nimirum masculi cum masculo, feminæ cum femina, in quocumque vase congressus fiat.

Hujus peccati enormitatem satis declarat Scriptura Sacra. Gen. Cap. 18 & 19. & Ep. ad Rom. 1.

II. Sodomia imperfecta sive sodomia minor est congressus carnalis maris cum femina, sed extra vas femineum naturale, v. g. si vir effundat semen suum retro per anum in intestinum feminæ stercoreum.

Aggravant iterum hoc peccatum circumstantiæ voti, cognationis, matrimonii, licèt inter conjuges committatur.

N. 295. DE MODO CONTRA NATURAM.

I. *Modi contra naturam* II. *Inducunt quandoque peccatum mortale,* III. *Quandoqae veniale.*

I. QUINTA species luxuriæ contra naturam committititur, quando quidem copula masculi fit in vase feminæ naturali, sed indebito modo, v. g. stando, aut dum vir succumbit, vel à retro feminam cognoscit, sicut equi congrediuntur, quamvis in vase femineo.

II. Possunt autem hi modi inducere peccatum mortale juxta periculum perdendi semen, eò quòd scilicet semen viri communiter non possit aptè effundi usque in matricem feminæ.

III. Et quamvis fortè conjuges dicant, quòd illi periculo diligenter præcaveant, illi interim lascivi modi à gravi veniali excusari non debent, nisi fortè propter impotentiam, v. g. ob curvitatem uxoris nequeat servari naturalis situs & modus, qui est ut mulier succumbat viro.

N. 296. DE POLLUTIONE.

I. *Quid pollutio.* II. *Semen.* III. *Distillat.* IV. *Pollutio est peccatum mortale.* V. *Ratio.* VI. *Motus venerei.* VII. *De pollutione in somno.* VIII. *Evigilans debet eam cohibere.*

I. QUID est pollutio sive mollities ?

R. Est seminis emissio extra omnem concubitum.

Notatur, quòd pollutio in mulieribus quandoque possit perfici, ita ut semen earum non effluat extra membrum genitale; indicium istius allegat Billuart, si scilicet mulier sentiat seminis resolutionem cum magno voluptatis sensu, quâ completâ passio satiatur.

II. Quid est semen ?

R. Est viscosa materia congregata ex eo, quod de alimento sumpto superabundat corporis nutrimento, serviens ad generationem sive conservationem speciei. Adeòque differt ab urina & humoribus aliis.

III. Distillatio est alicujus humoris medii inter semen & urinam effluxio, quæ sæpe conjungitur delectationi venereæ ; potest tamen sine ea & sine commotione spirituum genitalium obvenire ; cùm autem iste humor non sit

aptus generationi, propterea, si delectatio venerea non comitetur, parvi æstimatur. De distillatione vide Neesen de Euchar. q. 6. dub. 5.

IV. Proba pollutionem simplicem voluntariam esse peccatum mortale.

V. R. Probatur ex Ep. ad 1. Cor. 6. ubi dicitur, quòd "molles regnum Dei non possidebunt." Atqui nemo excluditur à Regno Dei, nisi ob peccatum mortale, ergo, &c.

Consistit autem hæc malitia in eo, quòd semen humanum in se continens virtutem generandi, & ordinatum ad nobile opus generationis hominis, innaturaliter deperdatur.

Crebrò etiam accedunt aliæ malitiæ, vel ex qualitate personæ propriæ conjugatæ, voto obstrictæ, &c. vel ex qualitate objecti cogitati, &c.

Potest autem pollutio esse volnntaria vel directè per causam vel occasionem datam, & ita pollutio in somno obveniens potest imputari aliquando in peccatum. S. Thom. 3. p. q. 80. a. 7. in c.

VI. Venereæ commotiones, quæ circa partes pudendas persentiscuntur, sub speciem pollutionis reducuntur, dum scilicet non ordinantur ad concubitum, & eædem circumstantiæ notandæ.

VII. Quid agere debet is, qui sub pollutione in somno inchoatâ evigilat?

R. Evigilans non potest ei ullum consensum præbere, sed potiùs dissensum seu displicentiam voluntatis formare debet.

An tenetur illam pollutionem in somno inceptam, mox ut evigilat, vi cohibere suumque corpus comprimere, ne continuetur in vigilia?

VIII. R. Cum Antoine: tenetur, saltem ut pollutio non continuetur per effusionem seminis necdum è lumbis vel ex testiculis extravasati: Sanchez, Billuart, aliique videntur permittere continuationem ob periculum infirmitatis; sed omnino puto, eos id dicere solummodo de semine jam extravasato, nimirum ut exteriùs effluat: alioquin non licet promovere formalem pollutionem, nequidem ad evadendam mortem.

Notat Neesen...... difficilem esse correctionem eorum, qui dediti sunt huic vitio pollutionis. Media corrigendi Vide infra Num. 299.

N. 297. DE IMPUDICITIA IN OSCULIS, ASPECTIBUS ET TACTIBUS.

S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 4.

I. *Sunt peccata mortalia.* II. *Libidinosa ex objecto,* III. *Attactus uberum.* IV. *Oscula, tactus manuum diversi sexûs.* V. *Excusatio juvenum & puellarum rejicitur.* VI. *Notanda distinctio complexionis hominum.* VII. *Oscula amicitiæ.* VIII. *Oscula infantium.* IX. *Tactus puerorum inter se.* X. *Aspectus imagin. impudicarum.*

I. TACTUS, aspectus & oscula libidinosa, sunt peccata mortalia; nam continent inordinationem concupiscentiæ venereæ.

Possunt autem actus dici libidinosi, vel ex fine vel ex objecto.

Ex fine potest quiscumque actus licèt secundùm se honestus, dici libidinosus, si ad finem libidinis referatur, v. g. jocus ad fornicandum.

II. Ex objecto libidinosi sunt actus, qui, sine causa, sunt circa hominis pudenda, vel circa eas corporis partes, quas homines ob pudorem similem tegunt.

Tactus vel compressiones supra vestes ad partes pudendas, ad libidinosa referuntur.

III. Attactus uberum feminæ inter inhonesta & libidinosa computatur: liber enim, cui titulus Dissertatio in Cas. res., delatus Summo Pontifici Benedict XIV., quòd doceret, tangere mammillas esse de se veniale, ab eodem damnatus in anno 1744. 16. April.

IV. Oscula, tactus faciei, compressio manuum inter personas diversi sexûs ex amore sexûs vel voluptate excitanda, practicè inter libidinosa recensenda sunt, etiam propter periculum carnalium commotionum in corpore proprio, vel in corpore alterius personæ. Hoc satis confirmat tremenda damnatio prop. 40. ab Alex. VII.

V. Nota igitur, quòd non subsistat hæc juvenum & puellarum excusatio, quâ excipiunt, se non habuisse commotiones carnis, quia fundatè timere debent, ne fortè altera persona passa sit illas, cujus complexio & fragilitas ignota non subest voluntati ejus: jam autem ponendo vel permittendo tales tactus & oscula sine necessitate, cooperatur vel consentit peccato alterius, quod potiùs præcavere debuisset & impedire.

VI. Observa prudenter diversas hominum complexiones & infirmitates; unus enim homo in hac materia infirmior est, ita ut promptè, facilè & ad levissimum sensum patiatur commotiones, non sic alter, cujus corpus quasi lapideum nequidem per turpiloquia movetur; qui autem infirmior est, leviores causas & occasiones debet fugere.

VII. Oscula & tactus manuum inter amicos & notos urbanitatis vel amicitiæ causâ in adventu vel discesssu secundùm morem Patriæ, possunt esse licita, secluso consensu carnalis delectationis. Sylvius in 2. 2. q. 104. art. 4. concl. 7. oscula inter sponsos vult ipse reducere ad præfata oscula honesti amoris; sed multi, non casto amore, sed stimulo concupiscentiæ ducuntur ad matrimonium.

VIII. Oscula infantium non censentur libidinosa; continuata tamen sunt materia sensualitatis, à qua facilis est progressus ad delectationem veneream.

IX. Tactus vel aspectus impudici inter pueros ætatis quinque aut septem annorum solent esse sensualitatis; possunt interim pueri ante annos pubertatis habere delectationes & commotiones carnales venereas, & corruptionem illam induisse ab ætate quinque annorum.

De tactibus conjugum inter se agitur in tract. de matrimonio.

Malitia delectationis morosæ explicatur in prima secundæ.

Examen circa cogitationes impudicas instituendum à Confessario, proponit Schema VIII.

X. Aspectus impudicarum picturarum vel imaginum continet culpam pro ratione periculi delectationum vel commotionum: qui autem similes imagines conficiunt vel aspectu exponunt, sunt rei plurimorum peccatorum alienorum, quæ ex aspectu illarum possunt sequi.

N. 298. DE TURPILOQUIO.

I. *Loquens turpia peccat tripliciter.* II. *Obj. prævenitur.* III. *Circumstantiæ exprimendæ.* IV. *Turpiloquium coram malis est pejus.* V. *Lectio epistol.* VI. *Tractatus impudicorum licet ex causa.* VII. *Quomodo peccat audiens turpiloquium?* VIII. *Præmonitio.*

QUALITER & quantùm peccat, qui loquitur, cantat vel legit turpia sive libidinosa coram aliis?

R. Primò, peccat mortaliter, contra castitatem ratione

affectûs, si adsit, libidinosi in seipso: qui affectus passim adest in hominibus libidinosis.

I. Secundò, facit tot peccata mortalia scandali contra charitatem, quot sunt audientes; & tertiò reus est tot peccatorum alienorum, quot peccata & mala potuit prævidere ex turpiloquio fortè secutura, putà cogitationes, commotiones carnales & imaginationes, non solùm in præsenti, sed & postea ratione impressionis factæ in phantasia aliorum; ex qua causa nonnunquam contingit, quòd verba æquivoca & sermones acuti sæpe magis noceant, quia attentionem & speculationem pariunt, maximè in junioribus.

II. Non abstergitur malitia per hoc, quòd quis turpia dicat ex levitate vel risûs gratiâ, modò potuerit prævidere mala inde forsitan secutura.

III. Ex dictis consequitur, quòd in confessione exprimi debeant non solùm numerus audientium, sed & qualitates & circumstantiæ loquentis & audientium illa, quæ possunt aggravare peccata scandali & luxuriæ, v. g. utrùm sint voto castitatis obstricti, conjugati, juniores.

An ergo idem censendum, si coram conjugatis sermones de copula habeantur?

R. Affirmativè. Hoc tamen interest, quòd isti non tam citò scandalizentur. Ubique enim attendi debet periculum, seu fragilitas audientium.

IV. Unus loquitur obscœna coram malis & vitiosis, alter coram virtuosis & piis, uter graviùs peccat?

R. Prior ordinariè, quia periculum scandali & peccandi magis est in malis.

V. Lectio epistolarum amatoriarum, uti & similium historiarum, vulgò *Romans*, periculosa est; ex ea enim, prout experientia docet, ingeruntur imaginationes & amores carnales.

VI. Sermones vel tractatus aut attactus rerum impudicarum instructionis, correctionis, aut alterius necessitatis vel utilitatis causâ possunt esse liciti: sed respicienda proportio inter justitiam causæ & mala secutura, de quo in 1a. 2æ.

VII. Quomodo peccat audiens turpiloquia?

R. Primò, si eo oblectetur in seipso, peccat contra castitatem.

Secundò, si consentiat, vel si influat loquendo, ridendo, &c., fit reus omnium peccatorum loquentis, quæ mox supra exposita sunt.

Tertiò, si nec interiùs consentiat, nec influat exteriùs, sed tamen non impediat, ubi poterat & debebat, peccat

contra charitatem respectu loquentis & audientium, quia scilicet non corripit, seu non impedit peccata eorum.

Præstat aliquando, dum verbum turpe obiter & transeunter dicitur, dissimulare, ne pejora sequantur.

VIII. Cùm peccata carnis pudenda sint, & propterea periculum reticendi ea in confessione majus sit, frequens recurrit occasio, ut Confessarius de iis interroget; parcè tamen, castè & cautè.

Modum illum docet Schema VIII. "Parce" scilicet, ut interrogationes non sint curiosæ & superfluæ; "castè," ut honestis verbis fiant; "cautè," ut veritatem detegat, sed peccare non doceat.

N. 299. DE REMEDIIS CONTRA LUXURIÆ PECCATA.

I. *Remedia general.* II. *Special.* III. *Causa tentationum carn.* IV. *Remedia.* V. *Aliæ causæ.* VI. *Remedia.* VII. *Aliæ causæ.* VIII. *Remedia.* IX. *S. Thom. vitia carnis vincuntur fugiendo.* X. *Monitum S. Franc. Salesi.* XI. *Monitum aliud.* XII. *Motus ex timore.* XIII. *Non potest voluntas se habere negativè.*

I. ULTRA remedia generalia & communia contra omnia peccata, de quibus in tract. de Sacr. Pœn. n. 190. assignantur quædam specialia contra peccata luxuriæ: sunt autem ea, quæ resecant vel tollunt radicem & causam vel occasiones istorum peccatorum, sublatâ enim causâ tollitur effectus: Du Jardin de Off. Sac. p. 2. Sect. 11. §. 1, & 2. Catech. Conc. Trid. p. 3. in 6 præc. n. 18. & seq. & alii passim Scholastici & Ascetici.

Compendiosè accipe sequentia:

III. 1°. Si peccata, tentationes vel commotiones carnales oriantur ex causa externa, cujusmodi sunt consortium, alloquium, visus vel aspectus, tactus, deliciæ, otium, nimius somnus, lecti mollities aut calor, locus, persona aliqua, lectio librorum, nimius vel specialis cibus, potus, &c. IV. remedium promptum & aptum est fugere, vitare & abrumpere illas causas sive occasiones.

V. 2°. Si carnales tentationes proveniant ex causa interna, ex lubrica complexione naturali, passione concupiscentiæ dominante vel pruritu carnis, ex abundantia seminis, spirituum aut humorum, VI. remedium afferunt maceratio carnis, abstinentiæ, jejunia, fames, sitis, frigus,

inflictio doloris, & sensûs pœnalitates, vigiliæ, surgere è lecto, non decumbere super dorsum, sed in latere manibus super pectus inflexis per modum crucis: & si quis in somno se impudicè tangat, manus alliget collo.

VII. 3º. Si tentationes carnis exurgant ex incidentibus cogitationibus impudicis, ex phantasia, imaginatione, vel ex memoria recurrente aut à diabolo immundo, congrua VIII. remedia sunt oratio ad Deum, invocatio B. M. V., Angeli Custodis, &c. meditatio Passionis Christi, præsentiæ Dei, quatuor novissimorum: item mentem & corpus tensè applicare ad alia objecta & negotia, etiamsi temporàlia; sic enim clavus clavo pellitur.

Collige, quòd non omnibus eadem remedia sint præscribenda, sed inspicienda sit radix & causa; si enim commotiones oriantur ex abundantia, præscribenda jejunia, &c., si merè ex cogitationibus vel à dæmone, spiritualia media prævalent.

IX. Observat S. Thom. in Ep. 1. ad Cor. cap. 6. Lect. 6. quòd tentationes venereæ feliciùs vincantur fugiendo, quàm resistendo: quia quantò magis homo particularia objecta carnis considerat, tanto magis incenditur, atque ideo Apostolus 1. ad Cor. 6. dicat: "fugite fornicationem," & Zach. 2. v. 6. "Fugite de terra aquilonis."

Quod idem consulitur in tentationibus contra fidem & spem, & in cogitationibus suspiciosis de proximo.

X. Hinc S. Franc. Salesius monet, ut homo cogitationes immundas, dum primùm incidunt, non aspiciat, quales sint in particulari, sed eas mox & instanter contemnat, non dando tempus intellectui reflectendi ad eas vel disputandi cum eis; id similitudine declarat: sicuti, si quis audiens quempiam pulsantem fores ejus, nequidem velit per fenestram, nec per rimam ullam respicere, quis ibidem pulset. Hâc methodo S. Maria Magd. de Pazzis se ita in summa castitate servavit, ut quidquid eam læderet, penitus ignoraverit: unde illud dictum Medicorum, "Principiis obsta," maximè locum obtinet in venereis.

XI. Ob præfatam S. Thomæ rationem consulitur, ut quando homo cogitationibus immundis turbatus fuit, non mox examinet, utrùm eis consensum præbuerit, sive utrùm peccaverit, ne imaginatio recens reviviscat.

XII. Observat S. Thom. 1. 2. q. 44. a. 3. ad 1. quòd motus carnales quandoque proveniant ex timore, quia per timorem calor & spiritus animales descendunt ad inferiores partes, prout nonnunquam evenit timoratis nimiùm anxiis; propterea debent illi in tentationibus confugere ad

fiduciam in Deum, & in ea confidentia quasi tuti contemnere & parvi pendere tentationes & prosequi agenda.

An voluntas potest se habere negativè seu permissivè ad tentationes & commotiones venereas nihil agendo ?

XII. R. Non, sed debet earum displicentiam habere, quod semper potest: alioquin ratio deest suo officio, & sic non se merè negativè, sed privativè gereret.

Resistentia corporalis per alias potentias aut corporis compressiones posset aliquando omitti ob alias justas causas vel occupationes, vel quia quis expertus est, quòd sic commotiones potiùs augeantur, quàm reprimantur. De his plura in 1a. 2æ.

An licet commotiones venereas voluntariè admittere eo fine ut pugnando reportetur victoria & meritum.

R. Neg. nam ea doctrina damnata est in articulis 17. & 24. Molinos: quia illæ venereæ commotiones continent in se inordinationem concupiscentiæ.

N. 300. DE VIRTUTIBUS TEMPERANTIÆ ANNEXIS.

S. *Thom.* 2. 2. *q.* 155, *ad* 170.

1. *Continentia.* II. *Mansuetudo.* III. *Vitia opposita.* IV. *Clement.* V. *Vitia opposita.* VI. *Modestia.* VII. 4. *Species modestiæ.*

QUÆ sunt virtutes annexæ temperantiæ?

R. Hæ quatuor: continentia, mansuetudo, clementia & modestia, quæ etiam ejus partes potentiales vocantur.

I. Continentia est virtus disponens voluntatem ad resistendum contra impulsus pravæ concupiscentiæ, præsertim delectationum tactûs, & principaliter venereorum.

Vox continentia frequenter accipitur strictiùs pro virtute castitatis.

II. Quid est mansuetudo ?

R. Est virtus mediatrix iræ juxta præscriptum rationis.

III. Mansuetudini opponitur per excessum iracundia, & per defectum lentitudo seu nimia indulgentia & indiscreta patientia: est ex genere suo peccatum mortale, utpote qua foventur crimina.

IV. Quid est clementia?

R. Est moderatrix pœnarum ex animi lenitate intra limites rectæ rationis.

V. Vitia ei opposita sunt credulitas per excessum & animi lenitas per defectum: sunt ex genere suo mortalia.

VI. Quid modestia?

R. Est virtus, quâ quis se continet intra modum & limites sibi congruos, quantùm ad motus internos & externos & omnem rerum suarum apparatum.

VII. Species modestiæ sunt hæ quatuor virtutes; humilitas, studiositas, modestia morum externorum, & modestia cultûs seu apparatus externi.

N. 301. DE HUMILITATE.

S. Thom. 2. 2. *q.* 161.

I. *Definitio.* II. *Est fundament. virtut.* III. 12. *Gradus humilitatis ex regul. S. Bened.* IV. *Gradus à S. Ansel. adjuncti.* V. *Media humilitandi se infra alios.* VI. *Exempl. S. Franc.* VII. *Monit. S. Bern.* VIII. *Vitia opposita humilitati.*

QUID est humilitas?

I. R. Virtus, quâ homo ex verissima suî cognitione sibi vilescit. Ita S. Bern.

II. Humilitas, ait S. Th. a. 5. vocatur spiritualis ædificii seu virtutum fundamentum per modum removentis prohibens, nempe removet omnem superbiam; & eatenùs dicitur prima virtutum necessaria ad salutem.

III. S. Th. art. 6. explicat duodecim gradus humilitatis ex Regula S. Benedicti, sed alio ordine, scilicet quo ab interioribus ad exteriora progredimur.

1. Est timor Dei, & præsens semper memoria præceptorum Dei.
2. Abnegatio propriæ voluntatis.
3. Obedientia demissa Superioribus.
4. Patientia amplectens dura & aspera.
5. Proprios defectus recognoscere & confiteri.
6. Credere & confiteri se viliorem omnibus, contentum esse vilissimis rebus in cibo, vestibus, &c.
7. Ad omnia indignum & inutilem se credere & confiteri.
8. Observantia communis regulæ cavendo singularitatem.
9. Silentium, ut non facilè nisi interrogatus loquatur.
10. Ut non sit facilis & promptus ad risum & ineptam lætitiam.

11. Ut pauca & rationabilia loquatur, non voce clamorosâ.

12. Ut in gestibus & operibus servet modestiam defixis in terram oculis.

IV. S. Anselmus, apud S. Thom. art. 6. arg. 3. amplificando sextum & septimum gradum, adjungit septem hos gradus aptos pro materia concionum.

I. & 2. Cognoscere se esse contemptibilem, culpamque deflere.

4. Velle ut alii id credant.

5. Patienter & libenter sustinere quando alii hoc dicunt.

6. Pati leniter, si contemptibiliter tractetur.

7. Amare contemptibiliter tractari.

Obj. Saltem homo pius & sanctus non debet se peccatori postponere & subjicere per humilitatem; probatur, quia justus non potest se æstimare viliorem peccatore, quia illa æstimatio foret falsa & ficta; ergo, &c.

V. R. Nego assumptum & utramque probationem; potest enim se viliorem æstimare sub aliis considerationibus. S. Th. a. 6. ad 1.

1. Si homo justus consideret solummodo quid sit & quid esset ex seipso sine Deo, ejusve gratia; consideret autem in altero homine, quòd sit Imago Dei capax beatitudinis.

2. Si consideret suos defectus, peccata, negligentias, non sua bona; alterius vero peccata non attendat; sed bona aliqua saltem moralia quæ præferenda sunt peccatis.

3. Timeat, se fortè habere defectus occultos, utpote cæcus circa seipsum, proximum verò habere fortè virtutes, quas ignorat.

4. Quòd fortè iste peccator prædestinatus sit ad insignem sanctitatem & gloriam.

VI. Ex his considerationibus S. Franciscus pronuntiabat se vilissimum peccatorem, quia, aiebat, si Deus tantâ misericordiâ prosecutus fuisset alios homines, arbitror sanè quòd multò magis, quàm ego, gratiores fuissent Deo. Sylv.

Si tandem cuipiam speculativo hæc videantur minus veraciter à Sanctis esse dicta, is primùm fiat humilis, & tunc perspicuè intelliget, illa sincerè & sine fictione ab humili posse proferri secundùm professionem virtutis humilitatis. "Gustate & Videte." Ps. 33. v. 9.

VII. Ultimò annotari meretur hoc monitum S. Bernardi: non est periculum nec malum, si nos æstimemus minores aliis, sed magnum malum & periculum est, se præferre aliis: sicut non nocet, si quis intrans januam se inclinet magis quam opus est.

Quæ sunt vitia opposita humilitati?

VIII. R. "Superbia" ei opponitur per excessum, de qua & filiabus ejus agitur in 1, 2. Tract. de pecc. capitalibus: aliud vitium humilitati oppositum per defectum est "nimia & ignava suî abjectio" redundans in injuriam sui statûs, v. g. si Sacerdos se abjiciat ad vilia magnatum servitia.

N. 302. DE STUDIOSITATE ET MODESTIA MORUM ET CULTUS.

S. Thom. 2. 2. *quæst.* 166. *ad* 169.

I. *Studiositas.* II. *Vitia opposita, negligentia studii.* III, *Et curiositas.* IV. *Modest. morum.* V. *Vitia opposita.* VI. *Virtus Eutrapeliæ.* VII. *Modestia cultûs.* VIII. *Vitia opposita.* IX. *Licent vestes pretiosiores.* X. *Licent viliores.*

QUID est studiositas?

I. R. est virtus, quæ moderatur appetitum & studium cognoscendæ veritatis.

II. Vitium ei oppositum per defectum, est "negligentia studii," estque peccatum mortale vel veniale secundùm quòd obligatio sciendi, & simul negligentia gravis, vel alterutra levis.

III. Vitium oppositum per excessum est "curiositas," quæ est inordinatus appetitus cognoscendi: hæc secundùm se est peccatum veniale; sed variis modis mortale ex circumstantiis: v. g. si appetas cognoscere detractoria famæ alterius, secreta confessionis, vel legere nociva, prohibita, &c. aut aperire alterius litteras & revelare quædam occultandorum negotiorum.

Quid est modestia morum? S. Th. q. 168.

IV. R. Est virtus moderans exteriores corporis motus in verbis & actionibus, juxta mensuram rationis.

V. Vitium oppositum per defectum est "cruditas morum" sive rusticitas; vitium per excessum est "petulantia & insolentia."

VI. Sub hac virtute collocat S. Thomas "eutrapeliam;" quæ est virtus, servans modum in verbis & factis ludicris ad animi recreationem, eique opponitur "scurrilitas" per excessum: & "morositas" per defectum. Polm.

VII. Quid est modestia cultûs? S. Th. q. 169.

R. Est virtus, quæ moderationem rationis adhibet in

apparatu rerum externarum, putà vestium, supellectilis, conviviorum, &c. consideratis statu & conditione personarum, loci, temporis & consuetudine approbata.

VIII. Opponitur ei per defectum "neglectus apparatûs;" per excessum "luxus supra statum," qui potest adducere peccatum mortale ex diversis causis, v. g. dum ex eo creantur debita non solvenda, dum ornatus est scandalosus, ad libidinem provocans, &c.

IX. Notat S. Thom. art. 1. ad 2. quòd sine vitio homines in dignitate constituti, vel ministri altaris induantur pretiosioribus vestibus, non propter suî gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii, vel cultûs divini.

X. Similiter non esse vitiosum, quòd aliqui v, g. Religiosi vilioribus vestibus utantur ad humilitatem, pœnitentiam & exemplum; sicuti Joannes Bap. & alii ad Hebr. 11. circuierunt in melotis & pellibus caprinis. Item S. Th. 2. 2. q. 187. a. 6.

N. 303. DE ORNATU MULIERUM.

S. Thom. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2.

I. *Ornatus mulieris aliquando est licitus.* II. *Aliquando peccatum mortale.* III. *Aliquando veniale.* IV. *Mulier in veste virili & è contra.* V. *Objectio.*

I. AN ornatus mulierum est sine peccato?

Respondet S. Th. a. 2. in c. "Si mulier conjugata ad "hoc se ornet, ut viro suo placeat, ne per ejus contemptum in adulterium labatur, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: II. quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et si quidem hâc intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. III. Et eadem ratio, quantùm ad hoc, est de viris... Capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet, nec maritatas decet; in quo tamen casu possent aliquæ à peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed prop-

ter contrariam consuetudinem, quamvis talis consuetudo non sit laudabilis."

"Addit ibidem S. Thom. ad 2. sobrius & moderatus ornatus, ut servent decentiam sui statûs, non prohibetur, sed superfluus & inverecundus & impudicus."

IV. An est peccatum, si mulier induatur veste virili & è converso?

R. S. Th. ad 3. de se hoc esse vitiosum, quia vestitus debet competere conditioni personæ secundùm communem consuetudinem: adeoque eo concurrit peccatum veniale, & si fiat causâ lasciviæ, mortale; verumtamen propter aliquam necessitatem, v. g. ad fugiendum hostem potest ea mutatio esse licita.

V. Obj. Videtur semper esse peccatum mortale si mulier induat vestem virilem vel è contra, quia Deut. 22. v. 5. additur: "Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc."

R. Cornelius à Lapide concedit per Legem veterem hoc fuisse vetitum sub mortali, sed eam Legem positivam jam cessare: rationem adjungit S. Thom. ad 3. quia tunc mutatio illa habitûs spectabat ad cultum idololatriæ inter Gentiles.

N. 304. DE GRATIIS GRATIS DATIS.

S. Thom. 2. 2. *q.* 171. *ad* 178.

I. *Definitio.* II. *Distinctio à gratia gratum faciente.* III. *Recensentur gratiæ gratìs datæ.* IV. *Definitio miracul.* V. *Tres gradus miraculor.* VI. *Quartus gradus reducitur ad præcedentes.* VII. *Solus Deus facit miracula.* VIII. *Non Dæmon.* IX. *Dæmones non possunt mutare homines.* X. *Differentia miraculorum verorum à falsis.* XI. *Fines duo miracul.* XII. *Miracula Parisii rejiciuntur.* XIII. *Stylus Roman.*

QUID est gratia gratìs data?

I. R. Est supernaturale donum divinum ordinatum ad salutem proximi.

II. Gratiæ gratìs datæ distinguuntur & separari possunt à gratia gratum faciente, nam peccatoribus datæ fuerunt aliquando, ut liquet in Balaam Numeri 23. & in quibusdam Sibyllis.

Confirmatur ex Matth. 7. v. 22. ubi de malis Christus

prænuntiat: "Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?"

Nunquam tamen dantur in confirmationem erroris, aut falsæ vel simulatæ sanctitatis, cùm proveniant ex speciali & directa motione Dei.

III. S. Th. recenset & explicat gratias gratis datas, scilicet, prophetiam, raptum, gratiam linguarum, gratiam sermonis, & gratiam miraculorum, sub quibus continentur, quas recenset S. Paulus 1. ad Cor. 12. gratiæ sapientiæ & scientiæ, gratia sanitatum, discretio spirituum, &c.

IV. Miraculum strictè dictum, est opus divinum contra, vel supra, vel præter ordinarium rerum cursum, excedens creatam facultatem vel secundùm se vel secundùm subjectum vel secundùm modum.

V. S. Th. enim 1. p. q. 105. a. 8. in c. explicat tria genera seu tres gradus miraculorum: quædam miracula dicuntur contra naturam; exemplum hujusmodi legitur Josue 10. cùm sol stetit immotus unius diei spatio; quædam sunt supra naturam, qualia sunt resuscitatio mortui, & illuminatio cæci à nativitate, Joan. 9: denique quædam mira fiunt præter naturam, v. g. sanatio Naaman Syri à lepra: 4. Reg. 5. liberatio socrûs Petri à febre. Secundùm hos gradus unum miraculum dicitur esse majus altero.

VI. Nonnulli Theologi admittunt quartum gradum miraculorum; quando factum non est contra nec supra naturæ vires, & per operationem naturalem effici quidem posset, sed ex circumstantiis clarè innotescit factum à Deo processisse extraordinariè v. g. dum 4. Reg. 2. v. 24. duo ursi laceraverunt quadraginta duos pueros illudentes Elisæo.

Sed hic quartus commodè reducitur ad tertium præcedentem, quia modus saltem miraculosus est: sic inter ægros, qui undique confluebant ad Christum, quos omnes sanavit, multi certò laborabant infirmitatibus naturaliter sanabilibus, quorum tamen omnium sanationes inter miracula recensentur.

Ex præfata descriptione definitionis innotescit, qua de causa effectus Sacramentorum ordinarii, licèt supernaturales, non vocentur miracula, quia secundùm ordinariam Dei institutionem producuntur.

VII. Secundò liquet, juxta doctrinam S. Th. 1. p. q. 110. a. 4. quòd solus Deus, "qui facit mirabilia magna solus." Ps. 135. miracula faciat, homo dumtaxat instrumentaliter, ministerialiter, aut impetratoriè illa dicatur facere.

VIII. Tertiò, quòd dæmon miracula efficere non valeat: mira tamen seu mirabilia quædam ostendere potest ex causis occultis, quæ excedunt cognitionem & facultatem hominum, ex quibus homines indocti quandoque decipiuntur, quo modo in Egypto multa signa mira ad incantationem maleficorum patravit dæmon, Exod. 7. quæ juxta S. Th. 1. p. q. 114. a 4. in c. fuerunt à dæmonibus verè facta, v. g. ranas celeri motu ex aliis mundi partibus congregando, vel applicando activa passivis, eas producendo ex seminibus earum.

IX. Mutationes hominum in feles vel bestias, prout legitur in gentilium libris, quòd quædam saga *Circe* socios Ulyssis mutaverit in bestias; & quòd sumentes ex sacrificio, quod Arcades Deo suo Lycæo immolabant, in bestiarum formas convertentur, dæmon verè efficere non potest; sed illusoriè & præstigiosè hæc peraguntur per dæmonem efformando similes formas in phantasia hominum, vel exteriùs per celerrimum motum substituendo aliud corpus aspectui hominum, vel ex aëre vel alia materia similem formam conficiendo, quæ videtur. S. Th. 1. p. q. 114. a. 4. ad 2.

X. S. Th. in 2. d. 7. q. 3. a. 1. dicit miracula vera differre à falsis efficaciâ, duratione, utilitate, modo, ac fine.

Benedictus XIV. Pontifex Maximus de canoniz. Beatorum lib. 4. prosequitur, & speculativè & practicè pro canonizatione S. S. proponit & examinat signa distinguentia vera miracula à falsis, certa ab incertis, &c.

XI. S. Th. 2. 2. q. 178 a. 2. in c. explicat duplicem finem miraculorum, videlicet, ad veritatis prædicatæ confirmationem, & ad demonstrationem sanctitatis alicujus: proinde miracula, quæ divulgantur in argumentum sanctitatis alicujus hæretici, vel mali aut damnati hominis, non sunt vera miracula, sed falsa vel præstigiosa.

XII. Ita miracula quæ etiam excusis libellis prædicantur à Quesnellistis pro sanctitate Diaconi Parisii asseclæ Quesnellistarum, ficta sunt, convulsiones phantasticæ, sanationes falsæ aut naturales; quapropter Archiepiscopus inhibuit cultum etiam privatum ad ejusdem sepulchrum, & Rex Galliæ edictis cohibuit.

XIII. Notat Benedictus XIV. stylum Romanum pro canonizatione alicujus observare, ut nunquam instituatur examen miraculorum alicujus, nisi priùs constet de heroïcis virtutibus.

N. 305. DE VITA PIA, ET VARIIS STATIBUS HOMINUM.

I. *Vita contemplativa.* II. *Vita activa.* III. *Vita mixta ex utraque.* IV. *Varii status hominum.*

I. SANCTUS Thomas q. 179. normam vitæ christianæ piæ dividit in vitam contemplativam & in vitam activam: prior figuratur per Mariam Magdalenam, posterior per Martham, Luc. 10. Item per Rachelem & Liam.

II. Vita contemplativa est excellentior, verumtamen propter necessitatem & conditionem præsentis vitæ, activa magis eligenda, S. Th. q. 182. a. 1.

III. Inde concludi potest, quòd vita mixta sive composita ex contemplativa & ex activa utilior sit, & nobis & proximo; quæ duæ vitæ non repugnant, sed potiùs invicem adjuvant. S. Th. q. 182. a. 1. ad 1. & 3. & q. 188. a. 6. præfert Religionem, quæ vacat utrique vitæ. Hæc magis explanata reperies ab Asceticis.

VI. S. Thom. a. q. 183. usque ad q. 189. finalem, inquirit & examinat varios hominum status & officia in vita christiana, quorum varietas mirificè conducit ad decorem, dignitatem & utilitatem Ecclesiæ: quæ autem specialiter dicenda sunt de statu religioso, nos supra numero 125. explicavimus.

Finitur secunda secundæ.

BREVIS ELUCIDATIO CIRCA

QUÆSTIONEM,

Utrùm quispiam persistens in affectu peccati mortalis satisfaciat præceptis recitandi Horas Canonicas, audiendi Missam die Festo, item eliciendi actus Fide, Spei & Charitatis, aliosve virtutum actus supernaturales.

I. *Quid intelligatur per affectum peccati.* II. *Demonstratur in exemplo.* III. *Resolut.* IV. *Probatur à ratione Theologica.* V. *Probatur ex Scriptura Sacra.* VI. *Probatur ex admissis.* VII. *Objectio.* VIII. *Confirmatur ex Conc. Trid.* IX. *Probatur ab inconvenienti.* X. *Objectio.* XI. *In distributione gratiarum est ordo.* XII. *Objectio.* XIII. *Motus gratiæ non usus gratiæ.* XIV. *Extenditur ad consuetudinem & occasionem proximam & neglectum restitutionis.* XV. *Citatur Sylvius.* XVI. *Item Pauwels.* XVII. *Item Boudart.* XVIII. *Item Collet.* XIX. *Objectio.* XX. *Objectio.* XXI. *Praxis.* XXII. *Nota practica.*

QUÆSTIONEM hanc discussi in Tractatu de Religione numero 61. & responsionem negativam solidis ibidem rationibus stabilivi; quibus, ut video, aliqui convicti eandem resolutionem acceptant pro parte, ut admittant non satisfieri præfatis præceptis ab eis, qui existunt in actuali peccato mortali; ast idem non esse extendendum universaliter ad omnes persistentes in affectu peccati mortalis.

I. Ut evitemus quæstionem de nomine vocis "affectus peccati," dicimus, "affectum peccati" hìc à nobis accipi prout continetur sub membro "actualis peccati:" peccatum autem dividitur adæquatè in peccatum actuale & habituale: peccatum habituale est "macula" ex actuali peccato in anima, cum quo peccato habituali conjungi & consistere simul possunt actus supernaturales Religionis & Contri-

tionis imperfectæ; "affectus" verò "peccati" superaddit peccato habituali actum saltem virtualem vel implicitum.

II. Et ne in vago aberremus, exemplum positum fuit in illo, qui manè concipit firmam intentionem seu voluntatem occidendi inimicum; ipse ex ea intentione arripit iter, & in via ingrediens Templum aliquod, ibidem interest Missæ obligationis die festo, non cogitans ibidem actu seu reflexè de homicidio: finitâ Missâ ex præconcepta intentione prosequitur viam & occidit inimicum. Supponitur in hoc exemplo, quòd homicida ille tempore Missæ non retractaverit intentionem occidendi; tunc enim cessaret quæstio, qùia cessaret affectus peccati per retractationem intentionis.

III. In hoc exemplo sive supposito videtur dicendum, quòd ipse non satisfecerit præcepto audiendi Missam, juxta præceptum, "reverenter," seu cum reverentia utique interna & religiosa, quæ pertinet ad substantiam actûs præcepti, qui sine usu gratiæ compleri nequit.

IV. Ratio data est Num. 61. nimirum quod implicet, ut voluntas per peccatum mortale sive per intentionem occidendi hominem infinitè se quantùm est de se, avertat à Deo, eumque contemnat & inhonoret, & eadem voluntas simul eodem tempore per usum gratiæ supernaturalis se convertat ad Deum, eumque honoret offerendo Sacrificium latreuticum & propitiatorium, quantùm ad suam personam; adde, quòd ponat positivum obicem gratiæ & usui ejusdem.

V. Probatur secundò ex Scriptura S. quæ ubique requirit ut primò peccator se convertat & cesset à peccatis: Isaïæ 1. v. 14. "Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea...& cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. v. 16. quiescite agere perversè."

Præfatus textus non potest restringi ad eos solos, qui actu externo perpetrant peccatum, nam eo tempore, quo orabant non perpetrabant homicidia: atqui non potest etiam extendi ad eos, qui solùm in "habituali peccato" stabant, quia Deus eorum preces exaudit, cùm possint procedere ex gratia & cum contritione imperfecta, quibus Deus non dicit: "non exaudiam orationes vestras." Ergo textus debet intelligi de illis, qui existunt in affectu peccati mortalis effusionis sanguinis; agitur autem in textu de cultu festorum, cui non satisfaciebant ob affectum peccati, sive quia "manus" eorum "Sanguine plenæ" erant, datur

autem à Deo hæc unica ratio, nec alibi aliam indicat. Sententia hæc S. Scripturæ generalis est, sine exceptione, neque ullus locus alius Scripturæ invenitur, per quam restrictio evinci possit. Similia S. Scripturæ loca aptissimè verificantur in iis, qui persistunt in affectu peccati mortalis.

VI. Probatur tertiò ex admissis: admittitur enim, quod quispiam persistens in actu peccati mortalis sive in peccato actuali non satisfaciat illis præceptis actuum supernaturalium: subsumo: atqui ille præfatus, intendens occidere inimicum, persistit in peccato actuali moraliter continuato tempore Missæ, ergo non satisfacit præcepto. Probo subsumptum: quia peccatum adæquatè dividitur in actuale & in habituale; atqui ille persistit non solummodo in habituali, quod est sola macula, ergo persistit in actuali, quia non datur tertium divisionis istius membrum apud Theologos cognitum.

VII. Non obstat, quòd ipse tempore Missæ non cogitaverit reflexè de homicidio.

Respondeo enim, quòd equidem tempore Missæ perseveraverit intentio occidendi saltem virtualiter, cùm non fuerit retractata, & ex ea homicidium secutum fuerit, atqui illa virtualis intentio in moralibus æquivalet actuali; ergo, &c.

Unde eximius D. Daelman Doctor Lov. cujus authoritas non est exigua in Universitate Lov. in Tract. de Sacram. obs. 2. describit virtualem intentionem, quòd sit intentio actualis non retractata, ergo præfata intentio virtualis homicidii potest dici intentio occidendi actualis non retractata juxta ipsum.

Simili modo loquitur Ampl. D. Braunman t. 1. diss. 1. de intent. p. 14. quando voluntas propensione suâ fertur in aliquid agendum, & illud agit, etiamsi mens non attendat, rectè dicitur hoc "actualiter" velle.

VIII. Is loquendi modus confirmatur ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3. ubi docet, quòd in Sacramento Pœnitentiæ, requiratur "Actus contritionis;" atqui tamen certum est, quòd sufficiat "Contritio virtualis," ergo illa contritio virtualis potest dici "Actus" scilicet continuatus. Infero à pari: ergo intentio occidendi præfata virtualis tempore Missæ potest dici "Actus" scilicet moraliter continuatus. Actus enim internus intentionis voluntatis in anima compatitur alios actus disparatos, neque ideo statim cessat, quamdiu finis non est obtentus, vel intentio per retractationem voluntatis vel aliter non desiit.

Denique indubitatum est, quòd committi possint peccata ignorantiæ, omissionis, negligentiæ, &c. etiam pro eo tempore, quo peccator de eis cogitat, & alia agit: similiter peccatum odii interni dicitur continuum diem & septimanam, licèt alia negotia interea peragantur, & hæc omnia peccata continentur sub membro actualis peccati.

IX. Qui ab hac nostra resolutione recedere tentaverit, admittere debebit, quòd fur eodem tempore, quo occupatur in opere furti, simul possit debitè & reverenter audire Missam. Item quòd Beneficiatus, eodem tempore, quo cum concubina libidinosè in lecto decumbit, possit simul devotè recitare horas canonicas, à quali doctrina abhorret sensatus homo. Nunquam solida dabitur disparitas, nam utrique ponunt obicem positivum gratiæ necessariæ ejusque usui: hinc convellitur effugium aliquorum dicentium, quòd affectus peccati non impediat actum præcepti supernaturalem; quando affectus iste est in alia specie peccati: nam exempla superiora sunt de affectu in alia specie peccati, utì & exemplum S. Scripturæ superiùs adductum.

X. Objicitur. Iste præfatus peccator sive homicida, urgente præcepto supernaturali orationis, recipiet gratiam ad orandum, atqui poterit uti illâ gratiâ, ergo poterit debitè audire Missam.

R. Jam dictum est, quòd ponat obicem positivum gratiæ interiùs recipiendæ, quamvis Deus paratus sit dare gratiam.

R. 2°. Transeat assumptum: distinguo subsumptum: atqui poterit uti illâ gratiâ deponendo affectum illum peccàti, consedo subsumptum. Atqui poterit uti illâ gratiâ, in sensu composito, sive in actu secundo simul persistens & perseverans in affectu peccati mortalis, nego subsumptum, quia secundùm ante dicta implicat; & ideo prior gratia, quæ tali peccatori datur, tendit ad conversionem cordis ejus à peccato actuali: XI. Deus enim in distributione gratiarum observat ordinem ut non sit repugnantia; ita v. g. Deus non tribuit infideli gratiam spei vel amoris Dei, nisi priùs vel simul det eidem gratiam actûs fidei: sic Deus non concedit isti peccatori gratiam devotæ orationis, nisi priùs vel simul largiatur ei gratiam deponendi affectum peccandi, vel nisi iste affectus sublatus sit: potest autem homicida præfatus istum affectum peccandi deponere, sive potest ab actuali illo peccato cessare viribus naturæ sinè gratia supernaturali: & deposito isto affectu, & existens in peccato mortali solummodo habituali poterit per usum

gratiæ devotè orare, reverenter audire Missam & satisfacere præcepto.

XII. Objicitur: supponatur, quòd Deus donet illi, persistenti in affectu peccati mortalis, gratiam ad conversionem remotè sufficientem: ista gratia juxta doctrinam Scholæ Lovaniensis habebit aliquem effectum, ergo ille persistens in "affectu" peccati mortalis faciet aliquem actum supernaturalem bonum ex gratia.

XIII. R. Admisso supposito negatur consequentia; nam effectus iste ex illa gratia, erit quidem motus gratiæ, illuminatio, &c. Sed non erit actus liber seu usus gratiæ quamdiu perseverat in eodem affectu peccati mortalis; admittimus enim, quòd gratiæ etiam interiori resisti possit.

XIV. Ex dictis concludimus, idem esse dicendum de omnibus, qui persistunt in "affectu peccati mortalis: cujusmodi sunt consuetudinarii," qui retinent "consuetudinem" peccandi mortaliter voluntariam seu non retractatam: item illi, qui versantur in "occasione proxima" peccandi mortaliter. Ratio liquida est, quia illi retinent voluntatem peccandi de cætero, imò velle occasionem seu periculum peccandi, jam est peccare actualiter. Comprehenduntur ob eandem rationem illi, qui manent in mora mortali seu neglectu debitæ "restitutionis:" legatur Lessius de Just. lib. 2. cap. 12. dub. 3. fol. 138.

XV. Doctrina hæc non est singularis; pro ea enim citavi Doctorem Franc. Sylvium, qui ante annos centum viginti in resolutionibus ad verbum "oratio," tum senex fundamentum fixit docens, quòd oratio peccatoris, in affectu peccati mortalis perseverantis, non habeat veram "Orationis" essentiam.

XVI. Eandem doctrinam quoad auditionem Missæ Erud. D. Pauwels quondam Plebanus S. Petri Levanii & Præs. Coll. Attreb. (cujus auditur fui) tradidit in Lectionibus publicis in Hallis Lovanii, & luci dedit in Theol. pract. tom. 2. de audit. Missæ n. 46. & seq. Igitur illa doctrina non est nova in Schola Theol. Lov. Concedit quidem, quòd peccàtor ille exteriùs impleat præceptum, sed non coram Deo; nam audientem Missam in affectu peccati mortalis æquiparat communicanti sacrilegè in Paschate.

XVII. In eandem sententiam descendit Boudart t. 4. tract. 5. de 3. præcep. Decal. §. 52. q. 2.

XVIII. Doctor Collet in suo opusculo de Officio Divino 1. pag. cap. 2. §. 2. n. 11. pro hac doctrina citat Authorem praxis Sacram. ipse autem addit, quòd desuper consuluerit

aliquos Doctores Sorbonæ non suspectos, qui judicarunt, Beneficiarium, qui recitavit Horas Can. in affectu peccati mortalis, obligandum ad restitutionem fructuum.

Magis severè & rigidè circa auditionem Missæ in tali statu loquuntur Author libri "Morale Chrétienne," lib. 3. sect. 3. art. q. à n. 237. ad 243. Pontas, verbo "Missa," casu 45. aliique.

XIX. Multi quidem Scriptores videntur docere oppositum, sed hoc ad ea tempora referendum est, quando opinabantur satisfieri præceptis actuum supernaturalium per actus etiam intrinsecè malos: nam in confirmationem sæpea dijungunt hoc exemplum, quòd per Communionem sacrilegam satisfiat præcepto Communionis annuæ; qui error jam cessat per damnationem prop. 55. Innocentii XI. anno 1679.

XX. Objicitur: Hæc doctrina non est conformis praxi Confessariorum; ergo, &c.

XXI. R. De praxi Confessariorum magis testari possunt Examinatores Synodales, per quorum examen in hac Diœcesi Confessarii assiduè transeunt. Illi autem attestantur, se in examine constanter recipere hoc responsum: quòd consuetudinarii, & qui manent in occasione proxima peccandi mortaliter, vel in odio aut in neglectu restitutionis nempe mortali, toto illo tempore persistant in affectu peccati sive in actuali peccato, ac ideo eodem tempore non satisfecerint præceptis actuum supernaturalium, si obligaverint, fidei, spei, charitatis, contritionis, auditionis Missæ, &c. & insuper, quòd eos moneant, ut de neglectu istorum actuum eliciant novam contritionem, atque desuper se accusent, inquantùm rei sunt.

XXII. Notandum practicè, quòd multi consuetudinarii aliique sæpius non apprehendant, se perseverare in affectu peccati mortalis, vel quòd non satis cognoscant illum peccati affectum obstare impletioni præceptorum actuum supernaturalium, quia etiam videntur aliquando habere humanas velleitates se emendandi, sub quarum pallio decipiuntur. Interim ex his causis ignorantiæ vel inadvertentiæ possent sæpe excusari à tanto, saltem quando actum externum præstiterunt cum humana quadam voluntate, quam putabant sufficientem, ad satisfaciendum præceptis v. g. interfuerunt missæ, recitarunt formulas actuum fidei, spei, charitatis, &c.

Ad plures alias objectiones respondi in Tract. de Relig. num. 61.

Hæc dicta sint causâ inquirendæ veritatis in quæstione maximi ponderis in praxi; & ideo eadem lubenter subjicio non solùm censuræ Superiorum, verùm etiam judicio cujuscumque viri prudentis.

Imprimi poterunt. Optandum tamen, ut quæstio hìc juncta penitiùs utrimque ab omnibus examinetur pro uniformitate praxis Confessariorum. Dabam Mechliniæ die 27. Aug. 1763.

A. COLLAERTS, L. C.

INDEX.

Prior Numerus designat Numerum marginalem, posterior indicat Paginam.

DE ORATIONE.

DE HORIS CANONICIS.

DE EFFECTIBUS ORATIONIS.

DE RELIQUIS ACTIBUS RELIGIONIS

DE VOTO.

DE DISPENSATIONE VOTI.

DE JURAMENTO.

DE COMITIBUS JURAMENTI.

DE JURAMENTO SIMULATO.

DE PERJURIO.

QUIBUS MODIS CESSET JURAMENTUM.

VITIA OPPOSITA RELIGIONI.

DE SIMONIA.

DE BENEFICIIS.

DE VIRTUTIBUS ANNEXIS JUSTITIÆ.

DE MENDACIO.

TRACTATUS DE FORTITUDINE.

DE TEMPERANTIA.

DE JEJUNIO.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A JEJUNIO.

DE SOBRIETATE ET EBRIETATE.

DE CASTITATE ET LUXURIA.

VIRTUTES ANNEXÆ TEMPERANTIÆ.

INDEX RERUM.

Prior Numerus designat Numerum marginalem, posterior indicat Paginam.

B

BENEFICIUM.

C

CONSUETUDO.

CASTITAS.

D

DISPENSATIO.

E

EBRIETAS.

F

FORTITUDO.

G

H

HORÆ CANONICÆ.

I

JEJUNIUM.

JURAMENTUM.

JURAMENTI COMITES.

M

MENDACIUM.

O

ORATIO.

NUM. PAG.

P

PERJURIUM.

R

RELIGIO.

S.

SIMONIA.

SOBRIETAS.

T.

TEMPERANTIA.

V.

VITIA OPPOSITA RELIGIONI.

VOTUM.

FINIS.

